

CCIÓN

TEC

DEVOTI
INSTITUTION
CANONICA

3 0 4

K96
D48
V.3
c.1

135919

260





6#564107



1080042743

260



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
BIBLIOTECA DE LA FACULTAD DE DERECHO
V 2983 MICHOACÁN R-55

JOANNIS DEVOTI,
DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA
EPISCOPI ANANIENSIS,
INSTITUTIONUM
CANONICARUM.

LIBRI IV.

TOMUS TERTIUS. 75.f.

EDITIO NOVA, ETIAM IPSIS ROMANIS EDITIONIBUS
REVERA CORRECTIOR, ATQUE EMENDATIO.



MATRITI: MDCCCCL

EXCUDERAT RAYMUNDUS RUIZ

Superiorum Facultate.

Se ballará en las Librerías de Fernandez, frente
San Felipe el Real, y de Calleja, calle
de Majaderitos.

13281

38199

K96
D49
U.3

Quid adhuc quæris exâmen, quod apud Sedem
Apostolicam factum est? *S. AUGUSTINUS Oper.*
imperf. contra Julianum lib. 2. opp. t. 10. col. 993.
ed. Maurin. Venet. 1733.



FONDO BIBLIOTECA PÚBLICA
DEL ESTADO DE NUEVO LEÓN

135919

PIO SEXTO,

P. O. M.

JOANNES EPISCOPUS ANANIENSIS,

FELICITATEM.

Magna, ac singularis est, quod Tu plane nosti,
PIE PONTIFEX OPTIME MAXIME, Canonici Juris
præstantia, non solum in regulis, quæ honesta im-
perant, prohibentque contraria, sed etiam in ordi-
ne, & ratione judiciorum, in quibus jus suum uni-
cuique redditur. Cum enim Jus civile sæpe misera,
attenuataque diligentia, sæpe inanitate verborum, &
formularum, aut longa, implexaque methodo spino-
siora peperisset, laqueisque pene inextricabilibus
litigantes irretisset, Jus Canonicum, omnibus am-
putatis tricis, & ambagibus, iisque patefactis,
& illustratis, quæ involuta, obscuraque erant, ju-
dicatorum methodum dedit aptam, concinnam, so-
briam, cui nihil deesset, neque aliquid redundaret,
quod esset ad hominum usum, communemque intelli-
gentiam accommodatum. Quo factum est, ut jam an-
tiquata methodo judiciorum, quam Jus civile pro-
posuerat, ubique fere invaluerit ratio illa judiciorum
à Jure Canonico constituta; quod sane fecerunt non
tantum ii, qui cum tua hac veritatis Cathedra co-
herent, sed etiam qui ab ea disjuncti, ac disso-
ciati sunt.

Hanc ego partem Juris Canonici, quæ ad judicia pertinet, complexus sum tertio hoc Institutionum libro, qui nunc iterum in amplissimo tuo nomine divulgatur. Nam tibi primum, tibi item alterum obtuli earundem Institutionum librum, nunc tertium offero; deinceps offeram & quartum (vide quo progrediar tua fretus humanitate, ac facilitate animi incredibili, planeque singulari, ut offerre audeam confidenter, quod offerre exquisiti beneficii habendum loco est) offeram, inquam, & quartum, quem brevi me in lucem emissurum spero. Erit autem quartus liber de judiciis criminalibus; tertius hic civilia judicia complectitur. Equidem eorum ordinem, rationemque explicavi, qualis à Jure Canonico constituta est, & qualis in Foro viget; indicavi ea, in quibus Jus Canonicum à civili discrepat, itemque ea, quæ nunc obsoleverunt; aliquas etiam illustravi civiles leges, quas enucleatius explicandas putavi, quasque in primis ad propositum, & materiam suscepti operis pertinere animadverti. Non enim quod te omni doctrina præstantem, Optime, Sapientissimeque Pontifex, minime fallit, recte cognosci res canonica, & percipi potest, nisi quis omnes habeat Juris civilis notos, & tractatos locos, nec qui tantum artis præcepta perceperunt, quicquam sine fori usu, & exercitatione consequi possunt; ut proinde mihi neque rem ipsam, neque suas vires satis æstimasse videantur, qui scribunt, Institutiones Juris Canonici, cum semper procul fuerint à pulvere, & acie forensi, neque unquam Jus civile didicerint.

Initium hujus libri feci titulum de judiciaria Ecclesie potestate, in quo quidem titulo paulo longiorem me esse oportere existimavi, ut satisfacerem ratiunculis quorundam, qui cum Dupino, Bodino, Fevretio, Giannonio, Van-Espenio, ceterisque

similibus antiquissima ætate Ecclesiam vera judicia, qualia nobis sunt, exercuisse inficiantur. Ego do, & concedo libenter, ab Ecclesie judiciis abfuisse captiones illas, ambagesque forenses, quas civiles leges invenerant; sed in his profecto vis, & natura judicii nequaquam inest. Ecclesia sine illis laqueis, & involucro solemnitatum, ac formularum celeriter judicia expediebat, audito doctore, & reo, utriusque expensis probationibus, lata demum absolutionis, aut condemnationis sententia, cui litigantes, vel inviti parere cogebantur. An non hoc verum judicium est, an non in iudice, qui imperio utitur in repugnantes, vera potestas, & jurisdictio? Titulum etiam de appellationibus paulo longius producendum putavi, ut jus earum in primatu, quem à Deo accepisti, penitus insitum, & affixum adversus invidos vituperatores Sedis Apostolicæ vindicarem. Qua in re mihi maximæ agendæ, & habendæ sunt gratiæ Cl. Viro, qui totam hanc tractationem de appellationibus ad Sedem Apostolicam, quam litteris mandavi hoc tertio Institutionum libro, in Germania typis evulgavit*, ut refelleret Scriptorem quemdam Historiæ appellationum in tribunalibus ecclesiasticis, qui jura certissima Sedis Apostolicæ audacter, & imperite in discrimen revocaverat. Fecit id quidem ille gratia, & benevolentia in me sua, non merito aliquo meo, ut

* Edita est hæc tractatio in Germania anno 1789. cum titulo: De appellationibus in ecclesiasticis tribunalibus genuinum systema compendiose excerptum ex pretiosissimo quodam opere non ita pridem vulgato, quo retunditur cacohetes novitii Auctoris Historiæ appellationum in tribunalibus ecclesiasticis pro dilucidatione, articuli XXII. Congressus Emsensis nuper Bonnensibus typis, Francuforti nomine ementito editæ.

tenues labores tam gravi, tamque exquisito iudicio comprobaret; sed ego in illo majorum vigiliarum opere, quo complectar, si vita, viresque suppetant, rem Canonicam universam, totum hoc argumentum plenius, & uberius explicabo. Interim his Institutionibus ea collegi, quæ præsertim bene cognita, & comperta esse oportere existimavi, atque in iis paulo longiori sum usus oratione, ut mature discant adolescentes jura Ecclesiæ, ejusque Capitis Romani Pontificis, cunctisque instructi præsiidiis in ipso ingressu studiorum suorum pro iis propugnare viriliter assuescant; quod me efficere non posse intellexi, si jejune, & exiliter de his rebus disputarem. Eadem hæc causa est, propter quam superioribus quoque libris locos quosdam Juris Canonici plenius, & uberius pertractandos existimavi; sed caute tamen in notas conjeci quidquid Institutionum sobrietati non satis apte congruere videbatur. Ipsa hac methodo, & ratione Petrus Leopoldus Guadagnius, qui non multis ab hinc annis cessit à vita, Juris civilis Institutiones tradidit, quam utinam absolvisset! nihil jam esset amplius, quod in hoc genere desideraremus.

Hoc mihi unum optandum maxime restat, idque à tua plæclara, & excellenti natura magnopere expetendum est, ut quemadmodum eo me hactenus honore dignatus es, ut labores meos non improbares, ita pari bonitate, benignitate, clementia tertium hunc accipias librum, quem iterum valde auctum, & amplificatum in lucem emitto. Judicium tuum non tantum quod es Summus Pontifex, sed quod talis es Pontifex, qualem te omnes admirantur, tantum, ac tam præclarum est, ut majus, atque præclarior esse non possit. Ac tu quidem nunc etiam in maximis occupationibus, quibus distensus es, atque in hac ex-
ce'sa, cæloque proxima Dignitate fere quotidie re-

fers animum ad studia litterarum, & in illa tua optimis referta libris Bibliotheca versaris, & scribis litteras, præsertim cum res Ecclesiæ postulant, quas equidem legens (legi autem sapius, eæque mihi in his Institutionibus magno adjumento fuerunt) mihi videor audire loquentes Leonem, & Gregorium Magnos, quorum ut pietatem in Deum, ita doctrinam, atque sapientiam imitaris. Itaque hoc perpetuo tuo vitæ instituto effecisti, ut omnes intelligerent, quam scienter, egregie, perite, simul & illa optima studia exerceas, & populis imperes, & Ecclesiam modereris. Quarum quidem rerum omnium ubique sunt monumenta non impressa leviter ad exigui prædicationem temporis, sed fixa ad memoriam hominum sempiternam. Ea qui intuentur (intuentur autem, & admirantur omnes) maximas agunt habentque gratias immortalis, ac præpotenti Deo, qui tam bene Ecclesiæ suæ, humanoque generi consuluit, cum in hac rerum perturbatione Te, Pie Sexte, Vicarium inter homines constituit, ut malis omnibus tua in se ipsum fides, consilium, fortitudo, constantia mederetur. His porro armis, non illis, quæ sunt vastitatis, cædisque sociæ, Transalpinum illud malum, quod jam undique serpebat, propulsasti, & amorem auxisti populorum, quos imperio regis, atque admirationem Orbis terrarum universi. Sed ut hoc placuit Deo, quo volente, aut saltem permittente geruntur ea, quorum nostrum non est scrutari causas, ut nobis adversa illa evenirent, sic eidem placebit, ut Christianæ Reipublicæ dignitatem tua virtus, & sapientia in veterem integritatem, splendoremque restituat, nosque à summis erumnis, & difficultatibus ereptos ad summam tranquillitatem, felicitatemque traducat.

APPROBATIONES

secundæ editioni redditæ.

Postquam de personis egit, ac de rebus ecclesiasticis Cl. Ananieus Antistes, ad judicia se convertit in tertio hoc *Institutionum Canonicarum* volumine; & rem universam ita tractat, ut nec elegantiam, & ordinem copia, nec brevitatis perspicuitatem desiderare faciat. Quæ autem accesserunt in altera hujus Operis editione novis Cl. Auctoris curis, vehementer probo. Dabam ex Magna Curia Innocentiana IX. Kal. Majas Anni MDCCXCIII.

*N. Riganti Majoris Præsidentie Abbr.
& Ac. in Civilibus Locumtenens.*

Tertium *Canonicarum Institutionum* volumen clarissimi Scriptoris sapienti manu expolitum novis divulgari typis non utile modo, sed ob aliorum exemplarium defectum cum primis arbitror necessarium. Dabam Romæ ex Collegio Germanico IV. Nonas Aprilis MDCCXCIII.

*J. Castillioneus Proton. Apost. Apostolicæ Penit.
Litterarum Corrector, & S. Congr. Boni Regimini à Secretis.*

Novæ adjectiones, quibus tertium hoc volumen *Institutionum Canonicarum* V. Cl. Joannis Devoti, Episcopi Ananiensis auctum est, non ita copiose, attamen utillimæ mihi attente legenti visæ sunt: quare eas probatissimo jam operi insertas, ut ab iis, quorum hujusmodi curatio est, Romanis formis evulgandi potestas fiat, e re studiosæ juventutis esse censeo. Dabam Romæ XII. Kal. Majas anni MDCCXCIII.

*D. Coppola Proton. Apostolicus, & S. Rit. C.
Secretarius.*

LIBER III.

TITULUS I.

De Judiciaria Ecclesiæ Potestate.

- I. Omnis bene constituta respublica suos habet magistratus cum imperio, & jurisdictione.
- II. Ecclesia distincta est à civili republica, quæ suos habet cum imperio, & jurisdictione magistratus.
- III. Potestas judiciaria pars est hujus imperii, & jurisdictionis.
- IV. Eam habet Ecclesia non hominum beneficio, sed suo imperio, & jurisdictioni coherentem.
- V. Judiciaria potestas vel in personas, vel in res, quæ ad rempublicam pertinent.
- VI. In quibus æqua sit ecclesiastica, civilisque reipublicæ conditio; in quibus hæc ab illa differat?
- VII. & VIII. Potestas à Christo Ecclesiæ data tum in interiori, tum in exteriori foro.
- IX. Locus Joannis, & Lucæ expenditur.
- X. & XI. Potestas, quam Apostoli exercuerunt.
- XII. Paulus ecclesiasticum judicium expresse memorat.
- XIII. & XIV. Apostolorum Successores, Ethnicis dominantibus, non solum in interiori, sed etiam in exteriori foro judicia exercuerunt.
- XV. & XVI. Atque hi quidem veri judices erant, non arbitri litigantium voluntate electi.
- XVII. & XVIII. Eorum judiciis nihil deerat, quod verum, perfectumque judicium requirit.
- XIX. Concordia Sacerdotii, & Imperii sub Christianis Imperatoribus.
- XX. Utriusque Potestatis regimen, & administratio.
- XXI. Ecclesiæ coercitio.
- XXII. Judicia Ecclesiæ sub Christianis Imperatoribus.
- XXIII. Leges Principum Christianorum de clericorum causis tantum ab ecclesiasticis judicandis.
- XXIV. Civiles quoque laicorum controversias Episcopi judicaverunt; verum ex voluntate litigantium.
- XXV. Cur ecclesiasticum judicium sæpe à forensi distinguatur?
- XXVI. Ordo judiciorum à Jure Canonico constitutus etiam in foro civili receptus.

APPROBATIONES

secundæ editioni redditæ.

Postquam de personis egit, ac de rebus ecclesiasticis Cl. Ananieus Antistes, ad judicia se convertit in tertio hoc *Institutionum Canoniarum* volumine; & rem universam ita tractat, ut nec elegantiam, & ordinem copia, nec brevitatis perspicuitatem desiderare faciat. Quæ autem accesserunt in altera hujus Operis editione novis Cl. Auctoris curis, vehementer probo. Dabam ex Magna Curia Innocentiana IX. Kal. Majas Anni MDCCXCIII.

*N. Riganti Majoris Præsidentie Abbr.
& Ac. in Civilibus Locumtenens.*

Tertium Canoniarum Institutionum volumen clarissimi Scriptoris sapienti manu expolitum novis divulgari typis non utile modo, sed ob aliorum exemplarium defectum cumprimis arbitror necessarium. Dabam Romæ ex Collegio Germanico IV. Nonas Aprilis MDCCXCIII.

*J. Castillioneus Proton. Apost. Apostolicæ Penit.
Litterarum Corrector, & S. Congr. Boni Regimini à Secretis.*

Novæ adjectiones, quibus tertium hoc volumen Institutionum Canoniarum V. Cl. Joannis Devoti, Episcopi Ananiensis auctum est, non ita copiose, attamen utillimæ mihi attente legenti visæ sunt: quare eas probatissimo jam operi insertas, ut ab iis, quorum hujusmodi curatio est, Romanis formis evulgandi potestas fiat, e re studiosæ juventutis esse censeo. Dabam Romæ XII. Kal. Majas anni MDCCXCIII.

*D. Coppola Proton. Apostolicus, & S. Rit. C.
Secretarius.*

LIBER III.

TITULUS I.

De Judiciaria Ecclesiæ Potestate.

- I. Omnis bene constituta respublica suos habet magistratus cum imperio, & jurisdictione.
- II. Ecclesia distincta est à civili republica, quæ suos habet cum imperio, & jurisdictione magistratus.
- III. Potestas judiciaria pars est hujus imperii, & jurisdictionis.
- IV. Eam habet Ecclesia non hominum beneficio, sed suo imperio, & jurisdictioni coherentem.
- V. Judiciaria potestas vel in personas, vel in res, quæ ad rempublicam pertinent.
- VI. In quibus æqua sit ecclesiastica, civilisque reipublicæ conditio; in quibus hæc ab illa differat?
- VII. & VIII. Potestas à Christo Ecclesiæ data tum in interiori, tum in exteriori foro.
- IX. Locus Joannis, & Lucæ expenditur.
- X. & XI. Potestas, quam Apostoli exercuerunt.
- XII. Paulus ecclesiasticum judicium expresse memorat.
- XIII. & XIV. Apostolorum Successores, Ethnicis dominantibus, non solum in interiori, sed etiam in exteriori foro judicia exercuerunt.
- XV. & XVI. Atque hi quidem veri judices erant, non arbitri litigantium voluntate electi.
- XVII. & XVIII. Eorum judiciis nihil deerat, quod verum, perfectumque judicium requirit.
- XIX. Concordia Sacerdotii, & Imperii sub Christianis Imperatoribus.
- XX. Utriusque Potestatis regimen, & administratio.
- XXI. Ecclesiæ coercitio.
- XXII. Judicia Ecclesiæ sub Christianis Imperatoribus.
- XXIII. Leges Principum Christianorum de clericorum causis tantum ab ecclesiasticis judicandis.
- XXIV. Civiles quoque laicorum controversias Episcopi judicaverunt; verum ex voluntate litigantium.
- XXV. Cur ecclesiasticum judicium sæpe à forensi distinguatur?
- XXVI. Ordo judiciorum à Jure Canonico constitutus etiam in foro civili receptus.

APPROBATIONES

secundæ editioni redditæ.

Postquam de personis egit, ac de rebus ecclesiasticis Cl. Ananieus Antistes, ad judicia se convertit in tertio hoc *Institutionum Canoniarum* volumine; & rem universam ita tractat, ut nec elegantiam, & ordinem copia, nec brevitatis perspicuitatem desiderare faciat. Quæ autem accesserunt in altera hujus Operis editione novis Cl. Auctoris curis, vehementer probo. Dabam ex Magna Curia Innocentiana IX. Kal. Majas Anni MDCCXCIII.

*N. Riganti Majoris Præsidentie Abbr.
& Ac. in Civilibus Locumtenens.*

Tertium Canoniarum Institutionum volumen clarissimi Scriptoris sapienti manu expolitum novis divulgari typis non utile modo, sed ob aliorum exemplarium defectum cumprimis arbitror necessarium. Dabam Romæ ex Collegio Germanico IV. Nonas Aprilis MDCCXCIII.

*J. Castillioneus Proton. Apost. Apostolicæ Penit.
Litterarum Corrector, & S. Congr. Boni Regimini à Secretis.*

Novæ adjectiones, quibus tertium hoc volumen Institutionum Canoniarum V. Cl. Joannis Devoti, Episcopi Ananiensis auctum est, non ita copiose, attamen utillimæ mihi attente legenti visæ sunt: quare eas probatissimo jam operi insertas, ut ab iis, quorum hujusmodi curatio est, Romanis formis evulgandi potestas fiat, e re studiosæ juventutis esse censeo. Dabam Romæ XII. Kal. Majas anni MDCCXCIII.

*D. Coppola Proton. Apostolicus, & S. Rit. C.
Secretarius.*

LIBER III.

TITULUS I.

De Judiciaria Ecclesiæ Potestate.

- I. Omnis bene constituta respublica suos habet magistratus cum imperio, & jurisdictione.
- II. Ecclesia distincta est à civili republica, quæ suos habet cum imperio, & jurisdictione magistratus.
- III. Potestas judiciaria pars est hujus imperii, & jurisdictionis.
- IV. Eam habet Ecclesia non hominum beneficio, sed suo imperio, & jurisdictioni coherentem.
- V. Judiciaria potestas vel in personas, vel in res, quæ ad rempublicam pertinent.
- VI. In quibus æqua sit ecclesiastica, civilisque reipublicæ conditio; in quibus hæc ab illa differat?
- VII. & VIII. Potestas à Christo Ecclesiæ data tum in interiori, tum in exteriori foro.
- IX. Locus Joannis, & Lucæ expenditur.
- X. & XI. Potestas, quam Apostoli exercuerunt.
- XII. Paulus ecclesiasticum judicium expresse memorat.
- XIII. & XIV. Apostolorum Successores, Ethnicis dominantibus, non solum in interiori, sed etiam in exteriori foro judicia exercuerunt.
- XV. & XVI. Atque hi quidem veri judices erant, non arbitri litigantium voluntate electi.
- XVII. & XVIII. Eorum judiciis nihil deerat, quod verum, perfectumque judicium requirit.
- XIX. Concordia Sacerdotii, & Imperii sub Christianis Imperatoribus.
- XX. Utriusque Potestatis regimen, & administratio.
- XXI. Ecclesiæ coercitio.
- XXII. Judicia Ecclesiæ sub Christianis Imperatoribus.
- XXIII. Leges Principum Christianorum de clericorum causis tantum ab ecclesiasticis judicandis.
- XXIV. Civiles quoque laicorum controversias Episcopi judicaverunt; verum ex voluntate litigantium.
- XXV. Cur ecclesiasticum judicium sæpe à forensi distinguatur?
- XXVI. Ordo judiciorum à Jure Canonico constitutus etiam in foro civili receptus.

Ecclesiam visibilem esse societatem, & ideo visibili regendam esse gubernatione, sine qua nulla hominum societas diu stare, & conservari potest, superiore loco demonstratum est (1). Hæc autem gubernatio non tantum pertinet ad ferendas leges, quibus jubeantur, quæ faciendæ sunt, prohibeanturque contraria, sed etiam comprehendit jus curandi, & providendi, ut hæc leges vim, atque exitum obtineant. Frustra enim leges feras, nisi etiam cures, ut his obtemperent, & obediant, qui societate continentur; & frustra cures, nisi imperium, & potestatem habeas, per quam repugnantes ad parendum cogas. Quare in omni bene constituta republica magistratus esse oportet, qui non tantum cura, & providentia, sed etiam imperio, & jurisdictione faciant, ut ab omnibus observentur leges, quæ sunt ad societatis commodum, utilitatemve comparatæ.

(1) Confer ea, quæ diximus in *Prolegomenis cap. 1. §. 4. & seq. & cap. 2. t. 1. p. 3. seq.*

§. II. Christus Ecclesiam constituit ad instar reipublicæ à civili distinctæ (1), eique dedit magistratus, qui huic hominum societati cum imperio præsent (2). Quare in hos magistratus omnem contulit potestatem, qua opus est, ut recte administratur, regaturque respublica, atque ut optimis abundet, legibus, quibus cuncti pareant, & repugnantes etiam in officio pœnis coerceantur. Nam quomodo stabit respublica sine magistratibus, aut cum magistratibus ociosis, & inanibus, qui jurisdictione, imperioque careant?

(1) Consule, quæ dicta sunt in *Prolegomenis cap. 1. §. 6. p. 6. & seq. t. 1.*, & quæ complexus solide, copiose, diligenter

ter est doctissimus Mamachius in *Epist. ad Febr. 11. §. XVIII. seq. p. 265. seq. t. 1. ed. Rom. an. 1776. & Antiquitat. christianar. lib. IV. c. III. p. 270. seq. t. IV.*

(2) Magistratus à Cujacio ad *tit. 2. de Orig. jur. off. t. 1. col. 629. ed. Ven. 1758.* definitur *qui juri dicendo, & assidua jurisdictione servando præest.* Atqui hanc à Christo Episcopis datam in Ecclesia potestatem constat; & huc etiam spectat Apostolus ad *Hebræ. XIII. 17. obedite Præpositis vestris, & subjacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Quibus quidem verbis imperii potestatis in Ecclesiæ Præpositis sine dubio continetur. Nam si Christiani obedire, & subjacere jubentur Præpositis suis, in his certe imperandi potestas esse debet. Similium præceptorum plenæ sunt litteræ Ignatii Martyris, qui in Joannis Apostoli disciplina fuit: *studeamus*, inquit ipse in *Ep. ad Ephes. n. 5.* apud Cotelierium *PP. Apostol. t. 2. p. 13. ed. Antuerpiæ 1698.*, *Episcopo non resistere, ut simus subjecti Deo.* Magnesianos similiter *n. 13. p. 21.* vult *subjectos esse Episcopo, ut Christus Patri, & Apostoli Christo.* Iisdem pene verbis alloquitur Trallianos *n. 2. p. 22.* Philadelphenos *n. 2. p. 31. 33.* Smycænos *n. 9. p. 37.* Atque ætate quidem Origenis, quæ pertinet ad exitum sæculi II., aut initium III., ita certum, atque exploratum omnibus erat, Episcopos in Ecclesia gerere magistratum, & habere illam, quæ magistratus est propria, jurisdictionem, & potestatem, ut id tamquam certissimum ipse Origenes adversus Celsum proponat, Ecclesiamque conferat cum republica, & cum civilibus ecclesiasticos magistratus *contr. cels. l. 3. p. 466. & 467. tom. 1. ed. Paris. 1733.* Memorat etiam Ecclesiæ imperium, & Magistratus S. Gregorius Nazianzenus *Orat. 17. num. 15. opp. tom. 1. p. 271. ed. Colonia 1690.* Vos quoque, inquit, *imperio meo, ac throno lex Christi subjicit, Imperium enim nos quoque gerimus, addo etiam præstantius, ac perfectius; nisi vero æquum est, Spiritum Carni fascies submittere, & caelestia terrenis cedere.* Hinc ipse Gregorius *Ep. 46. Africano p. 807.* Episcopatum *τὸν ἀρχιεπισκοπικὸν ἀρχὴν* incruentum magistratum, & S. Joannes Chrysostomus *Hom. 3. in Ep. ad coloss. to. 11. p. 349. ed. Montfaucon. Paris. 1734.* *ἀρχιεπισκοπικὸν ἀρχὴν* spiritualem magistratum vocat. Quin omnes universe Græci Patres Episcopatum *ἀρχὴν*, hoc est Magistratum, aut Principatum appellant. Similiter omnes Græci, & Latini Patres ex divina institutione repetunt hunc ecclesiasticum magistratum, ejusque potestatem, & jurisdictionem. Quare nihil agunt, qui tantum potestatis, & auctoritatis

tis, non item *jurisdictionis* vocabulum ab Ecclesia usurpatum putant ante ætatem S. Gregorii M., qui certe eo vocabulo usus est *Ep. 8. l. 14. opp. t. 2. col. 1266. ed. Maurin. Paris. 1705.* Nam si ecclesia ipsius Christi voluntate, & instituto semper habuit magistratus cum potestate condendi leges, coercendi, infligendi pœnas, habuit certe jurisdictionem; nihil autem refert, num Ecclesia jus suum potestatis, & auctoritatis, an potius jurisdictionis vocabulo explicaverit. Modo Ecclesie detur, quod certe habet à Christo, ociosum est de vocabulis disputare.

§. III. Hæc autem *jurisdictio*, quam habent in republica magistratus cum imperio præpositi, sine dubio comprehendit *judiciariam potestatem*. Nam qui leges condit, atque ab omnibus observandas curat, imperioque tuetur, qui in subditos habet jurisdictionem, is etiam suam explicat potestatem in judiciis, in quibus ortæ inter subditos controversiæ dirimuntur, legumque observatio præscribitur. Itaque *judiciaria potestas* non cujusquam hominis beneficio data est Ecclesie, sed penitus affixa, atque insita est in potestate condendi leges, in imperio, atque in jurisdictione, quam Christus in eam contulit.

§. IV. Qui hanc potestatem aut Ecclesiam habere negant, aut eam ab hominum beneficio repetendam putant, ii magistratus, & omnem jurisdictionem Ecclesie adimant necesse est (1). Nam pugnantia hæc sunt, esse in republica magistratus cum imperio, ac jurisdictione, & hos magistratus non habere *judicandi potestatem*, quæ eorum juri, & officio cohæret, quæque in primis est hujus imperii, & jurisdictionis propria. Atqui Ecclesiam habere magistratus, quorum administratione, cura, potestate, imperio illa Christianorum hominum societas, illaque à civili distincta respublica regenda sit hoc est Episcopos à Christo constitutos, inter catholicos omnes constat.

(1) Primus Actius omnem Ecclesie jurisdictionem, & le-

gislativam potestatem eripere conatus est; ejus errorem sequuti sunt Valdenses, Joannes Hussius, Marsilius Patavinus, Jandunus, Lutherus, Calvinus, Grotius, qui falso putarunt, nullam Ecclesie esse jurisdictionem, sed omnem ejus in dirigendo, & suadendo positam esse auctoritatem. Horum exemplo Protestantes omnes, qui jus Principis in sacra tuentur, Ecclesie adimunt *judiciariam potestatem*. Qui cum Puffendorfio Ecclesiam non distinctam rempublicam, aut *statum*, ut inquit, sed tantum *collegium* esse contendunt, ut Moshemius, Bohemerus, Budæus, aliique, omnem Ecclesie esse negant *judiciariam potestatem*, sed hanc ad jus majestatis Principis sæcularis, pertinere arbitrantur, atque Ecclesie tantum jus collegiale tribuunt. Joannes Bodinus l. 3. de Republic. ecclesiasticæ jurisdictioni, æ foro vehementer adversatur, atque eum sequutus est Carolus Loysæus in suo *Traité de Seigneuries*. In eodem luto hæsitat P. la Borde, qui opusculo cui titulus *Principes sur l'essence, la distinction, & les limites des deux puissances spirituelle, & temporelle* datam à Christo Ecclesie potestatem non solum dirigendi per consilia, & suassiones, sed etiam jubendi per leges, cogendique, & pœna coercendi eos, qui pœna sunt digni, labefactare, ac tollere conatur, atque ecclesiasticum ministerium ita sæculari potestati subjicit, ut ad hanc pertinere contendat de externa omni, ac sensibili gubernatione cognoscere ac judicare. Prævum ac perniciosum opusculum damnavit Benedictus XIV. *Const. Ad assiduas 44. t. 4. ejus Bullar. p. 163. ed. Rom. seu Ven. 1758.*, & similis Marsillii Patavini, & Janduni error multo ante damnatus est à Joanne XXII. *Const. Licet juxta doctrinam* apud Raynaldum t. 5. p. 347. *ed. Lucæ.* Morinus in opere de *Pœnitent. administr. l. 1. c. 10.* forum contentiosum Ecclesie non distinguit à foro pœnitentiali, atque illum tantum post XI. aut XII. sæculum Ecclesiam habuisse putat. Cum Morino sentit Van-Espenius *Jur. eccles. univers. l. 3. tit. 1.* Fevretii celebre est opus de *Abusu*, quo ipse ecclesiasticam jurisdictionem, & *judiciariam potestatem* acriter insectatur. Inde du-Pinius de *Antiqua Eccles. discipl. Diss. VII. §. ult.* *judicium ecclesiasticum* in civilibus, & criminalibus clericorum causis, & potestatem ex Principis permissu repetit. Petrus Giannonius in *Histor. civil. Regn. Neapolit. l. 2. c. ult. t. 1.* hostis infensissimus contentioso Ecclesie foro omnem ejus potestatem in docendo, orando, suadendo, & per censuras corrigendo ponit, & Morino etiam assentiunt. Jacobus quoque Gothofredus ad *L. 47. Cod. Theodos. de Episc. & Cler. t. 6. p. 109. & seq. ed. Lipsie 1743.*, & Jacobus Cujacius in *Paratit. Cod. de Episcop. audien. opp. t. 2.*

col. 30. ed. Ven. 1758. judicariam Ecclesie potestatem negant. Novissime Canonicus Litta in opere iterum edito Ticini an. 1783. *del Diritto di disporre gl' impedimenti dirimenti nel matrimonio, e di dispensarne* To. II. p. 125. Morini sententiam ad VIII. saeculum contraxit, atque ante hoc tempus Ecclesie veram judicandi potestatem solum in rebus Religionis adscribit. Plures viri docti hanc Ecclesie potestatem vindicarunt, quos inter praestant Ven. Moneta *Adv. Cathar. & Valden.* l. 5. c. 13. §. 5. & seq. p. 532. ed. Rom. 1743., Dadinus Altaserra in opere *de Jurisdit. eccles. adversus Fevretium* & in libro peculiari *adversus Gotofredum*, Jo. Antonius Bianchi *Della potesta e della polizia della Chiesa* l. 1. c. 5., Joannes le Gendre *Judicium Episcopale Adversus calumnias J. Gothofredi acerrime vindicatum*, Doctissimus Mamachius *Epist. II. ad Febronium* §. XIX. seq. p. 285. Tom. I. & p. 300. seq., & Auctor operis *Le storte idee raddrizzate* c. 5. Videndus est etiam Fleury *disc. 7. sur l' Histor. Eccles. de la Jurisd. essent. a l' Eglise.*

§. V. Jamvero pars haec jurisdictionis, quam judicariam potestatem vocamus, in omni republica vel in res, vel in personas a magistratibus explicatur. Nam qui reipublicae cum imperio praepositi sunt, in omnia, quae ad rempublicam pertinent, habent potestatem; hoc est in personas, ex quibus ea constat, atque in res quibus utuntur, fruuntur personae ad vitam traducendam. Quare etiam Ecclesiae magistratus in res, & personas suae reipublicae habere debent judicariam potestatem, quam in res, & personas suarum rerumpublicarum habent ceteri magistratus.

§. VI. His in rebus aequa est conditio civilis, & ecclesiasticae reipublicae, quae utraque imperium habet in res, & personas suas; verum ecclesiastica respublica habet etiam praecipuam spiritualem potestatem, qua civilis respublica prorsus caret. Scilicet Christus non tantum Ecclesiam instituit, quae esset perfecta respublica, & ideo juribus fruere ceterarum rerumpublicarum, sed etiam ejus unius esse voluit praesse rebus sacris, atque divinis, &

curam gerere eorum, quae ad aeternam hominum felicitatem pertinent. Itaque Ecclesiae potestas non tantum est potestas propria cujusvis reipublicae; sed etiam sese exerit in stabiliendis fidei, morumque regulis, in sacramentis administrandis in cultu Religionis, in sacris ritibus, in ceteris generis ejusdem.

§. VII. In haec quidem omnia Christus expresse dedit uni Ecclesiae potestatem; & vero ita dedit, ut in ipsum Christum contumax haberetur quisquis Ecclesiae praecipis non obediret (1). Haec autem potestas a Christo data duplex est; altera, quae in interiori, altera, quae in exteriori foro exercetur. Primam expressit Christus his verbis: *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt* (2); alteram his: *Si peccaverit in te frater tuus vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum; si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos testes; si non audierit eos dic Ecclesiae* (hoc est Conciliis, aut Episcopis, accepta eo loco Ecclesia ex sententia Judaeorum, quales erant Apostoli, quos Christus compellat; Judaei vero Ecclesiam appellarunt aut conventum in Synagoga habitum, aut Principes Synagogae). *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus* (3), quos Judaei synagoga excludebant. Habes hic omnia, quae sunt exterioris judicii propria, accusatorem, reum, judicem, causae cognitionem, sententiam, coercitionem.

(1) *Qui vos audit, inquit Christus, apud Lucam X. 16., me audit; qui vos spernit me spernit.* Latinis autem, uti & Hebraeis, & Graecis, *audire* idem est, ac *obedire*. Porro ei parandum, cui jubendi jus est.

(2) Joannes XX. 23.

(3) *Matthaeus XVIII. 17. seq.* Vide Auctorem operis *de Deux puissances* Chap. 5. t. 3. p. 154. & seq., in primis autem vide CL. Mamachium *Ep. 1. ad Auctorem operis inscripti. Quid est Papa n. XV. p. 60. seq. ed. an. 1787.*

§. VIII. Potestas in hæc à Christo Ecclesiæ data nominatim est, quoniam eam nonnisi à Christo acceptam Ecclesia habere potuisset. De reliqua potestate, quæ ad Ecclesiam pertinet eo jure, quod ipsi cum ceteris Rebuspublicis commune est, nullas Christus leges separatim dedit, neque profecto eas dare necesse erat. Nam cum Ecclesia tamquam propria, & distincta respublica ab eo instituta fuisset, cum ejus reipublicæ status, & gubernatio constituta, cum ei dati magistratus, atque inter eos unus, qui omnibus dignitate, & jurisdictione præesset, consequens erat, ut haberet omnem potestatem, quæ reipublicæ propria est, neque Christus inter homines versabatur, ut reipublicarum imperium, & jura constitueret, sed ut sanciret leges, quæ ad Religionem pertinent, atque ad æternam felicitatem eorum, qui hac reipublica continentur.

§. IX. Ea de causa declaravit, *regnum suum non esse de hoc mundo* (1), & ortam controversiam super familia eriscunda judicare noluit, quoniam ejus rei judex à nemine constitutus fuerat (2). Non hæc certe dixit, quod in *hunc etiam mundum* non haberet potestatem, aut quod ab hominibus judex constitui deberet, qui omnium dominus erat, quique à Patre *omne judicium* acceperat (3); sed ut demonstraret, maxime se esse sollicitum de rebus Religionis, deque æterna hominum felicitate (4). Verum post Christi mortem Apostoli utramque potestatem exercuerunt, & quam à Christo nominatim acceperant in res sacras, atque divinas, & quam habebant tamquam magistratus Christianæ reipublicæ cum imperio præpositi (5).

(1) Joannes XVIII. 36. Locum hunc expendens Augustinus *Traët. 115. in Joan. n. 2. opp. tom. 3. col. 792. ed. Venet. 1729.* rectissime, verissimeque animadvertit, Christum non dixisse *regnum suum non esse in hoc mundo*, sed dixisse

solum, non esse *de hoc mundo*, quibus verbis significare voluit, *regnum suum non ab humanis causis, atque ab hominum electione, sed aliunde, hoc est ab ipso Patre originem habuisse.* "Hic non ait, *inquit, ipse Augustinus, regnum meum non est in hoc mundo, sed non est de hoc mundo. Non ait, nunc regnum meum non est, hic; sed nunc regnum meum non est hinc.*" Confer Cl. Mamachium *del Diritto libero della Chiesa l. 1. cap. 1. numer. 8. p. 64. seq. tom. 1. & l. 2. §. 3. pag. 93. seq. tom. 2. par. 1.*

(2) Lucas XII. 24. Vide eundem Mamachium *loc. cit. l. 1. c. 1. §. 3. p. 37. & seq. t. 1.*

(3) Joannes V. 22. 27.

(4) Aptissime S. Thomas 3. p. qu. 59. art. 4. ad 1. *Christus, inquit, "quamvis esset Rex constitutus à Deo, non tamen in terris vivens terrenum regnum administrare voluit. Similiter etiam, judicariam potestatem exercere noluit super res temporales, qui venerat homines ad divina transferre. Unde Ambrosius... nec judex dignatur esse litium, & arbiter facultatum &c."*

(5) Obedite, inquit Paulus *ad Hebræos XIII. v. 17., Præpositis vestris, & subjacete eis.* Apostoli autem constituerunt legem, quæ divina certe non erat, de sanguine, & suffocato. Id vero non fecissent, nisi à Christo potestatem accepissent. Hinc Paulus *Act. XV. v. 41. Perambulabat Syriam, et Ciliciam... præcipiens custodire præcepta Apostolorum, et Seniorum.* Negat quidem Witacherus, hoc in græcis codicibus extare; sed in vetusto Codice Alexandrino reperiri eruditus Milius Anglus *in hoc cap., et v. Act. Apostol. confitetur.* Fac tamen non extare; quid tum? Lucas *cap. XVI. v. 4.* dicit hæc: "cum autem pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis, & Senioribus, qui erant Hierosolymis."

§. X. Itaque non tantum de rebus, quæ ad Religionem, & Ecclesiæ gubernationem pertinerent, tum voce, tum scripto præcepta constituerunt, quorum quidem sacri libri pleni sunt; sed etiam legibus repugnantibus, statumque reipublicæ pervertentes pœnis compresserunt. In primis Paulus, cujus plura, quam alius cujusquam Apostolorum, scripta extant, *virgam* minatur Corinthiis (1); profitetur, habere se *in promptu ulcisci omnem inobedientiam ex potestate quam dedit,* ait, *nobis Dominus* (2), ac ne eos denunciatione potestatis frustra per *epistolas* terrere videretur, *quales sumus, inquit, verbo, tales & præsentibus in facto.*

(1) *I. ad Corint. IV. 21.* Ad-
 ditto libero della Chiesa cap. I. §. III. p. 131. seq. Tom. 2.
 Part. II.

(2) *II. ad Corint. X. 6. seq.*

§. XI. Thessalonicensibus quoque imperat, ut sibi obediant, & si quis non paruerit, eum à Christianorum societate exterminandum jubet: *Si quis, inquit, non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo* (1). Quam eandem pœnam pluribus quoque criminibus constituit (2); & eadem etiam coercuit tum Hymenæum, & Alexandrum in fide naufragos (3), tum Corinthium incestus in novercam reum (4). Quia ne sola severitate jus sacræ potestatis exercere videretur, eundem Corinthium postea resipiscentem Ecclesiæ communioni restituit (5).

(1) *Apostolus II. ad Thessalonicen. III. 14.*

(2) *I. ad Corint. V.*

(3) *I. ad Timot. I. 20. et II. ad Timot. IV. 15.*

(4) *I. ad Corint. V. 1. seq.*

(5) *II. ad Corint. II. 6. seq.*

§. XII. Qui tantam in Ecclesiæ subditos habet potestatem, ut eos omnino ad parendum cogat, pœnis coerceat, in eorum crimina animadvertat, an non etiam tribunal habere poterit, in quo eorum controversias judicet? Certe Paulus (1) vehementer objurgat Corinthios, quod extra Christianam rempublicam iudices quærent, qui eorum sæcularia negotia cognoscerent & abjectum quemque hominem è Christianis aptiorem ad judicandum dicit, quam potentiorem quemlibet, qui Christianus non sit. Tum *nescitis, inquit, quoniam Angelos judicabimus: quanto magis sæcularia?* Ipse Paulus (2) Timotheum docet iudicii methodum, quam Episcopum contra Presbyterum servare oportet.

(1) *Apostolus I. ad Corint. VI. v. 1. et seq., quem locum ita interpretatur Jo. Chrysostomus Homo. 16. in I. Ep. ad Corinth. n. 2. p. 136. t. 10. opp. ed. Montfaucon. Paris. "Volens, nos docere quodcumque tandem fuerit, non oportere nos exter-*

, nis committere, cum objectionem, vel quæ talis esse videbatur, movisset, prius illam solvit. Hoc enim vult significare. Fortasse dicet quispiam, nullum esse apud vos sapientem, neque ad iudicium ferendum aptum, sed contentibiles omnes. Et quid hoc? Etiam si enim nullus sit sapiens, *inquit, vos minime permittite.* Hoc autem ad verecundiam vestram dico &c."

(2) *I. ad Timoth. V. 10.* Confer Tertullianum *contr. Marcion. l. 5. c. 12. p. 477. ed. Ven. 1744.* Atque hæc quidem ab Apostolo proposita iudicii contra Presbyterum agendi ratio tamquam firma, constansque regula in omnibus ecclesiasticis iudiciis observanda semper agnita est, uti ostendunt Theodoretus *Histor. Eccles. l. 1. c. 21. p. 47. ed. Taurin. 1748.*, & Acta Cleri Gallicani *De la Jurisd. Ecclesiast. par. 2. p. 30. seqq. t. 6. ed. Paris. 1716.*

§. XIII. Vita functis Apostolis, eorum Successores suam semper exercuerunt potestatem non solum in interiori, sed etiam in exteriori foro (1); habueruntque iudicia non tantum de rebus fidei, morumque regulis (2), sed etiam de controversiis, quæ inter Christianos oriebantur. Id vero factum est non modo cum Christiani, sed etiam cum ethnici imperio potirentur. Hoc enim temporis intervallo semper Ecclesiæ Magistratus, hoc est Episcopi, ea curarunt, quæ ad Religionem pertinent, atque etiam pœnis coercuerunt crimina Christianorum, præsertim pœna excommunicationis, qua nulla gravior est, & quam servato ordine iudiciario inflixerunt (3).

(1) *Joannes Morinus de Administr. sacram. pœnitent. l. 1. c. 26. n. 18. et 19. et l. 6. c. 25. n. 12.* demonstrare conatur, per plura sæcula in Ecclesia censuras à publica pœnitentia distinctas non fuisse, recentiori autem disciplina inductum fuisse, ut censuræ sint actus iudiciales in foro contentioso, qui ex jurisdictione procedunt, atque has à publicis pœnitentiis distingui, & tanquam iudiciales actus haberi cœpisse, cum forum exterius ab interiori distinctum est. Verum falsa prorsus hæc sententia est, & veteri Ecclesiæ disciplinæ adversatur. Certissimum enim est, semper ab Ecclesia censuram fuisse distinctam à publica pœnitentia, atque habitam tanquam sententiam, qua servata iudicii methodo reus criminis condemnabatur, ita ut prorsus à Christianorum societate repelleretur, & cum eo reliqui fideles nullam societatem, rerumque communicationem haberent. At vero publica pœnitentia non ita gravem afferebat pœnam, atque, ut plurimum, erat sig-

num reconciliationis, quoniam sæpe imponebatur iis, quibus dabat Ecclesia pacem, posteaquam ipsos ab se omnino rejecerat. Qui publicæ poenitentiae subiectus fuerat, semper ecclesiasticae communioni restituendus, eaque imponebatur poena, ut post emensa legitima poenitentiae spatia restitueretur; sed alia erat censurarum ratio. Similiter exploratum est, Ecclesiam semper habuisse forum exterius ab interiori, & poenitentiali distinctum, neque aliquis ignorare potest, eam semper contra reos criminum accusationes, & denunciationes accepisse, audivisse testes, cuncta expendisse, ac denique sententiam in reum protulisse. Certe ad interius forum non spectat Paulus I. ad *Timoth. V. 19.*, cum vetat Episcopum adversus Presbyterum accusationem recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus. Canon autem Apostolorum 66. & 67. apud Cotelerium PP. *Apostolic. t. 1. p. 451. ed. Amstelæd. 1724.* itemque Concilium Antiochenum sub *Julio I. can. 5.* & Carthaginense I. *can. 10.* apud Labbæum *t. 2. col. 590. et 1247. ed. Ven.* ut mittam cetera monumenta, quorum magnus est numerus, solemnis iudicii formam, quæ in exteriori foro adhibetur, disertissime proponunt. Videndi quoque sunt Balsamon, & Zonaras in *can. 37. Apostolor. apud Beveregium tom. 1. p. 25.*, à quibus multa de ecclesiasticis iudiciis afferuntur. Quin etiam certus erat iudicii exercendi dies, nimirum *feria secunda*, uti tradit Auctor *constit. Apostolic. l. 2. c. 47.* apud Cotelerium *t. 1. p. 257. ed. cit.* Consule Jo. Antonium Bianchi *della Potesta, è della polizia della Chiesa l. 1. c. 5. §. 2. n. 11. t. 3. seq. p. 443. seq.*, & Mamachium *lib. II. del Diritto libero della Chiesa Tom. 2. Part. 1. p. 131. seq.*

(1) Confer Doujatium *Prænot. canonic. l. 2. c. 2.*

(3) Cyprianus *Epist. ad Cornelium* apud Labbæum *t. 1. col. 716. ed. Ven.* "Nam cum statutum sit, inquit, omnibus nobis, & æquum sit pariter, ac justum, ut uniuscujusque causa illic, & audiatur, ubi est crimen admissum... oportet utique eos, quibus præsumus, non circumcursare, nec Episcoporum concordiam coherentem sua subdola, & fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam suam, ubi & accusatores habere, & testes sui criminis possunt." Habes hic accusatores, testes, sententiam; quid aliud ad verum iudicium, forumque constituendum requiritur? Ipse Cyprianus *l. c.* narrat solemne iudicium actum adversus Privatum, & adversus Jovinum, ac Maximum, qui omnes re primum diligenter quæsita, & cognita plurium Episcoporum sententia damnati sunt. Huc etiam referendus est Tertullianus, qui in *Apologet. c. 39. p. 31. ed. Paris. 1675.* "Coimus, inquit, in cœtum, & congregationem... Ibidem etiam, exhortationes, castigationes, & censura divina." Nam & iudicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu,

, summumque futuri iudicii præiudicium est, si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis, & conventus, & omnis, sancti commercii relegatur." Quibus ex verbis intelligitur, censuram ecclesiasticam, ac præsertim excommunicationem, de qua Tertullianus loquitur, fuisse actum iudiciale, eamque ab Ecclesia, re primum cognita, & expensa diligenter, ferri consuevisse. Quid dicam de Concilio Eliberitano, quod habitum est anno 305.? In eo duo sunt canones, nimirum *Can. 74. & 75.*, in quibus agitur de accusationibus, quæ contra clericos proponuntur, gravæque contra calumniatores indicuntur poenæ, ac ea de re tota agitur in *conventu clericorum*. Duo hi canones sine dubio pertinent ad iudicia ecclesiastica, ut rectissime observat Albaspinæus in *Not. opp. p. 185. ed. Neapol. 1770.*

§. XIV. Temporales quoque causas Christianorum, ethnicis dominantibus, ab Ecclesiæ magistratibus iudicatas fuisse, vel ex eo intelligitur, quod per tria sæcula aliquæ certe inter illam hominum multitudinem existere debuerunt controversiæ, quæ ne defuerunt quidem initio Ecclesiæ, ac vivis Apostolis, & tamen nullus unquam Christianus eas detulit ad ethnicos magistratus. Manebat enim alta mente repostum præscriptum Pauli, quod Christianos coram ethnicis magistratibus litigare vetabat, & ideo qui Christianæ reipublicæ cum imperio præerant, hanc etiam sui imperii, & officii partem in suum cuique reddendo explicabant (1).

(1) Secundum Apostoli præceptum Auctor *Constit. Apostolic. l. 2. c. 45.* apud Cotelerium PP. *Apostolic. t. 1. p. 256. ed. Amstelædam.* vetat, ne quis adeat ad iudicium gentilium, imo ne patiamini, ait, ut sæculares magistratus de causis vestris iudicent. Et *c. 46. pag. ead. ne igitur, inquit, disceptationes vestras gentiles cognoscant.* Concilio Hipponensi anni 398. *can. 87. t. 2. col. 1444. collect. Labbæi, ed. Ven.* item statuitur, quod "catholicus, qui causam suam sive justam, sive injustam, ad iudicium alterius fidei iudicis provocat, excommunicetur." Hinc S. Augustinus in *Psalm. 218. Serm. 24. opp. t. 4. col. 1340. & de Oper. monac. c. 29. n. 37. col. 499. t. 6. ed. Maurin. Ven. 1730.* ex Apostoli præcepto repetit iudicandi munus, quo ipse tanquam Episcopus fungebatur. Uterque hic Augustini locus dignus est, qui sæculo expendatur, ut pateat, Ecclesiæ iudicia, vera fuisse iudicia, & veros item iudices fuisse Episcopos, non

arbitros litigantium consensu constitutos, eamque Augustini fuisse sententiam, quod Episcopi ex Apostoli lege judicia exercerent. Inquit enim ipse Augustinus *cit. Serm. 24.* "Maligni infirmos, premunt, & causas suas ad nos ferre compellunt, quibus dicere non audemus: dic, homo, quis me constituit iudicem, aut divisorem inter vos? Constituit enim talibus causis ecclesiasticos Apostolus cognitores in foro prohibens iurare Christianos." Habes hic judicia acta ab Episcopis in invitos, non in eos, qui illos sua voluntate tanquam arbitros elegerunt. Hæc autem ipse Augustinus *de Oper. monach. cit. cap. 29.* dicit: "mallem manibus aliquid operari: . . . quam tumultuosissimas perplexitates causarum alienarum pati de negotiis sæcularibus vel iudicando dirimendis, vel interveniendo præcedendis. Quibus nos molestiis idem afflixit Apostolus, non utique suo, sed ejus, qui per eum loquebatur, arbitrio." Locus hic ostendit Episcopos non solum fuisse arbitros controversiarum, neque solum eas officii composuisse, quo spectant verba *vel interveniendo præcedendis*, sed etiam veros fuisse iudices, quo referenda sunt verba *vel iudicando dirimendis*, & hæc quidem judicia habuisse tumultuosissimas perplexitates, quibus verbis judicialis strepitus, cursusque multiplex indicatur. Hoc ipsum Apostolicum præceptum agnoscit Concilium Carthaginense III. *Can. 9. t. 2. col. 1401. collect. Labbæi*, & Concilium Carthaginense V. *can. 1. col. 1454. eod. t. 2.*

§. XV. At enim Ecclesiæ Magistratus arbitri potius erant, qui mutuo litigantium consensu dissidia componebant, quam veri iudices, cum neque jus coercionis haberent, neque jus redderent servatis iudiciorum solemnitatibus, neque litigantes eorum sententiis parere cogerentur. Sed primum nego, tantum ex consensu litigantium, non item jure suo, & proprio Ecclesiæ Magistratus fidelium controversias iudicasse. Apostolus Christianos apud ethnicos litigare vetuerat, neque id consilii, sed præcepti loco constituerat (1); & verò consequenti ætate Christiani omnes huic Apostolico præcepto paruerunt. Si Christiani apud Ethnicos iudicium exercere non poterant, consequens est ut ea agerent vel apud *Sapientem*, quem Paulus eligendum suaserat, quique eligi non poterat sine auctoritate eorum, qui Reipublicæ præerant, vel apud Apostolos, & Episcopos, hoc est apud illos,

qui summum in Christiana Republica magistratum obtinebant.

(1) Verba Pauli *cit. Ep. I. ad Corint. VI.* sunt: "Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud sanctos?" Qui tam graviter objurgat eos, qui hoc *audent* facere, nonne evidenter ostendit, indignum esse hoc facinus, ac nullo modo ferendum? Quare qui in illis Apostoli verbis non præceptum, sed consilium inesse putant, si mihi non videntur animadvertisse, Paulum legem dedisse adversus *ausum*, quem ipse graviter reprehendum putabat, & in hunc quidem *ausum* non consilium, sed præceptum cadere debebat. Consilii quidem est electio *Sapientis*, qui *possit iudicare inter fratrem suum*; sed quam dissimili ratione id Paulus urget, quam diversis hoc loco verbis utitur! Revera Apostoli præceptum memorant Auctor *Epistolæ ad Jacobum*, apud Cotelerium *t. 1. p. 611.*, Auctor *Constitutionum & ceteri*, quorum paulo ante facta mentio est; & Concilium Hipponense *l. c. excommunicationis poena plecuit catholicum, qui ad iudicium alterius fidei iudicis* provocat. Adde observantiam trium sæculorum, quo spatium temporis neminem à Christianis ad ethnicos iudices ivisse scimus. An id tam longo temporis cursu, atque inter ingentem illam hominum multitudinem tam diligenter observatum fuisset, nisi Christianis omnibus persuasum fuisset, ab Apostolo datum non consilium, sed præceptum, cui omnes parere oportebat? Ipse Augustinus *Enchirid. de Fide, spe & charitate cap. 78. opp. tit. 6. col. 226. ed. indic.* Paulum illis, quæ supra descripsi, verbis non merum dedisse consilium, sed *terribiliter vetuisse* docet, ne Christiani extra Ecclesiam iudicia exercerent. Neque vero obrudi potest factum Pauli, qui ad Cæsarem provocavit *Act. Apostol. XXV.* Ipse enim comprehensus à Festo Præsede, qui ei vim inferre volebat, necessario provocare debuit, ad Cæsarem, hoc est ad eum, cui Festus suberat, quique ejus vim reprimere posset.

§. XVI. Itaque Christianorum iudicium in aliorum Christianorum controversiis non voluntarium erat, quodque à litigantium arbitrio penderet, sed necessarium, quoniam ipsi extra Christianam rempublicam iudices quærere prohibebantur. Atque hi quidem iudices omnem habebant potestatem, & jurisdictionem, qua præditos esse oportet Magistratus, qui Reipublicæ cum imperio præsunt, & quam Apostoli non semel ostenderant, præsertim Paulus qui se *in promptu habere* declaraverat ul-

cisci omnem inobedientiam (1), qui Alexandrum, quod verbis suis *restiterat devitari* jusserat (2), qui eum, qui sibi non obediebat, *notari*, & cum reliquis fidelibus *commisceri* noluerat (3). Revera toto illo temporis cursu, quo ethnici imperio potiti sunt, adeo certum, fixumque Christianis erat, controversias suas ab Ecclesiae magistratibus esse definiendas, seque, eorum iudicio parere oportere, ut nemo adversari, atque ad ethnicos iudices adversus illorum sententiam querelas deferre ausus fuerit.

(1) Apostolus *II. ad Corint. X. 6. seq.*

(2) *II. ad Timoth. IV. 15.*

(3) *II. ad Thessalonic. III. 14.*

§. XVII. Quod si Ecclesiae magistratus formidolosis illis temporibus jus non reddebant ea pompa, & splendore, quo ethnicorum iudices, si non erant stipati ministris, qui adversus repugnantes vim adhiberent, si illas iudiciorum ambages, & solemnitates non observabant, non inde certe effici potest, quod ii Christianorum controversias non iudicaverint. Quando Christiani non alios habere iudices poterant, quam Ecclesiae magistratus, quando hi in Ecclesia imperium, & potestatem habebant, quando ipsis cuncti parere cogebantur, quis neget, eos vera iudicia exercuisse, aut saltem, quoties opus fuit, suo iure exercere potuisse? Pompa, ministri, solemnitates nihil ad iudicii naturam pertinent. An non etiam summarium iudicium, in quo hae solemnitates omittuntur, verum iudicium est?

§. XVIII. Iudicium faciunt duo litigantes, quorum alter actor, alter reus est, causa, seu controversia, & magistratus, qui iudicat, suaque sententia controversiam dirimit. Quando hae sunt, verum iudicium est; cetera non inhaerent in rei natura, atque usu fori extrinsecus accesserunt. Itaque si Christiani controversias, iudicia etiam habuerunt, & harum controversiarum iudices non alii esse potuerunt, quam qui Christianae reipublicae cum imperio praerant, quibus omnes parere debebant, semperque paruerunt.

§. XIX. Atque haec quidem in Ecclesia iudiciorum ratio fuit, donec ethnici rerum potiti sunt. Delato ad Christianos imperio, consequens erat, ut illa inter ecclesiasticam, civilemque rempublicam conciliaretur concordia, quae inter Christianorum, atque Ethnicorum societatem esse nequiverat. Ecclesiae Magistratus curam abjecerunt earum rerum, quas antea administraverant, quod dedeceret, ethnicos magistratus miscere se in rebus Christianorum, curamque retinuerunt rerum spiritualium, atque omnem in clericos potestatem. Nam utraque respublica civilis, & ecclesiastica in suo genere perfecta, ac distincta est, utraque suos habet magistratus, & subditos, certasque res suae potestati subjectas.

§. XX. Ad Ecclesiam pertinet divinarum, sacrarumque rerum administratio, atque in his nulla clericorum, & laicorum distinctio est, sed omnes, qui per Baptismum inter Ecclesiae filios recepti sunt, ejus potestati subjiciuntur. Civilis Potestas curat res temporales, & in his quidem in omnes suos Cives imperium exercet, uti etiam Ecclesia imperio utitur in cives suos, qui clerici sunt. Utraque respublica omnem habet potestatem in res, civesque suos utraque imperat poenisque coercet eos, qui latis ab se legibus non obtemperant.

§. XXI. Sed ecclesiasticae coercionis summus est gradus ejectio eorum, qui in religionem, vel in societatem peccarunt. Si quis religionem violare ausus fuerit crimine, schismate, haeresi, neque monitus redierit in bonam mentem, eum sive clericus, sive laicus sit, Ecclesia ejicit a sacris, & societate Christianorum, propter potestatem, & officium, quod habet in omnes Christianos, curandi, regendique cuncta, quae ad religionem pertinent. Qui aliquo crimine societatem laesit, si clericus sit, Ecclesiae iudicio subest, non propter rem ipsam, quae propria est civilis reipublicae, sed propter personam, quia scilicet ecclesiasticae reipublicae civis est. Itaque in eum Ecclesia animadvertit carcere, aut alia poena corporali (1), & si gravius crimen sit, cui non parem habeat poenam Ecclesiae lenitas, & mansue-

tudo, eum de gradu dejicit, hoc est non amplius suæ reipublicæ Civem esse sinit, sed ad instar ceterorum laicorum subjicit civili potestati. Ipsa vero in hunc hominem, qui jam suæ reipublicæ Civis est, imperium exercet, quod habet in reliquos cives suos, eumque coercet morte, ceterisque pœnis, quæ sunt à civilibus legibus constitutæ.

(1) Agam de his pœnis copiose Libro IV., ubi de criminali Ecclesiæ potestate disserendum erit. Interim, quoniam carceris feci mentionem, hoc animadvertam, jam inde à IV. sæculo Ecclesiam ad puniendos clericos criminum reos carceres habuisse, qui *Decanica* appellabantur. Patet id ex Arcadii, & Honorii constitutione quæ est *L. 30. Cod. Theod. de Hæret.* Hos carceres memorant etiam Justinianus *Novel. 79. c. 2.*, & Capitularia Caroli M. *l. 5. c. 378.* apud Balluzium *t. 1. col. 604. ed. Ven. 1772.*, ubi dicitur in *decanicis*, alii in *catenis*, Ecclesiæ recludatur, competenter pœnas luiturus. In Græcorum paratitlis apud Henricum Justellum *Biblioth. jur. canon. t. 2. p. 1335.* habentur hæc: *ἡς τῶν ἐκκλησιαστικῶν ὑπὸ τῶν ἐν βαλλυτίαισιν ἐκκλησιαστικῶν ἐκκαταλείβονται.* Eorundem carcerum mentio est apud Basilium Diaconum in *libello ad Theodosium, et Valentinianum in actis Concil. Ephesini par. 1. cap. 30. n. 3. col. 977. t. 3. concilior. Collect. Labbæi ed. Ven.*, & apud Gregorium II. in *Ep. ad Leonem Isaur. t. 8. concilior. col. 671. ejusdem Collect.* Consule Du-Fresnium *Comment. in Paul. Silent. p. 594.*, & Jacobum Gothofredum in *cit. Leg. 30. Cod. Theod. t. 6. p. 166. ed. Lipsiæ cit.*, qui tamen vir doctissimus hoc loco deridendum se præbet, cum fatetur "in decanicis, quæ procul dubio, loca conclusa fuere, immorigeros clericos asservari consuevisse; inquit tamen, quod Ecclesia his temporibus jurisdictionem proprie non haberet, sed audientiam tantum." Sed quomodo sine jurisdictione potuisset Ecclesia clericos in carceres detrudere, in iisque conclusos, & custoditos retinere? An signum esse luculentius, & præclarius jurisdictionis potest? Decanica secretarii partem fuisse putat Binghamus *Orig. eccles. l. 8. c. 7. §. 9. t. 3. p. 264. ed. Hale Magdeburg. 1758.* De verberibus, exilio, multis pecuniariis, ceterisque pœnis, quæ ab Ecclesia dabantur, sequenti libro suus erit agendi locus. Confer præterea la Cerdam *Adversar. c. 39. n. 2.*

§. XXII. Ita sane postquam ad Christianos Imperatores rerum summa delata est, Ecclesia non solum de rebus spiritualibus (1), sed etiam de civilibus clericorum controversiis (2), adhibitis solemnitatibus, quæ in

veris, perfectisque judiciis adhibentur (3), & in suo quidem foro (4) judicavit. Quia etiam ne qui clericus minus ecclesiastico giudice contentus ad laicum iret, graves constitutæ sunt pœnæ, quibus hujusmodi facinus coerceretur (5). Hæ autem clericorum controversiæ, ut plurimum, in provinciali synodo (6), sed sæpe etiam Episcopi judicio dirimebantur (7).

(1) Cunctas de religione controversias à sola Ecclesia definiri posse, ac semper definitas fuisse, inter catholicos omnes constat. Sed in his definiendis judicariam quoque methodum adversus hæreticos adhibitam fuisse, facile intelliget quisquis ad ea advertat, quæ in conciliis gesta sunt. Nicæni Patres antequam in Arium sententiam ferrent, eum ad synodum vocarunt, tum eum, tum ejus accusatores audiverunt, denique re cognita, expensaque diligenter, cum plane convictus esset, adversus eum sententiam protulerunt, sicuti patet ex Socrate *lib. 1. cap. 6. part. 11. ed. Vales. Cantabr. 1720.* aliisque. A Patribus Ephesinis ter citatus, atque ad synodum vocatus est Nestorius, ut adesset *juxta canones*, (quorum nomine Beveregius *Cod. Can. Primitiv. Eccles. vindic. l. 1. c. 5. n. 4.* apud Cotelerium *PP. Apost. tom. 2. p. 23.* designari putat *Can. Apostolor. 74.*) quoniam nihil, inquebant, *ex iis omnibus, quæ ad ecclesiasticum ordinem pertinent, prætermittere par est.* Legatorum, quos postremo misit Concilium, monita fuerunt, *quod nisi coram de omnibus, quæ scripto contra te allata fuerint, si ve citra scriptum te expurgaveris, eum Synodus condemnasset.* Vocatus bis, & tertio Nestorius venire noluit, atque in contumacem, & absentem sententia lata est, quæ omnia narrantur in relatione Concilii ad Coelestinum Pontifi. *tom. 3. conc. Labbæi Ven. ed. col. 1190.* Vide etiam Bossuetum *Remarques sur l'Histoir. des Concil. d' Ephese et de Chalcedoin. de M. Dupin. t. 15. ed. Leod.* & Cl. Card. Gerdilium *Confutazione di due libelli contro il Breve &c. tit. 1. p. 319. seq.*, à quibus ostenditur, quemadmodum totum illud judicium contra Nestorium jussu Cælestini P. actum fuerit. *Trina monitione* Eutyches à Concilio Constantinopolitano, & *trina* item *monitione* Dioscorus vocatus est à Concilio Chalcedonensi, ac denique expensis omnibus contra utrumque lata sententia est, quæ omnia patent ex relatione ejusdem Concilii ad Leonem apud Labbæum *t. 4. col. 1778. & col. 1811.* Quid aliud hic restat, ut omnes judiciorum solemnitates adhibite videantur? Concilii Patres, qui ejus controversiæ judices sunt, reum citari jubent, repetunt bis, & tertio citationem, quæ solemnitas judiciorum est à legibus inducta, ut non nisi post unam preceptoriam, aut tres simplices citationes adversus contumacem reum sententia proferatur. Emissis tribus citationibus, itemque secundum judicariam methodum *elapsis terminis*

sententia emittitur. Quid aliud egisset iudex laicus, si de re sui fori propria iudicare debuisset? Atque in omnibus aut Episcoporum depositionibus, aut hæreticorum condemnationibus occurrunt accusationes, citationes, testes, iudices, cetera ad verum, perfectumque iudicium necessaria.

(2) Concilium Nicænum *can. 5. t. 2. collect. Labbæi ed. Ven. col. 35.*, Constantinopolitanum I. *can. 6. cit. t. 2. col. 1128.*, Carthaginense I. *can. 10. col. 1247. eod. t. 2.*, Carthaginense IV. *can. 23. eod. t. 2. col. 1439.*, Andegavense *can. 1. col. 18. t. 5. col. 526.*, Agathense *can. 32. cit. t. 5. col. 526.*, Aurelianense III. *can. 32. eod. tom. 5. col. 1281.*, Aurelianense IV. *can. 20. cit. tom. 5. col. 1367.*, Veneticum *can. 9. col. 81. eod. t. 5.*, Matisconense I. *can. 8. col. 662. t. 6.*, Innocentius I. *Ep. 11. ad Victoric. Rothomag. c. 3. apud Constantium Epist. Pontifi. Roman. col. 749.*, Gelasius P. *can. 13. c. 11. q. 1.*, Joannes VIII. *can. 11. dist. 96.*

(3) Ecclesiam in exercendis iudiciis adhibuisse methodum iudicariam, ostendunt tum ea, quæ paulo ante diximus præsertim de Nestorio, Eutyche, Dioscuro, tum indoles ipsa rerum, de quibus Ecclesiæ iudicio agendum erat. Definiendæ erant controversiæ, quæ fervebant inter duos, pluresve clericos, qui ad laicos iudices ire non poterant. Quomodo hæc controversiæ sine vero, perfecto iudicio definiri potuissent? Revera in hoc iudicio erat causa, actor, reus, iudex, non deerat citatio, testes, probationes, cuncta demum, quæ in iudiciis requiruntur. Iudex expendebat actoris petitionem, rei que exceptionem, ac denique, cum explorata erant omnia, sententiam ferebat, cui clerici, qui iudicium illud egerant, parere cogebantur. Quid aliud agebat iudex laicus in causis, quæ ad ejus tribunal deferbantur? Fateor, hæc iudicia, quæ ab Ecclesiasticis fiebant, cursum, atque exitum habuisse celeriore, quam ea, quæ à laicis exercebantur, atque ab illis procul fuisse tricas, ambagesque forenses; verum hæc non pertinent ad intimam iudicii naturam, neque iis neglectis minus verum, minusque perfectum iudicium videri potest. In summa iudicia ecclesiastica vera erant iudicia, quæ ex litigantium contentione, & iudicis potestate, imperioque fiebant, ac iudex audito actore, & reo, expensisque probationibus *absolutoriam*, vel *condemnatoriam* sententiam proferebat, cui litigantes parere cogebantur. *Jam pars illa*, inquit S. Joannes Chrysostomus *de Sacerd. Lib. 3. c. 17. t. 1. opp. p. 399. ed. Paris. 1718.*, "quam Episcopus, cum tractare in iudiciis convenit, infinita certe odia, infinitas offensiones parit." Hæc certe in iudicem odii, & offensionis causa quem alium attingere potest, præter litigantem, qui condemnatus est, ac sententiæ parere invitatus cogitur? Simile est, quod habet Concilium Tarraconense I. *Can. 4. apud Labbæum t. 5. col. 698. ed. Ven.*, quo sancitum est, "ut nullus Episcoporum, aut Presbyterorum, vel Clericorum die dominico propositum cujuscumque causæ negotium

, audeat iudicare." Ergo clerici exercent actus vere iudicarios, & contentiosæ jurisdictionis, qui die dominico fieri non possunt. Verum etiam, perfectumque iudicium ecclesiasticum memorat Sidonius Apollinaris *l. 2. Ep. 12. col. 522.*, & *l. 6. Ep. 2. & 4. ed. Sirmondi int. ejus opp. ed. Ven. 1728. col. 575. & 577.*, Synesius autem *Ep. 105. p. 248. ed. Petavii 1633.* Episcopum vult esse *legum Doctorem*, ut quæ legibus consentanea sunt, loquatur. Sed videndus est in primis Ambrosius, qui graviter reprehendit Syagrium Veronensem Episcopum, quod in iudicando non eam adhibuisset methodum, quam adhibere oportebat *Ep. 5. opp. t. 5. p. 479. ed. Maurin. Venet. 1781.*; ex qua quidem epistola manifestum est, qua solemnitate ab Episcopis iudicia agerentur, & quemadmodum in iis nihil omitteretur eorum, quæ ad verum, & perfectum iudicium requirebantur. Quin & Episcopos non solum iudicasse, sed & iudices suo arbitrio dedisse, testatur Socrates *Hist. lib. 7. c. 37. pag. 387. edit. Valesii Cantabrig. 1720.*, qui narrat, Silvanum Troadis Episcopum, cum suos clericos, quos dirimendis controversiis dare iudices solebat, aliquod inde lucrum quærere animadverteret, laicos iudices elegisse, qui controversias illas definirent. Hi laici, qui Episcopi jussu, & clericorum loco iudicabant, quam in iudicando methodum servare debebant? Adde ea, quæ in causa S. Athanasii à Liberio Pontifice dicta sunt adversus Constantium Imperatorem, qui sanctissimum illum virum vehementer condemnari cupiebat apud Constantium *Epistol. Roman. Pontifi. col. 433. seq.* Ex quibus intelligitur, quam accurate, diligenterque ab Ecclesia iudicia agerentur, diu multumque audito reo, datis ei defensoribus, excussis omnibus probationibus, servatis demum omnibus, quibus opus erat, ut verum, perfectumque iudicium haberetur.

(4) Qui Ecclesiam vera, & propria iudicia exercuisse incipientur, si negant, habuisse territorium, & forum, in quo jus diceret, atque ajunt, Episcopale iudicium non verum, propriumque iudicium, sed *audientiam*, hoc est arbitrium appellari. In primis autem obtrudant Novelam Valentiniani III. quæ est *Novel. 12. de Epis. iudic.*, & qua scriptum extat: "Quoniam constat, Episcopos forum, legibus non habere, nec de aliis causis, quam de Religione posse cognoscere, ut Theodosianum corpus ostendit; aliter eos iudices, esse non patimur; nisi voluntas iurgantium sub vineulo compromissis, si procedat; quod si alteruter nolit, sive laicus, sive clericus sit, agent publicis legibus, & jure communi. At si territorii nomine intelligimus locum intra certum terminum positum, in quo magistratus jus dicit, & suam jurisdictionem exercet, quis neget, jam ab ipso initio Ecclesiam territorium habuisse? Cum divisæ sunt dioceses, cum instituta sunt jura metropolitana, quæ sane Titum, & Timotheum habuisse constat, cum item jura patriarchica, quorum initia aut ab Apostolis sunt repetenda,

aut certe Nicæno Concilio antiquiora sunt, nonne Episcopis, Metropolitibus, Patriarchis datum est territorium, in quo jus dicerent, suamque potestatem exercerent? Concilio Nicæno *Can. 6.* apud Labbæum. *t. 2. col. 35. ed. Ven.* designata sunt certa loca, quorum omnium Alexandrinus, & Antiochenus Episcopus habent potestatem. An non his locis eorum Episcoporum territorium est? Postremo ipsum territorii vocabulum expresse memorat Zosimus *P. Ep. 5.* apud Labbæum *Collect. Concil. t. 3. col. 409. ed. Ven.* *Omnes sane,* inquit, *admoneantur, ut quique finibus, territoriisque suis contenti sint.* Quod si Episcopi habebant territorium, in quo imperabant, jus dicebant, poenis coercerant, consequens est, ut etiam forum habere debuerint. Nam forus locus est, in quo inter litigantes jus dicitur. Neque refert, quod non hoc ipsum fori vocabulum occurrat; nam satis est, quod fuerit res ipsa, hoc est potestas, & locus reddendi juris, ut deesse non poterit forus, quo tandemque vocabulo appelletur. Quid quod Constitutiones *Apost. l. 2. c. 47.* apud Cotelerium *PP. Apostol. t. 1. p. 257. ed. Amstelædami 1724.* expresse memorant *δικαστήριον, χειρῆριον forum?* Quod vero *audientia* nomine interdum ecclesiastica judicia nuncuparentur, id certe argumento esse non potest, quod vera judicia non essent, sed potius arbitria haberentur, quæ sententia est *Cajaci in Paratit. Cod. de Ep. aud. opp. t. 2. col. 30.,* *Caroli Loysei de Seigneuries c. 15.,* *Fevretii in Libro de Abusu l. 4. c. 1.,* itemque *Van-Espenii Jur. eccles. par. 3. tit. 1. c. 3.,* *Jacobi Gothofredi in Extravag. de Episcop. judic. Cod. Theodos. t. 6. p. 340. ed. Lipsia 1743.,* aliorumque maxime Protestantium. Principio apud Jurisconsultos in juris civilis voluminibus *audire causam* idem significat, ac *rite cognoscere, & judicare litem L. 1. C. de Lit. contest. L. 2. C. Si ex fals. instrum. vel testim. L. 6. §. Super his C. de Appellat., & auditorium sæpe pro tribunali, foroque judiciario usurpatur L. 54. ff. de Re jud. L. 5. ff. de Offic. Adress.* Deinde vero ad ecclesiastica officia designanda utrumque vocabulum & *judicii, & audientia* usurpatum constat; quod evidenter ostendit, veteres inter hæc duo vocabula nullum discrimen posuisse. Certe *judicium* ecclesiasticum, non *audientiam* memorant *S. Leo M. Ep. 2. ad Rustic. Narbonen. opp. t. 1. col. 1424. ed. Ballerin. 1753.,* *S. Augustinus ad Bonif. l. 3. c. 5. t. 10. col. 456. & Serm. 351. n. 10. t. 5. col. 1359. ed. Ven. 1731.,* *S. Ambrosius Ep. 5. ad Syagr. Ep. Veron. opp. t. 5. p. 479. ed. Maurin. Ven. 1781.,* *Sozomenus Histor. l. 1. c. 9. p. 21. ed. Valesii Cantabrig. 1720.,* *Gratianus Imperator Ep. ad Aquilin. apud Constantium Ep. Rom. Pontif. col. 530.,* qui ecclesiastico judicio vim tantam attribuit, ut Imperatorem appellare vetet eos, qui sunt *condemnati judicio recte sententium Sacerdotum.* Mitto loca alia sexcenta Patrum, & Conciliorum; ac mitto etiam titulum

Codici Theodosiani, qui est *de Episcopali judicio;* quoniam de eo paulo post suus erit agendi locus. Deinde vero titulus ille Codicis Justiniani *de Episcopali audientia* editus est, posteaquam multæ prodierant superiorum Imperatorum Constitutiones, quibus judiciaria Ecclesiæ potestas confirmata fuerat, adjectis legibus, ut quod ab Episcopis judicatum fuisset, ab omnibus ratum, firmumque haberetur. An judicia tam solemnia, tam firma, quibus omnes parere coguntur, mera arbitria videri possunt? Extat ea de re Constantini Constitutio *in Extravag. de Episcop. judic. Cod. Theodos. t. 6. p. 339.,* qua sancitum est, ut *omnes causæ, quæ vel pratorio jure, vel civili tractantur, Episcoporum sententiis terminatæ perpetuo stabilitatis jure firmentur, nec liceat ulterius retrahari negotium, quod Episcoporum sententia deciderit.* Falsam hanc constitutionem putant Gothofredus, Fevretius, *Loyseus l. c.,* sed eam late vindicant *Altaserra de Jurisd. Eccles. l. 1. c. 7.,* *Baronius ad an. 314. n. 38. t. 3. p. 572. ed. Lucae,* *Sirmondus in Append. Cod. Theod. t. 7. p. 5. ed. Gothofredi Lipsiæ 1745.,* *Valesius in Not. ad Euseb. de Vit. Constant. l. 4. c. 27. p. 640. ed. Cantabrig.,* *Seldenus de Synedr. l. 1. c. 10.,* *Jo. Antonius Bianchi della Potesta, e della Polizia della Chiesa t. 3. p. 704.,* *Fr. Florens de Jurisd. eccles. t. 2. p. 35. ed. Norimb. 1756.,* *Doujat Prænot. Can. l. 2. c. 2.,* ac *Joannes le Gendre Episcopale judicium advers. calumn. Gothofredi acerrime vindicat.* Atque ad hanc quidem legem spectare videntur *Eusebius de Vit. Constantin. l. 4. c. 27. p. 550. ed. Valesii Cantabrig. 1720.,* & *Sozomenus l. 1. Histor. c. 9. p. 21. ed. ejusdem cum de Constantino scribit, quod "litigantibus permisit, ut ad Episcoporum judicium provocarent, si magistratus civiles rejicere vellent, eorum autem sententia rata esset, aliorumque judicium sententiis prævaleret, perinde ac si ab Imperatore ipso data fuisset." Patet ex hoc loco, Episcopos habuisse forum, & contentiosam jurisdictionem; secus enim quomodo episcopale judicium, potius quam sæculare litigantes elegissent? Ac patet etiam, sententias Episcoporum exitum, & vim tantam habere debuisse, quantam habere maximam poterant, & ideo non arbitria fuisse, quæ forte despici potuissent. Eandem Constantini legem, cujus nunc facta mentio est, memorant etiam, atque confirmant *Capitularia Caroli M. l. 6. c. 366. t. 1. col. 658. ed. Baluzii Ven. 1772.* ubi ea sumpta dicitur ex *sextodecimo Theodosii Imperatoris libro cap. XI.,* qui locus nonnullos in eam opinionem adduxit, ut crederent, illam legem à *Carolo M. non Constantino, sed Theodosio adscriptam fuisse.* Sed falluntur egregie; quoniam, ut observat *Baluzius in Notis t. 2. col. 819.* iis verbis Theodosianus Codex designatur. Cum Constantino consentiunt *Arcadius, & Honorius, quorum est constitutio in L. 9. Cod. de Episc. audient.,* qua Imperatores inquirunt: "Epis-*

copale iudicium ratum sit omnibus, qui se audiri à sacerdotibus, elegerint, eamque illorum iudicationi adhibendam esse reverentiam, jubemus, quam vestris deferri necesse est potestatibus, à quibus, non licet provocare. Quis, nisi plumbeus in iurisprudencia sit, merum arbitrium dicat episcopalem sententiam, cuius tanta vis est, ut ei cuncti parere debeant, atque ab ea ne provocare quidem liceat? Est etiam de Episcopali iudicio lex Marciani Imperatoris, quæ est *Leg. 14. Cod. de Episcop. audient.*, & ex qua similiter patet, Episcopos non meros fuisse arbitros, sed veri iudicis partes egisse. Idem etiam ostendit Lex Theodosii, & Valentiniani in *L. 47. Cod. Theodos. de Episc.*, ex qua intelligitur, Episcopalem *audientiam* verum fuisse iudicium, & ab eo tantum nomine diserepasse. Quod si episcopale iudicium verum erat, propriumque iudicium, profecto cum Tribonianus in titulo Codicis *audientie* vocabulo usus est, nullum inter *audientiam*, & iudicium discrimen posuit; præsertim cum in ipso titulo *de Episcopali audientia* leges descripserit, in quibus iudicii vocabulum usurpatur, quæque ad verum iudicium pertinent. Cum autem tot præclara habeamus Episcopalis iudicii monumenta, nulla prorsus habenda ratio est constitutionis, quam edidit Valentinianus III., ut Episcopis jus suum adimeret, quamque ejus successor Majoranus abrogavit, uti ostendit Baronius *ad an. 452. n. 52. tom. 8. p. 134. ed. Lucae.*

(5) Conc. Antiochenum *an. 341. can. 5. t. 2. col. 590. Collect. Labbæi ed. Ven.*, Carthaginense III. *can. 9. col. 1401. eod. t. 2.*, Chalcedonense *can. 9. col. 1686. t. 4.*, Aurelianense IV. *can. 20. col. 1367. t. 5.*, Matisconense I. *can. 7. & 8. col. 659. & 660. t. 6.* Toletanum III. *can. 13. col. 700. cit. t. 6.* Parisiense V. *can. 3. col. 1389. eod. tom. 6.*, Cabillonense I. *can. 11. col. 398. tom. 7.*

(6) Id sane Nicæno Concilio statutum est *can. 5.* & à Sardicensi *can. 3. t. 2. Collect. Labbæi col. 35. & 659.*

(7) Concilium Chalcedonense *can. 9.*, Toletanum III. *can. 13. l. c.* Eodem se munere sæpe functum testatur Augustinus, qui illud ex Apostolico præcepto repetit, uti demonstratum supra est. Atque in ejus vita *opp. August. tom. 10. col. 270. c. 19.* Possidius narrat, qua ipse diligentia, ac pietate causas iudicaret, *idque*, inquit Possidius, *secundum sententiam Apostoli dicentis: audet quisquam &c.* Idem quoque Ambrosius præstitisse, testatur ipse Augustinus *Confess. l. 6. c. 3. t. 1. col. 121. cit. ed.*

§. XXII. Ipsi etiam Christiani Principes non solum sponte sua, sed etiam hortatu sanctissimorum Episcoporum, quibus certum, atque exploratum erat, clericos ad laicos iudices non esse trahendos (1), æquis-

simas tulere leges (2), quibus cautum est, ut clerici suarum controversiarum iudices non nisi ecclesiasticos haberent. Quin etiam dignitas Episcopatus, & præclara virtus illorum, qui eo fungebantur, diu fecit, ut Episcopi civilium quoque controversiarum, quæ inter laicos fervebant, iudices constituerentur (3). Verum id fiebat consensu litigantium, qui coram Episcopo litigare malebant, quam coram sæculari magistratu, & concessu Principum, qui ab Episcopis, quorum sapientiam exploratam habebant, civium suorum causas iudicari cupiebant.

(1) S. Hilarius Pictaviensis Episcopus *ad Constant. August. l. 1. n. 1. opp. tom. 2. col. 535. ed. Veron. 1730.* "Provideat, & decernat clementia tua, Constantio Imperatori inquit, ut omnes se ubique iudices, quibus provinciarum administrationes creditæ sunt, ad quos sola cura, & sollicitudo publicorum negotiorum pertinere debet, à religiosa se abtineant; neque post hac, præsumant, atque usurpent, & putent se causas cognoscere clericorum." Extat autem in *L. 12. cod. Theodos. de Episc. & Cler.* Constantii lex, qua cautum est, ut clericorum causæ non nisi ab Episcopis iudicentur; atque hanc quidem legem Hilarii hortatu editam, putat Baronius *ad an. 355. n. 82. p. 555. t. 4. ed. Lucae.* Eadem est Ambrosii sententia *Ep. 21. n. 2. t. 6. p. 52. opp. ed. Maurin. Ven. 1781.*, qui laudat ea de re Valentiniani legem, qui *sacerdotes de sacerdotibus voluit iudicare*; eademque etiam Martini Turonensis, uti testatur Severus *Hist. sac. l. 2. c. 50. t. 2. p. 263. ed. Veron. 1754.* Abutuntur autem auctoritate Patrum quorundam ii, qui iudiciariam potestatem Ecclesie negant, eorumque sententias detorqueant, praveque interpretantur. Nam locus Lactantii *de Divin. instit. l. 5. c. 20. tom. 1. p. 412. ed. Paris. 1748.* pertinet ad infideles, qui invitati ad fidem compelli non possunt; Chrysostomus *de Sacerdot. l. 2. n. 3. opp. t. 1. p. 374. ed. Montfaucon. Paris.* non negat imperium, & potestatem Ecclesie, quam imo certam habet, cum illud Apostoli ad *Timot. 4. præcipe, ac doce* ita explicat *Homil. 13. n. 1. p. 617. t. 11. vides ut imperare sacerdotum necesse sit*; tantum dicit Ecclesiam non habere potestatem arcendi homines à delictis, & si haberet, eam inutilem futuram, "cum Deus noster non necessitate submotus, à peccato, sed propria sese sponte abstinens sit remuneraturus." Hieronymus in *can. 23. caus. 23. qu. 5.* inquit; quod *regum proprium officium est facere iudicium, & justitiam*, non id dicit quasi id tantum ad reges, non etiam ad Ecclesiam pertinet. *Tom. III.*

tinere statuat; imò in *Jerem. l. 4. c. 22. opp. t. 4. col. 987. ed. Vallarsii Veron.* quidquid regibus in Scriptura, id & Sacerdotibus datum ostendit. Denique Bernardus *de Consider. ad Eug. l. 1. c. 6. col. 417. ed. Paris. Mabillon*, inquit: *stetisse denique lego Apostolos judicandos, sedisse judicantes non lego*; non ut judiciariam Ecclesiæ potestatem adimat, sed ut reprehendat eos, qui neglectis illis, quæ potiora sunt, judicandi studio rapiuntur. Atque ad hæc fere revocari omnia possunt Patrum loca, quæ contra judiciariam Ecclesiæ potestatem opponuntur.

(2) Confer ea, quæ paulo ante diximus de legibus à Constantino, Theodosio, & Arcadio, ac Marciano latis. His vero adde leges Constantii ac Theodosii, quæ sunt *L. 12. & L. 47. cod. Theod. de Episc. & cleric.*, tum Justiniani *Novellam 76.*, quæ ad Monachos pertinet, qui tantum Episcopali judicio subduntur, præterea leges, quas à Theoderico licet Gotho, & Ariano editas memorat Cassiodorus *Var. l. 1. Ep. 9. p. 7. tom. 1. ed. Rotomag. 1679.* Quod si aliquando clericos ad laicos magistratus ivisse, memoriæ proditum est, id quidem aut per vim, & injuriam factum est, aut factum à clericis audacibus, & protervis, qui se despiciere impune putabant posse ecclesiastici judicis imperium, aut interdum etiam ab ipsis Ecclesiæ magistratibus, ut civilis quoque magistratus imperio homines in officio continerentur, eorumque sententiæ exitum haberent faciliorem. Atque huc referenda sunt exempla universa, quæ de hoc rerum genere ex ecclesiastica historia desumi possunt.

(3) Huc spectat Lex Constantini, cujus feci paulo ante mentionem, quæque extat in Codice Theodosiano *de Episcop. jud.*, præterea *L. 8. & 9. Cod. de Episcop. audien.* Repete etiam ea, quæ paulo ante de Augustino, deque Ambrosio dicta sunt.

§. XXIV. Nam Ecclesiæ potestas, atque judicium tantum pertinet ad res sacras, ac divinas, atque ad personas clericorum, qui non nisi Ecclesiæ imperio subiciuntur. In controversiis laicorum mere civilibus, atque profanis nullæ sunt Ecclesiæ partes, sed eæ tantum spectant ad judicium, potestatemque laici Magistratus, cujus imperio illi, tamquam reipublice cives, subesse debent. Quare Ecclesia, cui nulla in his rebus jurisdictio est, eam exercere non potest, nisi acquirat consensu litigantium, & auctoritate Principis, qui civili reipublicæ imperat.

§. XXV. Atque intra hos quidem fines, & leges utraque respublica suam semper exercuit potestatem, ec-

clesiastica in rebus sacris, & divinis, negotiisque clericorum, civilis in omnibus laicorum controversiis, quæ spiritualia non attingunt. Initio ecclesiæ judicia minoribus solemnitatibus acta fuisse videntur, ut celerius expedirentur. Hinc sæpe *ecclesiasticum* judicium *forensi* opponitur (1), quoniam ab illo procul aberant trixæ, & ambages, quæ forenses concertationem implicabant. Satis erat esse actorem, qui petitionem proponeret, reum, qui excluderet, judicem, qui rem nosceret, & sententiam ferret, ut omnis rei ratio conclusa haberetur. Non deerat quidem, quæ ex jure naturæ procedit, citatio rei, non deerat legitimi probationum exquirendarum modi, neque cetera opportuna remedia; sed judicium sine tot solemnitatibus, quas civiles leges invexerant, celeriter expediebatur.

(1) Ecclesiasticum judicium à forensi distinguunt S. Augustinus *ad Bonifac. l. 3. c. 5. opp. t. 10. col. 456. ed. Ven. cit.*, S. Leo M. *Ep. 2. ad Rustic. Narbonen. Inquis. X. col. 1424. t. 1. ed. Ballerin. 1753.* aliique complures. Sed hi omnes distinctionem hanc inter utrumque judicium adhibent, non quod ecclesiasticum verum non esset judicium; sed quod celerius, quam forensis expediebatur, neque in eo trixæ, ambagesque forenses obtinebant.

§. XXVI. Denique aucto litium numero, commodius visum est in judiciis ecclesiasticis certum ordinem, formamque constituere, atque in iis quasdam adhibere solemnitates, quæ partim à Jure civili desumptæ, partim ab Ecclesiasticis primum legibus constitutæ sunt. In primis autem Romani Pontifices ea de re laborarunt, proposita judiciorum methodo, quæ neque importuna brevitate officeret veritati, neque copia multiplici, & operosa solemnitatibus, ac formularum litigantes irriteret. Quam hæc methodus apta, & concinna sit, & quantum ei præstet, quæ à Jure civili procedit, omnes facile intellexerunt; ideoque illa summo omnium consensu etiam in foro civili ubique recepta est.

tinere statuat; imò in *Jerem. l. 4. c. 22. opp. t. 4. col. 987. ed. Vallarsii Veron.* quidquid regibus in Scriptura, id & Sacerdotibus datum ostendit. Denique Bernardus *de Consider. ad Eug. l. 1. c. 6. col. 417. ed. Paris. Mabillon*, inquit: *stetisse denique lego Apostolos judicandos, sedisse judicantes non lego*; non ut judiciariam Ecclesiæ potestatem adimat, sed ut reprehendat eos, qui neglectis illis, quæ potiora sunt, judicandi studio rapiuntur. Atque ad hæc fere revocari omnia possunt Patrum loca, quæ contra judiciariam Ecclesiæ potestatem opponuntur.

(2) Confer ea, quæ paulo ante diximus de legibus à Constantino, Theodosio, & Arcadio, ac Marciano latis. His vero adde leges Constantii ac Theodosii, quæ sunt *L. 12. & L. 47. cod. Theod. de Episc. & cleric.*, tum Justiniani *Novellam 76.*, quæ ad Monachos pertinet, qui tantum Episcopali judicio subduntur, præterea leges, quas à Theoderico licet Gotho, & Ariano editas memorat Cassiodorus *Var. l. 1. Ep. 9. p. 7. tom. 1. ed. Rotomag. 1679.* Quod si aliquando clericos ad laicos magistratus ivisse, memoriæ proditum est, id quidem aut per vim, & injuriam factum est, aut factum à clericis audacibus, & protervis, qui se despiciere impune putabant posse ecclesiastici judicis imperium, aut interdum etiam ab ipsis Ecclesiæ magistratibus, ut civilis quoque magistratus imperio homines in officio continerentur, eorumque sententiæ exitum haberent faciliorem. Atque huc referenda sunt exempla universa, quæ de hoc rerum genere ex ecclesiastica historia desumi possunt.

(3) Huc spectat Lex Constantini, cujus feci paulo ante mentionem, quæque extat in Codice Theodosiano *de Episcop. jud.*, præterea *L. 8. & 9. Cod. de Episcop. audien.* Repete etiam ea, quæ paulo ante de Augustino, deque Ambrosio dicta sunt.

§. XXIV. Nam Ecclesiæ potestas, atque judicium tantum pertinet ad res sacras, ac divinas, atque ad personas clericorum, qui non nisi Ecclesiæ imperio subiciuntur. In controversiis laicorum mere civilibus, atque profanis nullæ sunt Ecclesiæ partes, sed eæ tantum spectant ad judicium, potestatemque laici Magistratus, cujus imperio illi, tamquam reipublice cives, subesse debent. Quare Ecclesia, cui nulla in his rebus jurisdictio est, eam exercere non potest, nisi acquirat consensu litigantium, & auctoritate Principis, qui civili reipublicæ imperat.

§. XXV. Atque intra hos quidem fines, & leges utraque respublica suam semper exercuit potestatem, ec-

clesiastica in rebus sacris, & divinis, negotiisque clericorum, civilis in omnibus laicorum controversiis, quæ spiritualia non attingunt. Initio ecclesiæ judicia minoribus solemnitatibus acta fuisse videntur, ut celerius expedirentur. Hinc sæpe *ecclesiasticum* judicium *forensi* opponitur (1), quoniam ab illo procul aberant trixæ, & ambages, quæ forenses concertationem implicabant. Satis erat esse actorem, qui petitionem proponeret, reum, qui excluderet, judicem, qui rem nosceret, & sententiam ferret, ut omnis rei ratio conclusa haberetur. Non deerat quidem, quæ ex jure naturæ procedit, citatio rei, non deerat legitimi probationum exquirendarum modi, neque cetera opportuna remedia; sed judicium sine tot solemnitatibus, quas civiles leges invexerant, celeriter expediebatur.

(1) Ecclesiasticum judicium à forensi distinguunt S. Augustinus *ad Bonifac. l. 3. c. 5. opp. t. 10. col. 456. ed. Ven. cit.*, S. Leo M. *Ep. 2. ad Rustic. Narbonen. Inquis. X. col. 1424. t. 1. ed. Ballerin. 1753.* aliique complures. Sed hi omnes distinctionem hanc inter utrumque judicium adhibent, non quod ecclesiasticum verum non esset judicium; sed quod celerius, quam forensis expediebatur, neque in eo trixæ, ambagesque forenses obtinebant.

§. XXVI. Denique aucto litium numero, commodius visum est in judiciis ecclesiasticis certum ordinem, formamque constituere, atque in iis quasdam adhibere solemnitates, quæ partim à Jure civili desumptæ, partim ab Ecclesiasticis primum legibus constitutæ sunt. In primis autem Romani Pontifices ea de re laborarunt, proposita judiciorum methodo, quæ neque importuna brevitate officeret veritati, neque copia multiplici, & operosa solemnitate, ac formularum litigantes irriteret. Quam hæc methodus apta, & concinna sit, & quantum ei præstet, quæ à Jure civili procedit, omnes facile intellexerunt; ideoque illa summo omnium consensu etiam in foro civili ubique recepta est.

TITULUS II.

De judiciis & eorum divisione.

- | | |
|--|--|
| I. Judicium quid? Judex ordinarius, & delegatus. | V. Judicium ecclesiasticum, & saeculare. |
| II. Quis delegatum judicem constituat? | VI. Judicium possessorium, & petitorium. |
| III. Causæ notio, & mixtum imperium. | VII. Ordinarium, & summarium. |
| IV. Jurisdictio contentiosa, & voluntaria. | VIII. Civile, & criminale. |
| | IX. Judiciorum ordo. |

§. I.

Judicium vocamus ipsam causæ disceptationem, quæ in jure fit, quæque constare debet quatuor præsertim rebus, actore, reo, judice, & causa (1). Actor ille est, qui prior in judicium venit aliquid petiturus; reus, qui ab actore in jus vocatur, & à quo petitur; causa est ipsum quod petitur, & quod materiam judicio præbet; judex autem ille est, coram quo disputamus, & cujus decreto res absolvenda, ac definienda est. Hic si jure sui magistratus cognoscendarum, finiendarumque controversiarum habeat potestatem, Judex ordinarius, si non propriam, ac suam habeat, sed ab alio mandatam, & commissam, delegatus appellatur. De utroque duo sunt tituli in Decretalibus.

(1) *Cap. 10. de Verbor. signific.*

§. II. Mandat hanc potestatem ordinarius judex, qui eam suo jure habet, & mandat utiliter, non omnibus sine delectu, sed illis qui judices dari possunt (1). Qui non propriam, & suam habet jurisdictionem, sed ab alio mandatam, is eam alteri mandare non potest (2); nisi procedat ab ipso Principe, cujus delegatus alterum recte delegat (3).

(1) *L. 2. & 4. ff. de Offic. ejus cui mandat. jurisd. L. 5. ff.*

de Jurisd. Confer Donellum de Jur. civil. l. 17. c. 8. §. 2. & 5. opp. t. 4. col. 1117. & 1128. ed. Lucae 1764.

(2) *L. ult. ff. de Offic. ejus, cap. 62. de Appellat.*

(3) *L. 5. Cod. de Judic., cap. 28. de Offic. & potest. delegat.*

§. III. Præter judicandi potestatem, quam notionem dicimus, inest etiam in judice jurisdictio, & jus modicæ coercionis, per quam sui munus officii exsequi, ac tueri possit, atque in eos, qui parere recusant, animadvertat. Modica hæc coercitio mixtum imperium dicitur (1), quod semper jurisdictioni, sed non semper judicandi potestati cohæret (2). Sunt enim Judices, qui solam habent notionem, non item jurisdictionem; & hi tantum rem controversam cognoscunt, atque definiunt, imperium, quo sententiam exequantur adjunctum non habent, ac proprie non jus dicere, sed judicare dicuntur (3).

(1) Mixtum imperium dicitur, quod jurisdictioni admixtum est, ab eaque separari non potest *L. 1. in fin. ff. de Offic. ejus cui mand. est jurisd., L. 3. ff. de Jurisdic.* Frustra enim Magistratus causam cognosceret, atque aliquid decerneret, si non posset exequi sententiam, suæque jurisdictioni parere recusantes coercere. Itaque verissime Paulus in *L. ult. de Offic. ejus cui mand.* inquit, sine modica coercionem nullam esse jurisdictionem, quoniam hæc sine illa expediri, atque explicari non potest; & huc spectat Innocentius III. in *cap. 28. de Offic. & potest. delegat.* Consule Averanum *Interpr. jur. l. 1. c. 4. t. 1. p. 23. ed. Lugdun. Batav. 1753.* Donellum *de Jur. civil. l. 17. c. 6. §. 6. opp. t. 4. p. 1088. ed. Lucae,* & Scipionem Gentilem *de Jurisdic. l. 1. c. 4. & 5. opp. t. 3. p. 7. et seq. ed. Neapol. 1764.* Varia autem sunt modicæ coercionis genera, quæ, præter ceteros, diligenter explicat Scipio Gentilis *l. cit. c. 6. seq. p. 11. et seq.*

(2) *L. 5. ff. de Re judic.*

(3) *L. 4. §. ult. ff. de Interrogat. action., L. 57. ff. de Re judic. Consule Averanum l. cit. c. 5., & Scipionem Gentilem de Jurisdic. l. 1. c. 28. opp. t. 3. p. 82. ed. Neap. 1764.*

§. IV. Est autem jurisdictio vel voluntaria, vel contentiosa (1); illa ex re appellata, quæ in volentes exercetur, ut fit in adoptionibus in mulierum, minorumve contractibus, in ceteris generis ejusdem. Cuncta hæc

geruntur extra iudicium, atque inter volentes, & à Magistratu confirmantur, ut eorum rata firma auctoritas sit (2). Contentiosa iurisdictio ex re item dicta in invitos, & contententes exercetur, eique locus est in iudiciis, quæ in invitos redduntur, & utriusque litigantis contentionem, & disceptationem habent de re controversa.

(1) Hugo Donellus *l. cit. c. 8. §. 7. p. 1124.* adjicit etiam mixtam, vel intermediam jurisdictionem, quæ in dandis tutoribus, aut curatoribus versatur; sed tertium hoc jurisdictionis genus inutile esse, observat Scipio Gentilis *l. cit. c. 18. p. 43.*

(2) Ex iis vero quædam sunt, quæ solam Magistratus auctoritatem, & approbationem, quædam, quæ permissum causa cognita, & uno verbo Magistratus decretum postulant. Cuncta explicat Donellus *l. c. §. 9. p. 1126.*

§. V. Iudiciorum summa divisio est, ut alia ecclesiastica, alia sæcularia sint. Ecclesiasticum iudicium agitur in foro Ecclesiæ, & in eo quæritur de causis ecclesiasticis, sive quod hæc natura sua ecclesiasticæ sunt, sive quod sunt causæ clericorum. Sæculare iudicium est, in quo de rebus mere temporalibus coram laico iudice disputatur. Utraque iudicia multifariam dividuntur, & primo quidem in possessoria, ac petitoria.

§. VI. Possessorium iudicium est, in quo de sola possessione, aut quasi possessione quæritur, sive adipiscenda, sive retinenda, sive recuperanda. Possessio est rerum corporalium, quasi possessio incorporalium. Petitorium, quod *dominii litem* Jurisconsultus (1) appellat, est, in quo de proprietate, vel de alio jure seorsim à possessione disputamus. Nam proprietatem nihil commune habet cum possessione (2); licet interdum majores quidam iudices utramque conjungant. Separata autem de possessione quæstio illud efficit, ut eo finito iudicio, atque uni data possessione, victus debeat in petitorio iudicio jus suum ostendere, quod nisi præstiterit, res manebit apud possessorem (3).

(1) *L. 18. ff. de Usuris.*

(2) *L. 12. ff. de Acquiren. possess.*

(3) §. 4. *Instit. de Interdict.*

§. VII. Dividuntur etiam iudicia in ordinaria, quæ & solemnia, atque in summaria, quæ & extraordinaria appellantur. Ordinaria sunt, in quibus acta omnia, & solemnia quæ in iudiciis leges prescribunt, observantur, tum in iis, quæ intimam iudicii naturam, tum in iis, quæ solemnitates attingunt. Summaria iudicia sunt in quibus multiplices illæ solemnitates omittuntur, eaque tantum servantur, quæ sunt ad iudicii naturam, hoc est ad noscendam veritatem necessaria (1).

(1) Hæc quidem à Jure Civili, & Canonico divisio, iudiciorum traditur. Sed Pragmatici in foro iudicia dividunt in ordinaria, summaria, summarissima, executiva. Et summaria quidem, atque ordinaria iudicia in iis, quæ ad ordinem pertinent, apud nos fori usum fere inter se conveniunt.

§. VIII. Denique iudicia alia sunt civilia, alia criminalia, quoniam omnia vel distrahendarum controversiarum, vel malefactorum puniendorum causa reperta sunt. Civilia pertinent ad privatorum controversias dijudicandas, criminalia vero crimina persequuntur, poenasque irrogant vindices sceleris, & violatæ publicæ tranquillitatis.

§. IX. Iudiciales disceptationes ordine noscendæ, expediendæque sunt; quoniam ex inordinata rerum ratione oritur confusio, quæ jura potius obscurat, quam explicat litigantium. Ordo hic iudicium etiam dicitur, & passim processus appellatur. Est autem compositio rerum aptis, & accomodatis locis, ut procul sit confusio, & perturbatio, noscatur veritas, ac suum cuique tribuatur. Et sane iudiciarius ordo à legibus est constitutus, quem iudicem ita dirigere, & moderari oportet, ut litigantes in recta justitiæ semita insistant (1); qua in re nihil pro arbitrio, sed omnia canonum, legumque auctoritate agenda sunt.

(1) *Cap. 19. de Judic., cap. 22. de Accusation.*

TITULUS III.

De procuratoribus.

- I. Quis Procurator? Plures Procuratorum species.
 II. Tam unus, quam plures Procuratores constituuntur.
 III. Qui procuratores esse possint?
 IV. In quibus causis adhibeantur?
 V. Quomodo officium procuratoris exspiret?
 VI. Syndici Universitatum procuratores sunt.
 VII. In quibus syndici differant à procuratoribus privatorum?

§. I.

Judicia aut per nosmetipsos, aut per procuratores exercemus. Procurator, quem *alieni juris vicarium* eleganter Cicero appellat (1), ab Ulpiano definitur, qui aliena negotia mandato domini administrat (2). Constituitur vel ut certum negotium expediat, vel ut omnia gerat, & curet; hic generalis, ille autem specialis appellatur. Rursus procurator judicialis est, si alienam litem judicio persequitur, extrajudicialis, si aliena negotia extra judicium conficit. Generalis procurator tum judicialibus, tum extrajudicialibus rebus præpositus intelligitur, non tamen iis, quæ speciale mandatum requirunt (3). Datus autem cum libera administratione omnia fere potest, quæ ipse dominus, & ideo quamquam donare nequeat (4), tamen res domini alienare potest, non solum cum id necessitas, sed etiam cum utilitas mandantis postulat (5). Sine hac libera administrationis potestate generalis procurator recte distrahit tantum fructus, & cetera, quæ facile corrumpuntur (6).

(1) Cicero *pro A. Cæcina* n. 20. *opp. t. 4. p. 629. ed. Genevæ 1744.*

(2) *L. 1. ff. de Procurat.*

(3) *Cap. 5. de Procurat. in 6.*

(4) Donare enim potius est perdere, quam administrare *L. 28. §. ult. ff. de Pactis, L. 7. §. 3. ff. de Donation.*

(5) *L. 60. §. Lucius ff. Mandat., L. 38. ff. de Procurat.,*

L. 9. §. 4. ff. de Acquirend. domin., §. 43. Inst. de Rer. divois.

(1) *L. 63. ff. de Procurator. Confer Voetium in Pandect. l. 3. tit. 3. §. 7.*

§. II. Procurator interdum unus, interdum plures, iique aut conjunctim, aut in solidum constituuntur. Ubi conjunctim, & eodem tempore omnes constituti sunt, alter sine altero nihil agere potest, exceptis causis electionum, postulationum, provisionum, aliorumque ecclesiasticorum negotiorum, in quibus unus ex pluribus admittitur (1); ubi in solidum, potior habebitur qui litis contestatione negotium occupavit, nisi secus mandato cautum sit (2). At procuratore uno primum, deinceps altero constituto prioris mandatum revocatum videtur (3).

(1) *Cap. 6. §. Sane de Procurat. in 6.*

(2) *Cap. 6. mox. laudat.*

(3) *Cap. 14. de Procurat.*

§. III. Omnes autem, qui expresse non prohibentur, procuratores esse possunt. Prohibentur autem expresse eo munere in judicio fungi excommunicati (1); qui etiam in jus vocati per alium respondere debent (2), minores annis vinctiquinque (3), infames (4), mulieres (5), milites (6), fiscus, respublica, ceteri potentiores, qui adversarium opprimere possunt (7), reus criminis constitutus, nisi se primum purgaverit (8), reipublicæ causa abfuturus (9), monachus, nisi qua agatur monasterii causa idque monasterii præfectus probet (10), Episcopus, & Sacerdotes (11), postremo omnes clerici apud sæculares judices, nisi pro Ecclesiæ suæ, aut propria causa, vel necessitate coacti pro conjunctis, & miserabilibus personis procuratoris officium gerant (12).

(1) *Cap. 13. §. credentes de Heretic., cap. 7. de Probat., cap. 1. de Except. in 6.*

(2) *Cap. 7. de Judic.*

(3) *Cap. 5. §. ult. de Procurat. in 6.*

Tom. III.

(4) *Can. 1. & 2. c. 3. qu. 7.*; cum tamen jure civili Justiniani infamia, nisi manifesta sit, procuratori non obstat §. *ult. Inst. de Except.* sed jam fori civilis usus jus canonicum recepit. Confer Gaillium *l. 1. obst. 43. n. 7. & 8.*, & Gudelinum *de Jur. novis. l. 4. c. 4. n. ult.*

(5) *L. 18. & 21. cod. de Procurator.* Quidam tamen excipiunt casus in *Leg. 41. ff. de Procurat. & in L. 4. cod. eod.* Consule Donnellum *de Jur. civil. l. 18. c. 11. opp. t. 5. ed. Lucæ col. 191. & seq.*, ibique Hilligerum *in Not.*, qui omnes enumerant, quos civiles leges a procuratoris munere repellunt.

(6) *L. 8. §. Veterani ff. de Procurator., L. 7. cod. eod.* Quomodo autem nunc nostris moribus a procuratoris officio milites repellantur, explicat Hilligerus *l. c. not. 3. col. 193.*

(7) *L. 1. & tot. tit. codicis Ne lic. potest. patroc. litig. præs., L. 3. tot. tit. codicis Ne fisc. vel republ.* Consule Cujacium *in cod. l. 2. tit. 13. opp. t. 2. col. 95. & seq. & observat. l. 8. c. 31. t. 3. col. 195. & 196. ed. Ven. 1578.*

(8) *L. 6. cod. de Procurat.*

(9) *L. 8. §. Procuratorem, & L. 54. ff. de Procurator.*

(10) *Can. 35. c. 16. qu. 1.*

(11) *Can. 3. c. 5. qu. 3., cap. 3. & 4. Ne cleric. vel monach.*

(12) *Cap. 1. & ult. de Postulan., cap. 2. & 4. Ne cleric. vel monach.* Atque hæc quidem vetus est Ecclesie disciplina etiam Justiniano probata *Novel. 123. c. 6.*

§. IV. Adhibentur procuratores in causis omnibus, tam sæcularibus, quam ecclesiasticis (1), quin etiam criminalibus, in quibus agitur civiliter, non criminaliter (2). Jure civili mandato, quod solo consensu constat (3), procurator constituitur; sed Jure canonico scripto opus est (4). Quæ jurisprudentia obtinet etiam in foro civili, neque nunc procurator admittitur sine scripto mandato, quamquam de rato cautionem offerat (5). Servatis mandati finibus, quidquid procurator gessit ratum firmum est, sive domino noceat, sive prosit (6).

(1) *Cap. 2. de In integr. restit.*

(2) *Cap. 5. de Procurat., cap. 16. de Accnsatione.* Late hoc argumentum de adhibendis, aut non adhibendis in criminali judicio procuratoribus persequuntur Donellus *de Jur. civil. l. 18. c. 10. §. 8. & seq.* ibique Hilligerus *Not. 5. opp. t. 5. col. 176. & seq.*, & Voetus *in Pandect. l. 3. tit. 3. §. 14. et 15.*

(3) *Instit. l. 3. tit. 23. Paulus Receipt. sentent. l. 1. tit. 3. apud Schultigium Jurisprud. vet. ante justinian. t. 1. p. 223. ed. Lipsiæ 1737.*

(4) *Cap. 1. de Procurat.*

(5) Consule Voetum *l. c. §. 10.*

(6) *Cap. 1. cit.*

§. V. Expirat procuratoris officium mutuo consensu (1); mandato à domino revocato, si res integra adhuc sit, quia post litem contestatam procurator liti dominus efficitur, ac non nisi ex justa causa removeri potest, veluti si sit suspectus, aut impeditus, vel morbo teneatur (2); mortuo mandante, cum res est integra (3), re autem non integra expirare mandatum potest, si prælatus, vel alius pro ecclesia, aut beneficio procuratorem constituerint, posteaque ex hac vita migraverint (4); per renunciationem procuratoris justas ob causas factam, aut per ejus obitum, quoniam mandatum ad heredes non transit (5), denique si dominus litem per se agere velit (6).

(1) *L. 24. ff. de Procurat.*

(2) *L. 22. C. de Procurat., L. 17. et seq. ff. cod., cap. 2. eod. in 6.*

(3) *L. 23. C. de Procurat.*

(4) *Cap. 1. et ult. Ne sed. vacan., Clem. ult. de Procurat.*

(5) *L. 27. §. Mort. ff. Mandat.*

(6) *Cap. 8. de Procurat. in 6.*

§. VI. Procuratores universitatis syndici (1) appelluntur; atque hoc inter singulos, interque universitates discrimen est, quod illi regulariter non coguntur procuratorem dare (2), sed universitates, & collegia judicio experiri non possunt, nisi syndicum constituerint (3). Cum enim universitas personæ tantum vices gerat, uti naturaliter consentire nequit (4), ita naturaliter pro se agere, ac semetipsam defendere non potest (5). Accedit quod à cunctis tractata universitatis negotia perpetuo dissensu facile turbarentur, ac supervacaneum visum est, plures à propriis abstrahi negotiis,

(4) *Can. 1. & 2. c. 3. qu. 7.*; cum tamen jure civili Justiniani infamia, nisi manifesta sit, procuratori non obstat §. *ult. Inst. de Except.* sed jam fori civilis usus jus canonicum recepit. Confer Gaillium *l. 1. obst. 43. n. 7. & 8.*, & Gudelinum *de Jur. novis. l. 4. c. 4. n. ult.*

(5) *L. 18. & 21. cod. de Procurator.* Quidam tamen excipiunt casus in *Leg. 41. ff. de Procurat. & in L. 4. cod. eod.* Consule Donnellum *de Jur. civil. l. 18. c. 11. opp. t. 5. ed. Lucæ col. 191. & seq.*, ibique Hilligerus *in Not.*, qui omnes enumerant, quos civiles leges à procuratoris munere repellunt.

(6) *L. 8. §. Veterani ff. de Procurator., L. 7. cod. eod.* Quomodo autem nunc nostris moribus à procuratoris officio milites repellantur, explicat Hilligerus *l. c. not. 3. col. 193.*

(7) *L. 1. & tot. tit. codicis Ne lic. potest. patroc. litig. præs., L. 3. tot. tit. codicis Ne fisc. vel republ.* Consule Cujacium *in cod. l. 2. tit. 13. opp. t. 2. col. 95. & seq. & observat. l. 8. c. 31. t. 3. col. 195. & 196. ed. Ven. 1578.*

(8) *L. 6. cod. de Procurat.*

(9) *L. 8. §. Procuratorem, & L. 54. ff. de Procurator.*

(10) *Can. 35. c. 16. qu. 1.*

(11) *Can. 3. c. 5. qu. 3., cap. 3. & 4. Ne cleric. vel monach.*

(12) *Cap. 1. & ult. de Postulam., cap. 2. & 4. Ne cleric. vel monach.* Atque hæc quidem vetus est Ecclesie disciplina etiam Justiniano probata *Novel. 123. c. 6.*

§. IV. Adhibentur procuratores in causis omnibus, tam sæcularibus, quam ecclesiasticis (1), quin etiam criminalibus, in quibus agitur civiliter, non criminaliter (2). Jure civili mandato, quod solo consensu constat (3), procurator constituitur; sed Jure canonico scripto opus est (4). Quæ jurisprudentia obtinet etiam in foro civili, neque nunc procurator admittitur sine scripto mandato, quamquam de rato cautionem offerat (5). Servatis mandati finibus, quidquid procurator gessit ratum firmum est, sive domino noceat, sive prosit (6).

(1) *Cap. 2. de In integr. restit.*

(2) *Cap. 5. de Procurat., cap. 16. de Accnsatione.* Late hoc argumentum de adhibendis, aut non adhibendis in criminali judicio procuratoribus persequuntur Donellus *de Jur. civil. l. 18. c. 10. §. 8. & seq.* ibique Hilligerus *Not. 5. opp. t. 5. col. 176. & seq.*, & Voetus *in Pandect. l. 3. tit. 3. §. 14. et 15.*

(3) *Instit. l. 3. tit. 23. Paulus Recept. sentent. l. 1. tit. 3. apud Schultigium Jurisprud. vet. ante justinian. t. 1. p. 223. ed. Lipsiæ 1737.*

(4) *Cap. 1. de Procurat.*

(5) Consule Voetum *l. c. §. 10.*

(6) *Cap. 1. cit.*

§. V. Expirat procuratoris officium mutuo consensu (1); mandato à domino revocato, si res integra adhuc sit, quia post litem contestatam procurator liti dominus efficitur, ac non nisi ex justa causa removeri potest, veluti si sit suspectus, aut impeditus, vel morbo teneatur (2); mortuo mandante, cum res est integra (3), re autem non integra expirare mandatum potest, si prælatus, vel alius pro ecclesia, aut beneficio procuratorem constituerint, posteaque ex hac vita migraverint (4); per renunciationem procuratoris justas ob causas factam, aut per ejus obitum, quoniam mandatum ad heredes non transit (5), denique si dominus litem per se agere velit (6).

(1) *L. 24. ff. de Procurat.*

(2) *L. 22. C. de Procurat., L. 17. et seq. ff. cod., cap. 2. eod. in 6.*

(3) *L. 23. C. de Procurat.*

(4) *Cap. 1. et ult. Ne sed. vacan., Clem. ult. de Procurat.*

(5) *L. 27. §. Mort. ff. Mandat.*

(6) *Cap. 8. de Procurat. in 6.*

§. VI. Procuratores universitatis syndici (1) appelluntur; atque hoc inter singulos, interque universitates discrimen est, quod illi regulariter non coguntur procuratorem dare (2), sed universitates, & collegia judicio experiri non possunt, nisi syndicum constituerint (3). Cum enim universitas personæ tantum vices gerat, uti naturaliter consentire nequit (4), ita naturaliter pro se agere, ac semetipsam defendere non potest (5). Accedit quod à cunctis tractata universitatis negotia perpetuo dissensu facile turbarentur, ac supervacaneum visum est, plures à propriis abstrahi negotiis,

& communi vacare causæ universitatis, cui tractanda potuit unus sufficere. Ea de causa cum olim nondum liceret alieno nomine iudicio experiri, tamen pro universitate licebat (6).

(1) Extat in decretalibus Gregorii IX. titulus *de Syndico*, & ejus quoque mentio est in *L. 6. §. Sed si ita ff. Quod cujusque universit.*, et in *L. 18. §. 13. ff. de Muner. et honor.* Dicitur etiam universitatis actor in *L. 74. ff. de Procurator.*, et in *L. 6. §. Quod si et alt. ff. Quod cujusque univers.*, & Ecdicus in *L. 30. cod. de Episc. audien.*, & *Novel. 15.* apud Dionysium Gothofredum, cujus *Novellæ Græca* inscriptio est *πρωτοδικος*, & defensor in *L. 18. §. 13. ff. de Munerib. et honor.*, & procurator universitatis, præcipue si monasterii actor sit *Novel. 123. c. 27.* Apocrisarii etiam appellantur syndici *Novel. 123. c. 25.*, et *Novel. 6. c. 2.*, & responsarii *cit. Novel. 123. c. 42.*, et *Novel. 133. c. 5.* Est ergo Syndicus, qui universitatis causam agit mandato ipsius, atque is interdum ab actore distinguitur, quod hic certæ causæ, ille autem universis negotiis tractandis præpositus est. Apud Græcos syndici dicebantur, qui ad leges suadendas à Populo electi erant, ut observat Carolus Sigonius *de Republic. Atheniens. l. 4. c. 6. fere in princ.* Confer etiam *Du-Cangium Glossar. v. Syndicus.*

(2) *Cap. 2. de Procurat.*

(3) *Cap. 7. eod.*

(4) *L. 1. §. 1. ff. de Libert. universit.*

(5) *Arg. cit. L. 1. §. 1., et L. 1. §. ult. ff. de Acquir. vel amitt. posses.*

(6) *Inst. de his per quos agere possumus in princ.*

§. VII. Quæ de procuratoribus dicta sunt, ea generatim ad syndicos quoque pertinent; verum in nonnullis inter se differunt. Nam syndicus ab universitate, aut collegio per suffragia majoris partis eligitur (1), procurator ab uno, alterove, cujus negotium gerendum est, sola nominatione constituitur (2), ille necessario eligendus est (3), etiam criminale iudicium exercet pro universitate, si quod ei crimen impingitur (4), suam jurejurando fidem obstringit (5), & cum à collegiis ordinatis, ut plurimum, ad quascunque causas detur, publicum hoc modo officium sustinet (6). Verum procurator non juris necessitate, sed domini arbitrio, ac voluntate constituitur, repellitur, sicuti supra demonstratum est, à

criminali iudicio, non suam obligat sacramento fidem, sed mandantis, denique privatum officium gerit.

(1) *Cap. de In integr. restit.*

(2) *Clem. 1. de Procurat.*

(3) *Cap. unic. de Syndic.*

(4) Confer *Wessembecium Paratit. ff. Quod cujusque univers. num. 6.*

(5) *Cap. 3. & 4. de Juram. calumn.*

(6) *Cap. unic. de Syndic.*

TITULUS IV.

De foro competenti.

- | | |
|---|--|
| I. Quid forum competens? | X. Causæ Episcoporum Summo Pontifici reservatæ. |
| II. Causæ de fide, divino cultu ecclesiæ disciplina, ceteris ejusmodi. | XI. Causæ viduarum, pupillorum, miserabilium personarum. |
| III. & IV. Causæ matrimoniales. | XII. Reus vocandus ad iudicem, cui subest. |
| V. Causæ beneficiariæ. | XIII. Iudex domicili. |
| VI. Causæ decimarum, & funerariæ. | XIV. Contractus, |
| VII. Causæ de immunitate ecclesiæ, de ejus bonis alienandis, de ejus privilegiis, ac juribus, de vita, & institutis clericorum. | XV. Delicti, |
| VIII. Causæ majores. | XVI. Loci rei controversæ, |
| IX. Causæ temporales Clericorum. | XVII. Ex privilegio. |
| | XVIII. Continentia causæ. |
| | XIX. Prorogatio jurisdictionis ex consensu litigantium. |

§. I.

Illud in primis, cum aguntur iudicia curandum est diligenter, ut ea coram legitimo iudice, sive in competenti foro exerceantur. Nam acta in foro non competenti nullius momenti sunt, & impune non paretur iudici dicenti jus inter eos, in quos jurisdictionem non habet (1). Forum, seu forus (2), & exercendæ negotiationis & agentiarum litium locus fuit (3). Nobis de iudiciis agentibus forus est iudiciorum locus, qui sæpe pro ipso iudicio sumitur. Competens autem forum est

idem ac forum proprium, scilicet ubi iudex suam exercere jurisdictionem potest, & in quo reus conveniendus est (4).

(1) *L. ult. ff. de Jurisdic. l. ult. cod. Si à non competen. judic. can. 7. caus. 2. qu. 1., can. penul. caus. 11. qu. 1.*

(2) Forum, & forus latine dicitur, uti loquitur Isidorus *c. 18. de Verb. signific.*, quem immerito reprehendit Poletus *Histor. for. Roman. l. 1. c. 1.*; nam virile ejus nominis genus egregiis Latinorum scriptorum testimoniis ostendit Cajacius *in tit. Decret. de For. compet. opp. t. 6. col. 773. ed. Mutin.*

(3) Confer præ ceteris Poletum *l. c. l. 1. c. 1. & seq.* In eodem foro, in quo res venales exponebantur, initio jus dictum fuisse, tradit Innocentius Cironius *in Paratitl. Decretal. de For. competen.*

(4) Hinc proprius Iudex competens dicitur *in L. 19. ff. de Jurisd.*, & competens tribunal *in L. 35. §. Non solum ff. de Procur.* Iudex autem non competens incongruus appellatur *in L. 1. Cod. de Jurisd. omn. jud.*

§. II. Competentem autem forum, & iudicem facit in primis natura causæ, de qua quæritur, & persona rei, qui in iudicium vocatur. Causa si spiritualis sit, vel conjuncta rebus spiritualibus, tantum ab ecclesiastico iudice noscenda, ac definienda est. Quare ad eum in primis pertinent causæ de fide, de religione, aut cultu divino, de sacramentis, de sacris ritibus, de Ecclesiæ disciplina. Nam eas cognoscendi potestas pendet à jure clavium, quod solis sacerdotibus à Christo concessum est (1)

(1) Præclara ea de re sunt Osii Cordubensis Episcopi verba apud Athanasium *in Histor. Arianorum ad Monachos n. 44. opp. t. 1. par. 1. p. 293. ed. Patav. 1778.* "Tibi Deus, inquit, imperium, commisit, nobis, quæ sunt Ecclesiæ, concedidit. Et quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divine, ita & tu cave, ne quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias." Sapienter etiam Joannes VIII. *in can. 11. dist. 96.* "Si Imperator, inquit, catholicus est, filius est, non præsul ecclesiæ: quod ad religionem competit, discere ei convenit, non docere. . . . Ad sacerdotes enim Deus voluit, quæ Ecclesiæ disponenda sunt, pertinere, non ad sæculi Potestates; quas, si fideles sunt, ecclesiæ suæ sacerdotibus voluit esse subjectas."

Confer Cabassutium *Theor. & prax. jur. canon. l. 1. c. 9. n. 15. & 16., de Marca Concord. sacerdot. & imper. l. 2. c. 1. n. 4. & seq., Doujatium Prænot. can. l. 2. c. 2.*

§. III. Verum ex causis sacramentalibus vix ullæ ad forum contentiosum deferuntur, exceptis causis matrimonialibus, quæ per cursum, ordinemque judiciale expediantur. Harum autem matrimonialium controversiarum, de quibus institui solent judicia, triplex est genus. Aliæ enim vim ipsam iacti fœderis, ac firmitatem attingunt; & hæ cum respiciant naturam intimam sacramenti, tantum in ecclesiastico foro tractandæ sunt (1). Aliæ pertinent ad vim sponsalium, atque ad jus instituendi divortii quoad torum, ac mutuam habitationem; & hæ similiter ecclesiastico iudicio noscendæ, definiendæque sunt (2). Nam respectum habent ad sacramentum matrimonii, quoniam ad illud contrahendum sponsalibus obligamur, ac per divortium jura utrique conjugum matrimonio quæsitæ relaxantur.

(1) *Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos, anathema sit*, inquit Synodus Tridentina *sess. 24. can. 12. de Matrim. Tum sess. 24. c. 20. de Reform.* hujusmodi causas non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum iudicio commitendas, sed ab uno Episcopo cognoscendas esse statuit. Atque hoc quidem perpetuum Ecclesiæ jus fuit. Cum inter Lotharium, & Teuthbergam de vi matrimonii inter eos initi quæreretur, actum ea de re est in synodo Aquisgranensi *an. 860. & 862.* apud Labbæum *t. 10. col. 140. & 209.*, cumque ab ejus sententia Teuthberga provocasset ad Nicolaum I. Summum Pontificem, ipse hanc controversiam *seculari iudicio* submitti non debere respondit, eamque commisit Synodo Metensi *ep. 23.* apud Labbæum *t. 10. Concil. col. 1413.* Confer etiam acta Concilii Remensis apud Ordericum Vitalem *l. 12. p. 859.*, inter *Script. antiq. Hist. Norman. Duchesniæ ed. Paris. 1619.*, & Alexandrum II. *can. 10. c. 35. q. 6.* præterea opusculum Assisii editum *an. 1784. Su l' esenzione de' Regolarî &c. è su le cause matrimoniali*, quæque ipse scripsit *l. 2. sect. 9. §. 114. seq. not. t. p. 185. & seq.*

(2) *Cap. 10. de Sponsal., Cap. 3. de Divort.*

§. IV. Aliæ denique sunt causæ, quæ aliquam qui-

dem habent cum matrimonio affinitatem, sed directo spectant res mere politicas, ac temporales. Hujusmodi sunt causæ de dote, de donatione propter nuptias, de hereditaria successione, alimentis, ceteris generis ejusdem; & hæc quidem sæculari judici committendæ sunt (1). Verum si qua interim, dum hæc in laicali foro expendantur, oriatur controversia de jure conubii, puta de impedimento dirimente, inchoato judicio supersedendum est, cunctaque ecclesiastico judici adscribenda sunt (2). At ecclesiasticus iudex ipse etiam cognoscit causas de hereditaria successione, de dote, de similibus, si qua de his rebus incidat disputatio, cum de vi matrimonii, aut jure ad divortium quæritur (3).

(1) Consule Bellarminum *l. unic. de Matrim. c. 32. p. 687. t. 3. opp. ed. Venet. 1721.*, & Tannerum *t. 4. disp. 8. n. 166.*

(2) Confer Altaserram *de Jurisd. eccles. l. 6. c. 3. §. superest.*, Renatum Choppinum *de Sac. polit. l. 2. tit. 1. n. 16.*, Annæum Robertum *Rer. judic. l. 3. c. 5.*, & *l. 4. cap. 10.*

(3) *Cap. 1. Qui filii sint legit. c. 3. & 7. de Donat. int. vir. & uxor.*

§. V. Causæ quoque beneficiaræ, quoniam spiritualibus accensentur, ad ecclesiasticum forum pertinent, sive de ipsa collatione, sive de instituendis, conjungendisve, aut dividendis beneficiis disputetur (1). Eadem est ratio causarum juris patronatus, quippe quæ spiritualibus adnexæ sunt (2). Sed in locis quibusdam sive expresso privilegio Apostolico, sive diuturna consuetudine ab Ecclesia tolerata inductum est, ut cum de his rebus possessorio judicio quæritur, laico judici, cum petitorium agitur, ecclesiastico committantur (3).

(1) Alexander III. *in c. 21. de Jurepatr.*, & *in ep. ad Epis. Gallie in append. Concil. Lateran. c. 33. t. 13. col. 626. Collect. Labbæi.*

(2) *Cap. 3. de Jud.*

(3) Consule Barbosam *Jur. Eccles. l. 1. c. 39. n. 161.*, & *seq. Thomassinum Vet. & nov. Eccles. disciplin. par. 2. l. 1. c. 36. n. 13.*, & Benedictum XIV. *de Synod. diocæs. l. 9. c. 9. n. 7.*

§. VI. Eodem loco sunt causæ decimarum; quinimo ecclesiastici judicis est laicos ad earum solutionem cogere (1): sed hæc quoque causæ, cum de possessione controversia est, alicubi vel privilegio, vel consuetudine à laico iudice expendantur. Par est ratio causarum funerariarum, in quibus agitur de concedenda, negandaque ecclesiastica sepultura, de ejus electione, de stabiliendo tempore efferendorum, humanorumque cadaverum, de usu crucis parochialis, de tollendis abusibus, qui forte irrepserunt, de juribus funerariis inter ecclesias, & clericos dividendis (2). Quin etiam laici imperio episcopalis fori coguntur ad præstandas oblationes, quæ dari solent, nisi eæ sponte offerantur (3).

(1) *Cap. 5. de Decim. Concilium Tridentinum sess. 25. c. 12. de Reform.*

(2) Vetus est regula, ut Ecclesia moderetur, & regat quæ ad fidelium sepulturam pertinent, ejusque legibus designetur locus, in quo illorum cadavera sepelienda sunt. Confer Concilium Bracarense I., quod aliis est II., *can. 18. tom. 6. col. 522. collect.* Labbæi, Arelatense VI. *can. 21. t. 9. col. 321.*, Moguntinum I. *in can. 18. caus. 13. q. 2.*, & Moguntinum II. *in can. 31. et 50. caus. 13. q. 2.*, Agrippinense seu Coloniense *in can. 28. dist. 1. de consecr.* Item Theodulphum Episcopum Aurelian. *in Capitulare ad suæ Parochiæ Sacerdotes c. 9.*, apud Labbæum *t. 9. col. 186.*, Hincmarum Remensem *in capitulis*, quæ edidit an. 852. *c. 12. apud Labbæum t. 10. col. 3. ed. Ven.*, Attonem Vercellensem *in capitul. can. c. 23.*, apud Dacherium *Spicileg. t. 8. p. 10. ed. Paris. 1668.*, Decretalium titulum *de Sepulturis*, aliaque sexcenta monumenta, ex quibus patet, semper ab Ecclesia de fidelium sepultura leges fuisse constitutas.

(3) *Cap. 42. de Simon.*

§. VII. Denique ecclesiastico foro addictæ sunt causæ, quæ clericorum vitam, & instituta respiciunt, itemque causæ de rebus Ecclesiæ alienandis, de ejus immunitate, similibusque juribus, ac privilegiis (1). Jure decretalium etiam profana negotia, quibus jusjurandum adjunctum est, propter religionem, ad ecclesiasticum iudicem deferenda sunt (2). Generatim ve-

ro non agitur adversus contractum, quem quis iurejurando firmavit, nisi primum ejus laxato vinculo, quod ab Ecclesiastica Potestate justis de causis fieri solet, agendi potestas data sit (3).

(1) Consule Gagliardum *Instit. Jur. canon. l. 3. tit. 7. n. 31. & seq.*

(2) *Cap. 13. de Judic. Cap. 3. de For. competen. in 6.*, Vide Benedictum XIV. *de Synod. dioces. l. 9. c. 9. n. 8.*

(3) Vide Gonzalez *in cit. Cap. 1. de Jurejur. n. 10.* Olim & contractus stipulatio, quæ sæpe coram ecclesiasticis notariis fiebat, plures laicorum lites ad episcopale judicium deferebat. Notariorum episcopatum usus antiquissimus in Ecclesia est, uti patet ex actis Conciliorum, & ostendit Valesius *in Not. ad Socrat. Histor. Eccles. l. 5. c. 22. p. 251. ed. Taurin. 1747.* Confer etiam S. Gregorium M. *in Sacrament. opp. t. 3. col. 70.*, & Menardum *in Not. 300. col. 343. ed. Paris. 1705.* In Capitulari Caroli M. an. 805. c. 3. apud Baluzium *Capitular. Reg. Franc. t. 1. col. 295. ed. Ven. 1772.* statutum est, ut unusquisque Episcopus, & Abbas, & singuli Comites suum Notarium habeant; quod etiam cautum est in *Capitular. l. 6. c. 256. ibid. col. 645.* Erant autem Episcopales Notarii ex ordine clericorum, quin etiam erant Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, cujus quidem rei multa collegerunt testimonia, & monumenta Thomassinus *Vet. & nov. Eccl. discipl. par. 1. l. 2. c. 106.*, & Muratorius *Antiq. Ital. dissert. 12. Innocentius III. Ep. 129. l. 14. t. 2. p. 366. ed. Baluzii 1682.* clericos in sacris ordinibus constitutos notarii munus vetuit exercere, quod cum dedecore ordinis ecclesiastici sæculari curiæ servirent, atque in profanis negotiis versarentur. Sed Thomassinus *l. c. n. 8.* simplicibus clericis nunquam notarii officium vetitum fuisse contendit, imo ne ipsis quidem Presbyteris, cum de ecclesiasticis rebus ageretur. Certe in profanis quoque negotiis notarii ecclesiastici, quod plus fidei, & peritiæ haberent, sæpissime adhiberi solebant; & hinc plures causæ, quæ propter rem ipsam, aut personas laici tribunalis propriæ fuissent, à Judice ecclesiastico cognoscebantur. Synodus Tridentina *c. 10. Sess. 22. de Reform. cum animadverteret, quod ex notariorum imperitiâ plurima damna, & multarum occasio litium oriantur, statuit, ut "possit Episcopus quoscumque notarios, etiam si apostolica, imperiali, aut regia auctoritate creati fuerint, etiam tanquam delegatus Sedis Apostolicæ examinatione adhibita, eorum sufficientiam scrutari, illisque non idoneis repertis, aut quando, cumque in officio delinquentibus, officii ejus in negotiis, litibus, & causis ecclesiasticis, ac spiritualibus exercendi usum perpetuo, aut ad tempus prohibere, neque eorum appellatio interdictionem*

, Ordinarii suspendat." Quod etiam sancivit Benedictus XIV. *Const. Ad militantis 48. §. 33. t. 1. ejus Bullar. p. 84. ed. Rom. seu Ven. 1754.*

§. VIII. Ex his autem, quas descripsi, causis spiritualibus quædam majores, gravioresque sunt, quarum judicio Summo Pontifici servatum est (1). Hujusmodi sunt controversiæ de fide, resque omnes, quæ ad disciplinam, rectamque gubernationem, & statum pertinent Ecclesiæ universæ. Non enim una omnibus fides esse potest sine judicio, & auctoritate ejus, quem Christus unitatis centrum constituit, & à quo disjuncta Ecclesiæ membra copulantur; neque alius cogere omnes potest ad eandem disciplinam, certamque administrationem, nisi qui toti Ecclesiæ præpositus est, & in omnes habet jurisdictionem.

(1) De majoribus quidem causis, quæ semper Apostolicæ Sedis judicio reservatæ fuerunt, innumera sunt testimonia, & antiquitatis monumenta. Multa ea de re dixi *l. 1. tit. 3. sect. 1. not. 4. p. 172.* Addam nunc Petrum Chrysologum *Ep. 25. ad Euthych. inter Leonin. t. 1. col. 777. ed. Ballerin.*, Julium I. P. *Ep. 1. ad Eusebian. apud Coustantium Ep. Pontif. Roman. col. 386.*, Innocentium I. *Ep. 30. ad Concil. Milevitan. n. 2. col. 896. ib. & Ep. 37. ad Felic. Nucerin. n. 1. col. 910.*, Sixtum III. *Ep. 10. ad tot. Illyric. Episc. n. 3. ib. col. 1272.*, Vigilium *Ep. 7. ad Auson. Arelat. apud Labbæum t. 5. col. 1300.*, Gelasium *in Commonitor. ad Faustum in Elem. Jur. can. P. Amort. t. 1. p. 502. ed. Ferrar. 1763.*, Gregorium M. *Ep. 7. l. 3. col. 630. Ep. 54. l. 5. opp. t. 2. col. 784. ed. Paris. 1705.*, Hilarium *Ep. 8. ad Metr. Gall. apud Labbæum t. 5. col. 66.*, Gregorium IV. *Ep. ad Gall. Germ. Episc. apud Labbæum t. 9. Concil. col. 682. Ven. ed.*, Avitum Viennensem *Ep. 36. in Biblioth. PP. t. 9. p. 578. ed. Lugdun.*, Sozomenum *Histor. l. 6. c. 22. p. 245. ed. Cantabrig. 1720.* Ejusdem quoque rei in ecclesiastica historia certissima monumenta sunt. Huc enim spectant, quæ de Irenæo, de Dionysio Alexandrino, de Patribus Concilii Antiocheni, qui propter errores Montani, & Sabellianorum Sedis Apostolicæ judicium postularunt, narrat Eusebius *Histor. l. 5. c. 3. & 4., & l. 7. c. 5., & 26. p. 213. 324. & 356. ed. Cantabrig. 1720.*, de proposita ab se contra Arianos legatione ad Damasum P. Basilius *Ep. 69. ad Athanas. Ep. Alex. opp. t. 3. p. 161., & Ep. 70. p. 173. ed. Paris. 1730.*, de Alexandro Episcopo Alexandrino Liberius *Ep. 4. ad Constant. n. 4. apud*

Constantium col. 426., de Gallorum ac Venetentium relationibus ad Silvestrum, deque legato ad semetipsum ex Oriente misso propter hæresim Apollinarii, Damasus Ep. 3. ad Orient. & Ep. 14. apud eundem Constantium col. 488. & 571., de controversia Spiritus Sancti Romanæ Ecclesiæ iudicio definita Sozomenus *Histor.* l. 6. c. 22. p. 245. ed. *Cantabrig.* 1720., de Joanne Hierosolymitano, Venerio, Mediolanensi, Theophilo Alexandrino, Anastasius Ep. 2. ad Joannem Hierosolym. apud eundem Constantium col. 723., & Hieronymus Ep. 78. ad Pammach. & Marcellam. opp. tom. 1. col. 577. ed. Vallarsii Veron. de causa Pelagii Epistola Concilii Carthaginensis inter epistolas Innocentii I. Ep. 26. apud eundem Constantium col. 873. & Ep. 28. col. 875., quæque ipse Innocentius I. scripsit in Ep. 29. ad Conc. Carthag. col. 888. et Ep. 30. col. 896., & Augustinus Ep. 186. n. 2. opp. t. 2. col. 664. ed. Maurin. Ven. 1729., et *Serm.* 131. c. 10. t. 5. par. 1. col. 645. ubi ea de re dicit hæc: "Jun enim de ea causa duo concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam, unde etiam rescripta venerunt, causa finita est; utinam, aliquando finiatur error." Similiter orta hæresi Nestorii Cyrillus Alexandrinus epistolam, quæ extat apud Constantium col. 1086., ad Cælestium Pontificem misit, quod "longa Ecclesiarum consuetudo suadet, ut hujusmodi res cum Sanctitate tua communitentur;" in quæstione Monachorum Scytarum litteras ad Hormisdam dedit Justinianus Imperator apud Labbæum *Collect. concil. t. 5. col. 649.*, de orta propter libros Fausti controversia ad eundem Hormisdam Possessor Episcopus Africanus l. c. col. 661.; Cæsarius Arelatensis propter eosdem libros ad Felicem IV., ad quem missa legatio est, & cujus successor ea, quæ synodo statuta fuerant, confirmavit *cit. t. 9. concil. col. 809.* Confer etiam Justinianum Imp. Ep. ad Joann. II. P., & ipsius Joannis ad eundem Justinianum Ep. 2. t. 5. concil. col. 888. et 890. *Collect. Labbæi ed. Ven. & Constantium Pogonatum Imp. Epist. ad Leonem II. apud Labbæum t. 7. conc. col. 1142.* Mitto cetera, ne longus sim; cum præsertim multa, eaque præclara testimonia de Sedis Apostolicæ decisionibus in rebus fidei, ac disciplina collegit Ol. Mamachus ad Auctorem op. *Quid est Papa? Ep. 3. t. 1. p. 237. seq.* Tantum addam litteras, quas ad Innocentium X. P. dedit Clerus Gallicanus, ut de Jansenii propositionibus claram, certamque sententiam ferret, *caliginem omnem*, ut ipsi inquirunt, "diceret, animos fluctuantes componeret, dissidia prohiberet, Ecclesiæ tranquillitatem, splendoremque resisteret." Extant hæc littera in opere, cui titulus *Histoire des Cinq propositions de Jansenius t. 3. Recueil des pieces p. 64. Trévoux 1702.*, atque ita exordiantur: "majores causas ad Sedem Apostolicam referre solentis Ecclesiæ mos est, quam fides Petri numquam deficient

, perpetuo retineri pro jure suo postulat. *Æquissimæ huic legi obsequentes de gravissimo circa Religionem negotio Sanctitati tuæ scribendum esse censuimus.* "Ad majores causas, quæ Sedi Apostolicæ reservatæ sunt, pertinet etiam confirmatio Ordinum Regularium; de qua late disserit Mamachus l. c. §. 14. p. 272. seq., eorumque exemptio, de qua egi l. 2. t. 10. §. 3. not. 1. 4. & 5. p. 365., & 366. Sanctorum canonizatio, de qua agit Mamachus l. c. §. 13. p. 264. seq., ipseque etiam disserui l. 1. tit. 3. Sect. 1. §. 16. p. 166., legum ecclesiasticarum relaxatio, de qua dictum est *cit. §. 15. p. 160.*, & disputat Ballerinius de *Potest. ecc. Sum. Pontif. c. 3. §. 2. p. 42. ed. August. Vindob. 1770.*, novarum Ecclesiarum cathedralium erectiones, & antiquarum uniones, ac divisiones, quarum, ne sim nimius, testimonia non colligam. Satis erit indicare Thomassinum *Vet. & nov. Eccles. disciplin. t. 2. p. 2. l. 1. c. 39. et 45. 54. et 58.*, Zaccariam *Anti-Febron. t. 3. par. 2. l. 1. c. 7.*, Mamachium l. c. Ep. 3. §. 7. p. 208. seq., à quibus luculentissima harum rerum testimonia collecta sunt. Apte, & egregie S. Bernardus Ep. 131. opp. t. 1. p. 118. ed. Ven. 1781. "Plenitudo siquidem potestatis super universas Orbis, Ecclesias singulari prærogativa Apostolicæ Sedi donata est. Qui, igitur huic potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Potest si utriusque judicaverit, novos ordinare Episcopatus, ubi hactenus non fuerunt. Potest inter eos, qui sunt, alios deprimere, alios sublimare, prout ratio sibi dictaverit, ita ut de Episcopis, creare Archiepiscopos liceat, & de converso, si necesse visum fuerit." Confer etiam quæ à me dicta sunt l. 1. tit. 3. sect. 1. p. 174. seq., ubi cuncta exposui, quæ Summo Pontifici ex suprema ejus potestate reservata sunt. Late quoque de majoribus causis agit Altaserra de *Jurisdict. l. 10. per tot.*, & David des *Jugemens canoniques chap. 15. art. 3.*

§. IX. Causæ vero temporales, & profanæ ad ecclesiasticum forum pertinent, cum clericus in jus vocatur, quoniam actor rei forum sequi debet (1). Quare in his controversiis si clericus actor est adversus laicum, judex item laicus eligendus est, nisi forte aliud ferat locorum consuetudo (2); contra si clericus à laico in judicium ducitur, totum judicium ab ecclesiastico conficiendum est. Quod fori privilegium ita adhæret personis clericorum, ut eo ne volentes quidem ipsi abdicare se possint (3).

(1) L. 3. Cod. Ubi in rem actio, L. 2. Cod. de Jurisdict.

c. 5. et 8. de For. competen. Est hæc vetus quidem Ecclesie regula; ac recte Ambrosius in *Actis Concilii Aquilejensis opp. Ambros. t. 5. p. 511. ed. Ven. 1781.* "Sacerdotes, inquit, de laicis judicare debent, non laici de sacerdotibus. Et paulo post, erubescemus, ut videatur, qui sacerdotium sibi vindicat, à laicis esse damnatus; ac per hoc quoque, & in hoc ipso damnandus est, qui laicorum expectat sententiam, cum magis de laicis sacerdotes debeant judicare." Quo quidem concilio damnatus est Palladius Episcopus, qui laicorum judicium postulabat. Videntur sunt etiam Athanasius *Histor. Arian. ad Monach. n. 52. opp. t. 1. p. 297. ed. Patav. 1777.*, Hilarius *l. 1. ad Constant. n. 1. et Contr. Constant. n. 16. t. 1. col. 535. et 575. ed. Veron. 1730.*, Lucifer Calaritanus *pro Athanas. l. 1. p. 61. ed. Ven. 1778.* Concilium Milevitanum *can. 19. t. 3. col. 385. collect.* Labbæi suo etiam honore privat clericos, qui à Principe petierint, ut sibi in aliqua causa sæculares judices attribuat. Atque hic quidem verus, & germanus esse videtur sensus *can. 11. et 12. Concilii Antiocheni l. t. 2. col. 580. cit. collect.* quem Canonem Antonius Augustinus *de emend. Gratian. l. 1. dial. 11. opp. t. 3. p. 64. ed. Lucæ,* & Baronius *ad an. 341. n. 28. t. 4. p. 374. ed. Lucæ* minus recte putant ab Arianis editum contra S. Athanasium, & eundem esse canonem, quem Chrysostomo ejus adversarii objecerunt, quemque ipse, ejusque defensores consequenti ætate rejecerunt. Quod recte ostendit Emmanuel Schelestratus *de Conc. Antioch. p. 541.*, qui late demonstrat, longe alium esse arianum canonem contra Athanasium conditum, ac postea Chrysostomo objectum, & hunc Antiochenum canonem plane consentaneum esse receptæ antiquæ Ecclesie disciplinæ. Neque solum cum inter clericos controversiæ fervebant, sed etiam cum inter clericum, & laicum lis erat, clericus non nisi ad ecclesiasticum judicem vocari debebat Concilium Agathense *can. 32. t. 5. col. 526. cit. collect.* Multa ea de re sunt in *Capitularibus Regum Francorum* apud Baluzium *Capitular. Caroli M. l. 5. c. 378. & c. 390. & l. 6. c. 156. l. 7. c. 19. t. 1. col. 604. 606. 634. 702. ed. Ven. 1772.*, & multa etiam apud Herardum in *capitulis c. 7. & 8.* apud Labbæum *t. 10. col. 61.*, itemque apud Hincmarum Remensem, qui peculiarem ea de re tractatum edidit, quem misit ad Carolum Calvum, & quo demonstravit, nemini licere ad laicum judicem clericum vocare. Hic tractatus extat *t. 2. ejus opp. p. 316. ed. Sirmondi Paris 1745.*, ex eoque patet, eam semper fuisse & antiquæ, & recentioris Ecclesie disciplinam, ut nullus clericus ad laicum judicem duceretur. Late hoc argumentum persecutus sum *tit. 1. hujus libri.*

(2) Vide Benedictum XIV. *inst. eccles. inst. 40.*

(3) Justiniani constitutione in *L. 50. cod. de Episc. & cleric.* poterat clericus in conscribendo instrumento pacisci non usurum se

ori præscriptione ob regulam juris antiqui omnes licentiam habere his, quæ pro se indulta sunt, renuntiare; unde & mulier Vellejano *L. ult. §. pen. ff., et L. 21. cod. ad Vellejan.,* & Princeps, qui solutus est legibus *L. 31. ff. de leg., et l. 23. ff. de l. 3.,* suo interdum privilegio renuntiat *l. 4. cod. de legib. l. 4. cod. ad l. Falcid., §. ult. Inst. Quib. mod. testam.* Verum Innocentii III. rescripto in *c. 12. de For. compet.* prohibentur clerici privilegio fori renunciare, quod sapientissime constitutum est, ut Ordinis dignitati consuleretur. Non enim fori privilegium peculiare privilegium est, quod privatam attingit personam unius, alteriusve clerici, sed ad commodum, decusque pertinet ordinis ecclesiastici universi. Potest sane unusquisque pacisci contra jus peculiare, quod privatam personam respicit, eique renunciare *c. 6. et 15. de Privileg., c. 16. et 23. de Regular.,* ut optime distinguit Innocentius III. in *cit. c. 12.,* atque ita intelligenda est Justiniani constitutio in *l. 20. cod. de Pactis.* Verum fori privilegium non peculiare, ac privatum est, sed ad totum pertinet ordinem clericorum, ideoque clericus ei renunciare non potest in perniciem juris ecclesiastici; ut inquit Honorius III. *cap. 4. de Judic.* apud Cironium V. *Compilat. pag. 97. edit. Vindob. 1761.* "Ecclesiasticæ personæ non solum invitæ, sed etiam voluntariæ non possunt, ut judicium subeant sæculare, pacisci, cum non sit personale hoc beneficium, cui renunciari valeat, sed indultum potius toti collegio ecclesiastico, cui privatorum pacto derogari non potest." Sane quemadmodum laicorum judicia, forumque publicum turbari vetat Ecclesia, ita forum suum turbari non sinit; & hoc non est contra legem agere, sed *legi facere subsidium*, ut dicitur in *c. 2. de Privileg.* Late Innocentii rescriptum contra Cujacium tinentur Cironius in *Decretal. paratit. de Pactis,* & Gonzalez in *cit. c. 12. de For. compet.,* & contra Fevretium Altaserra *de Jurisdic. eccles. l. 3. c. 4.*

§. X. Ex causis clericorum quædam sunt majores, quæ ad Episcopos pertinent, & hæ Summi Pontificis judicio reservatæ sunt. Non enim decet, ab inferioribus clericis judicari graviora negotia Episcoporum, quorum tanta, ac tam præclara dignitas est. Lex quidem Ecclesie supra Episcopos posuit Metropolitanas, & Patriarchas; sed ea nihil detraxit de jure, & potestate Summi Pontificis, quem unum lex Christi Episcopis superiorem fecit (1). Quare suo jure, & omnino ex potestate divinitus in Episcopos accepta Romani Pontifices eorum sibi causas reservarunt; & hæc sane

antiquissima est, ac perpetua Patrum traditione firmata Ecclesiae consuetudo. Sunt autem majores hae causae confirmationes (2), translationes (3), depositiones (4), restitutiones (5), resignationes (6) Episcoporum.

(1) Agam ea de re latius in *tit. de Appellationibus* §. XVIII. ad fin.

(2) Episcoporum electiones semper confirmari consueverunt à Summis Pontificibus, qui id praestabant aut electi consecratione, aut consensu ante, vel post consecrationem dato. Hoc tamen inter Orientem, & Occidentem discrimen fuisse observat P. Bianchius *t. 5. par. 1. l. 3. c. 4. §. 4. p. 513.*, quod in Oriente id fieri sinebant à Patriarchis, quos tamen ipsi Pontifices confirmabant, adeo ut, qui ab iis confirmatus non esset, verus Patriarcha non haberetur. Id patet ex iis, quae gesta sunt à Theodosio M., qui ad Damasum legationem misit, ut Nectarius Patriarcha Constantinopolitanus ab eo confirmaretur, cujus rei praclarum testimonium est in *Ep. 15.*, S. Bonifacii ad Rufum apud Constantium *col. 1043.*; item ex actis S. Leonis, qui Anatolium Constantinopolitanum, Proterium Alexandrinum, Maximum Antiochenum Patriarchas confirmavit Leo M. *Ep. 69. 70. 104. 127. 129. 130. ad Theodos. et Pulcher. opp. t. 1. col. 1005. 1009. 1151. 1247. 1254. 1256. ed. Ballerin. Ven.*, & Concilium Chalcedonense *Act. 10. t. 4. Conc. col. 1599. collect. Labbæi*. Simplicius Joannem Alexandrinum, & Calendionem Antiochenum Patriarchas confirmavit, ut constat ex ejus *Ep. 16. ad Acacium, et Ep. 17. t. 5. Conc. col. 112. et 113. collect. Labbæi*, Flavita Constantinopolitanus non consensit sive Romano Episcopo intronizari, ut testantur Liberatus de *Breviar. c. 18. p. 127. ed. Garner. Paris. 1675.*, & Felix P. *Ep. 13. t. 5. Conc. col. 210. collect. Labbæi*. Ipse Felix Euphemium Orthodoxum agnovit, sed eum Episcopum haberi noluit, nisi primum ab se confirmatus fuisset, ut narrant Theophanes *Chronograph. p. 116. ed. Paris. 1655.*, & Nicephorus Callixtus *Histor. l. 16. c. 19. p. 685. t. 2. ed. Paris 1630.*, idque etiam educitur ex Felicis *Ep. 14. ad Thalassium Archimandr. t. 5. Conc. col. 213. collect. Labbæi*. Huc etiam refer quod de Agapito P. memoriae prodidit Liberatus *Breviar. c. 21. p. 147. cit. ed. Paris. 1675.*, quodque Joanni Philadelphensi scribit Martinus I. *Ep. 5. t. 7. Conc. col. 22. collect. Labbæi*. Ipse Michael Rousseus, qui certe nimis in Sedem Apostolicam studii suspectus haberi non potest, potestatem hanc Summi Pontificis agnoscit; imo *Hist. Pontif. jurisd. l. 2. n. 12.* scribit hae: "Quod si non sapius, aut absolutius hanc prerogativam exercuit (Papa), tribuendum est illius modestiae, qui non putavit summa sua potestate utendum,

nisi ubi necessitas exigeret." Alia ex Oriente exempla collegerunt Hallier de *Sacr. elect. et ord. par. 3. sect. 5. c. 4. art. 3. p. 60. ed. Rom. 1741.*, & P. Bianchius *cit. t. 5. par. 1. p. 513. et 518.* In Occidente vero non tantum Primatus, sed etiam Patriarchatus jure Episcoporum ordinationes, quae olim confirmationis loco erant, semper à Sede Apostolica fieri consueverunt. Celebre in primis est ea de re testimonium Innocentii I. *Ep. 25. ad Decent. Eugubini. apud Constantium col. 856.* Si quando ab aliis Episcopis in Occidente absolutae sunt Episcoporum ordinationes, id cum venia, & auctoritate Sedis Apostolicae factum est. Ita Metropolitae Aquilejensis, & Mediolanensis, quod ob difficultatem itineris incommodum esset, eos ab Apostolico ordinari, permissum est, ut ipsi sese invicem ordinarent Pelagius I. in *Fragm. Ep. ad Joannem Patricium in tom. 6. concil. Labbæi col. 482. ed. Venet.* Quod adeo verum est, ut in his quoque Ecclesiis Romani Pontifices jus suum agnoverint, & Gregorius M., ut patet ex *Ep. 30. l. 3. opp. t. 2. col. 646. ed. Paris. 1705.*, Joannem Subdiaconum Legatum miserit, ut Mediolanensis Episcopi electioni praesent, & nostra, inquit, auctoritatis assensu à propriis Episcopis facias consecrare. Similiter Ecclesia Ravennatensis, quae V. saeculo à Summo Pontifice Metropolis est constituta, illius ordinationi subieciatur, ut colligitur ex Joanne Ravennae Episc. in *Ep. ad Gregorium M. l. 3. Ep. 57. col. 670. cit. ed.*, & Agnello in *Vit. Marini par. 2. p. 201.*, & in *Vit. Theod. p. 319. par. 2. ed. Mutin.*, quem in locum Bacchini notae videndae sunt. Episcoporum ordinationes, quae à Ravennatensi Metropolita fiebant, judicio Sedis Apostolicae subjectas fuisse, constat ex Simplicio *Ep. 2. ad Joannem Raven. t. 5. concil. col. 95. collect. Labbæi*. In aliis quoque provinciis jus idem fuisse, ut Episcoporum ordinationes à Sede Apostolicae auctoritate penderent, constat ex Vicariis Apostolicis Thessalonicensibus per Illyrium, itemque ex iisdem vicariis in Gallis, & in Anglia constitutis. Confer Siricii *Ep. 4. ad Anyrium Thessalon.* apud Constantium *col. 642.*, atque, ut mittam Innocentii I., Bonifacii, Sixti, Caesepini litteras, Leonem M. *Ep. 5. c. 2. col. 618. & Ep. 6. c. 2. col. 621. opp. t. 1. ed. Ballerin.*, Bedam *Histor. Anglic. l. 2. c. 18. opp. t. 3. p. 67. ed. Basilae 1563.* Idem in Africa jus fuisse, docet Siricius *Ep. 5. ad Ep. Afric.* apud Constantium *col. 651.*, in quam epistolam videndus est ipse Constantius, & videnda in primis sunt, quae graviter, & praclare animadvertit Cl. Zaccaria *Anti-Febron. par. 2. l. 1. c. 4. n. 13.* Ipse de Marca *Concord. sacerdot. & imper. l. 1. c. 7. §. 1. 3. & 7.* defendit, ordinationes Episcoporum, causasque majores ad jus Patriarchicum pertinere; ideoque ejus etiam concessu omnia hae uni Pontifici in Occidente adscribi debent. Vide Blascum de *Collect. Isidor. c. 9. §. 1.*, Zaccariam *l. c. c. 3.*, & Carlium del Tom. III.

Diritto metropolitico opp. t. 15. p. 272. ed. Mediolani 1786.

(3) Consule quæ supra dixi l. 1. tit. 3. sect. 1. §. XVIII. not. 2. p. 176., & vide etiam Blascum l. c. c. 10. §. 1., Bianchium t. 5. par. 1. c. 4. §. 1. p. 390. seq., & Cl. Mamachium *ad Auctor. opp. Quid est Papa? Ep. 3. t. 1. p. 212. seq.*

(4) De Episcoporum depositionibus item egi citat. sect. 1. §. XVIII. not. 4. p. 164. 177. & 178. Adde Mamachium l. c. p. 212. seq. De Episcoporum translationibus, renunciationibus, depositionibus, electionibus, electionum confirmationibus celebris est Innocentii III. decretalis in cap. 2. de Translat., quam scite explicat, & tuetur Carolus Blascus de Collect. Isidor. Mercator. c. 10. §. 2. not. 1. p. 120., & Bianchius l. c. n. 1. p. 390. & seq.

(5) De restitutionibus quoque Episcoporum actum est cit. §. XVIII. not. 5. p. 178. ad p. 180. Videndus est etiam Mamachius l. c. p. 218. seq.

(6) Renunciationum, quæ ab Episcopis non nisi cum venia, & auctoritate Sedis Apostolicæ factæ sunt, exempla extant apud Leonem M. Ep. 167. ad Rustic. Narbon. col. 1417. t. 1. ed. Balle-
rini, Gregorium M. l. 11. Ep. 47., & l. 13. Ep. 5. & 6. opp. t. 2. col. 1135. 1217. 1218. ed. Paris. 1705., Joannem Diaconum in VII. Gregor. l. 4. c. 39. opp. S. Greg. t. 4. col. 151. cit. ed. Maurin. Paris. Mitto cetera, quæ referunt Zaccaria Anti-
Febron. par. 2. l. 1. c. 5. §. 13. p. 228. seq., Bianchius par. 1. t. 5. l. 3. c. 4. §. 2. n. 6. & seq. p. 462. seq., Mamachius l. c. p. 224. & seq. Atque hæc quidem omnia falsis Isidori decretalibus antiquiora sunt, adeo ut se deridendos præbeant Febronius, Eybelius, ceteri similes, qui hanc Pontificiam potestatem repetunt à falsis decretalibus, quæ multo post in manus hominum pervenerunt, Confer etiam Blascum l. cit. c. 10. §. 2. p. 119.

§. XI. Decretalium jure etiam viduæ, pupilli, ceteræque miserabiles personæ ad ecclesiasticum judicem vocandæ sunt (1); quoniam iis opitulari ab ipsis Ecclesiæ incunabilis non ultimum fuisse constat munus, & curam Episcoporum (2). Quia etiam civiles leges laicorum controversias ecclesiastico judici committunt non solum cum duo litigantes consentiunt (3), sed etiam cum eorum alter dissentit (4).

(1) Cap. 26. de Verb. signific., & cap. 15. de For. competen.

(2) Can. 1. et 2. dist. 87. Duo hi canones, qui certe antiquissimi sunt, & antiquam exhibent Ecclesiæ disciplinam, inscriptum habent nomen Gelasii Pontificis; sed quidam sunt, qui eos ipsi adscribendos negant. Verum, ut recte observat Carolus Se-

bastianus Berardus Gratiani canon. genuini par. 2. c. 46., stylus à Gelasio non dissentit, imo & sententia rescripti generalibus Gelasii sententiis consentanea est. Nam his canonibus constituitur, ut Episcopi viduarum, ac pupillorum præsertim tuitionem habeant; ac vero similia prorsus extant in Gelasii Ep. 10. ad Ep. Sicil. apud Labbæum t. 5. conc. col. 321. ed. Ven. Eadem disciplina recepta, ac probata est in Concilio Aurelianensi I. can. 16. ib. col. 549., ac passim à Gregorio M. præsertim Ep. 13. et 59. l. 1. opp. t. 2. col. 499. et 549. opp. t. 2. ed. Paris. 1705. Consentit Concilium Matisconense II. can. 12. col. 677. t. 6. collect. Labbæi. Neque vero hi canones ita explicandi, intelligendique sunt, quasi significant meram tuitionem, ac patrocinium viduarum, & pupillorum, quod in primis Episcopis commissum, & commendatum est. Nam Matisconenses Patres, non rogant, sed lata lege, qua omnes obstringi voluit, constituunt, ut sæculares judices viduas, & pupillos sine Episcopi venia non conveniant, & Episcopo absente ab Archidiacono, vel Presbytero terminos præfiri volunt ad illorum causas definiendas, poenamque addunt anathematis adversus judices, qui huic Concilii legi non obtemperaverint. Sunt hæc veri iudicii, & jurisdictionis propria, non meri patrocini, ac tuitionis.

(3) L. 8. & 9. cod. de Episcopal. audient.

(4) Extravag. l. de Episcopal. judic. in appendic. cod. Theodosiam t. 6. p. 339. ed. Lipsiæ 1743. de qua quidem Constantini lege satis supra dictum est l. 3. tit. 1. §. 22. not. 4. p. 27. Atque hæc quidem facultas ab utroque jure laicis concessa deferendi suas causas temporales ad Episcopi iudicium in exitu sæculi XIII., seu potius initio XIV. sarta teeta servabatur. Scribit enim Meyerus Annal. Flandriæ l. 10., à Synodo provinciali, quam habuit an. 1301. Remensis Archiepiscopus apud Compendium, anathematis poenam indictam fuisse adversus laicos Magistratus, "qui non patiebantur, ut laici in foro ecclesiastico convenirentur;" atque id revera colligitur ex ipsius concilii actis apud Labbæum in collect. concilior. t. 14. col. 1344.

§. XII. Sed non est satis considerare, quæ sit natura causæ, de qua quæritur, & qui status personæ, quæ in jus vocatur, ut constet, num à laico, an potius ab ecclesiastico iudice negotium agendum sit. Non enim omnis ecclesiasticus, aut laicus iudex assumi sine delectu potest, sed illud præterea requiritur, ut proprius iudex sit, qui videlicet in reum habeat jurisdictionem. Nam reus invitus in iudicium rapitur, &

ideo necesse est eum vocare ad iudicem, cui jus est, eius vocandi, & cogendi.

§. XIII. Reus autem sive in ecclesiasticis, sive in civilibus iudiciis ex quatuor præsertim causis apud certum iudicem forum habet, nimirum ex domicilio, ex contractu, ex re sita, ex delicto (1). Domicilium si cum naturali origine conjunctum non sit, tale esse debet, ut manifesto constet, illud certo in loco fuisse constitutum. Nam sola habitatio non est satis, ut domicilii jura acquirantur; sed præterea requiritur, quod quis in certo loco per decennium commoratus sedem posuerit (2), aut ibi fixerit, & locaverit, numquam inde discedendi animo, lares, & summam fortunarum (3). Præter hoc cujusque proprium domicilium, Jus Romanum aliud etiam agnoscit commune omnibus, idque ipsa Roma erat (4). Quare unusquisque ibi repertus conveniri poterat, nisi jus revocandi domum haberet (5). Simili modo clerici Romæ reperti, nisi ad eam venerint ex justa, & necessaria causa, propter quam revocandi domum jus habeant, iudicio vocati respondere coguntur, quoniam communis omnium clericorum patria Roma est (6).

(1) *Cap. ult. de For. competen.*

(2) *L. 2. cod. de In colis lib. 10.*

(3) *L. 7. cod. eod.* Quod si quis plura in diversis diocesisibus habeat domicilia, apud unum ex iis quemlibet Ordinarium recte in jus vacabitur *L. 29. ff. Ad Municip. cap. 15. de For. competen.* Ac "sola domus possessio, quæ in aliena civitate comparatur, domicilium" non facit, ut tradit Papinianus in *L. 17. §. 13 ff. Ad Municipal.*

(4) *L. 33. ff. Ad Municipal.*

(5) *L. 2. §. 2. ff. de Judic.*

(6) *Cap. ult. de For. competen.*

§. XIV. Altera causa, propter quam aliquis certum habet forum, & iudicem, est contractus. Nam ubi quis contraxit, ibi actione in personam reus præsens convenitur (1). Si formula contractus locum non expressit, quo solvenda pecunia est, is locus intelligitur, in quo res

gesta est (2); si expressit, in eo loco, qui designatus est, iudicium agere oportet (3). Quod si is, qui certo loco solvere promisit, ad locum non accedat, quod vel data opera facit, vel quod alibi necessario detinetur, composita est in eam rem utilis actio de eo, quod certo loco (4); qua actione actor, cui quid certo loco promissum est, nec tamen datum, alio etiam loco iudicium exercet (5); modo idoneus, & legitimus locus sit, is videlicet, in quo non alio designato loco, reus aut contractus, aut domicilii causa conveniri debuisset (6).

(1) *L. 19. §. 1., L. 20. & 45. ff. de Judic., cap. 1. §. 3. de For. competen. in 6.*

(2) *Cit. L. 19. §. 1., & L. 45. ff. de Judic.*

(3) *L. 3. ff. de Bon. auctor. jud. possid., L. 19. §. ult., & L. 20. ff. de Judic., L. 20. ff. de Act. & oblig.*

(4) *L. 1. ff. de Eo quod cert. loc.*

(5) Confer titulum Pandectarum *de Eo quod cert. loc.*

(6) In hanc sententiam scripta est *L. 19. ff. de Judic.*, atque in hanc eandem sententiam actionem de eo, quod certo loco, Jus Canonicum recepit *cap. 17. de For. competen.*

§. XV. Delicti causa ubi quis deliquit, ibi iudicio in personam convenitur. Nam ubi crimen est patratum, ibi facilius est probationum copia, & majus expendarum compendium; præterea curandum est, ut reus prosit exemplo pœne, ubi obfuit exemplo delicti (1). Quod si reus à loco delicti absit, etiam ubi reperitur ea de re quæri potest (2); nisi magistratus loci patrati criminis reum ad se mitti petat, ut in loco delicti meritis plectatur pœnis (3). Verum in hoc toto negotio servare oportet locorum consuetudines, & pacta conventa inter supremos Principes; quandoquidem scitum est, neminem extra suum territorium jurisdictionem exercere sive in suos, sive in alienos posse (4).

(1) *L. 7. & 22. ff. de Accusat., L. 1. Cod. Ubi de crim. ager. oport., L. 1. Cod. Ubi Senator., cap. 14. de For. competen.* Vide etiam S. Cyprianum *ep. 59. p. 266. ed. Amstæledami 1700.*

(2) *L. 1. Cod. Ubi de crimin.*

(3) *L. 7. & 11. ff. de custod. & exhibit. reor., Novell. 134. c. 2., cap. 1. de Raptor., can. 4. & 5. caus. 6. q. 3.* In eandem sententiam est, *can. 1. caus. 3. q. 6.*, quem canonem Gratianus eduxit ex epistola S. Fabiani Pontificis, hoc est ex falsis decretalibus Isidori Mercatoris.

(4) *Cap. 2. de Constit. in 6.*

§. XVI. Locus quoque in quo res, de qua quæritur, sita est, proprium iudicem facit. Nam ibi in rem actio adversus possidentem instituitur, quasi actio rem ipsam persequi videatur (1). Neque refert, immobilis ne, an mobilis res controversa sit; quin etiam si possessor absit, actio intenditur (2). Num autem necessarium omnino sit actione in rem cum reo agere in loco, in quo sita res est, an etiam actori liceat exercere iudicium in loco domicilii vetus disputatio est. Sed hoc posterius fori usus recepisse videtur (3). Jure canonico etiam propter beneficium, veluti propter rem sitam, competens forum evadit (4); ideoque in causis beneficiariis recte clerici ad Episcopum beneficii vocantur.

(1) *L. 3. Cod. Ubi in rem actio, cap. 3. de For. competen.*

(2) *L. 2. Cod. Ubi in rem actio.*

(3) Consule Hotomanum *l. 3. Observ. 3.*, Duarenam *ad tit. de Jud. Cod. de For. compet. Donellum de Jur. civil. l. 17. c. 17. opp. t. 4. p. 1275. ed. Lucæ*, Vinnium *Select. jur. q. l. 1. c. 18.*

(4) *Cap. 3. de Tempor. ordinat. in 6.*

§. XVII. Sunt etiam alii modi, quibus forum competens, & proprium efficitur; quales præcipui sunt privilegium, continentia causæ, & consensus litigantium. Porro jure Romano pupillis, viduis, & ceteris miserabilibus personis fori electio concessa est (1). Similiter jure Decretalium monachi, regulares (2), ecclesiæ multæ, & multa item capitula canonicorum Sedis Apostolicæ privilegiis vel omnino, vel ex parte ab Episcoporum jurisdictione subtracta sunt. Itaque horum causæ aut à Sede Apostolica, aut ab eo iudice, cui sunt addæ, cognoscuntur. Nec præter-

eunda peculiaria quorundam privilegia, qualia sunt illa concessa certis corporibus, atque collegiis, pluribusque gymnasiis, & accademis, quibus qui addicti sunt, hi proprium habent iudicem, ad quem tantum vocantur (3).

(1) *L. un. cod. Quando Imperator.*

(2) Consule Fagnanum *in cap. Cum dilectus 8. de Relig. domib. n. 17.*, & *in cap. Tuarum n. 18. de Privileg.*, ubi etiam describitur celebris Sixti IV. Constitutio, quam *Mare magnum* appellant. Ceterum de Regularium exemptione late disserui *l. 2. tit. 10. §. 3. p. 364.*, et *in Not. p. 365. et seq.* Sed præter auctores eo loco indicatos, vide etiam Gagliardum *Instit. Canon. l. 3. tit. 12. §. 19. et seq.*, ubi harum exemptionum multa habes antiqua monumenta, quæ à Natali Alexandro, Ughelio, Mabillonio, Muratorio, aliisque viris doctis collecta sunt. Novissime de Regularium exemptione graviter, solideque disseruit Emmanuel Ituriaga Auctor epistolæ editæ Assisii an. 1785, *Su l'escensione d' Regulari dalla giurisdizione de' Vescovi, è su le cause matrimoniali.*

(3) Late, ac diligenter de hoc privilegio, quo Academiæ fruuntur, disputat Scipio Gentilis *de Jurisd. l. 3. c. 17. opp. t. 3. p. 276. ed. Neapol. 1764.*

§. XVIII. Etiam continentia causæ facit, ut iudex, qui competens non esset, competens evadat; nimirum si quæstio princeps in cursu iudicii incidentem quæstionem habeat, cujus illi cognitio directo commissa non erat. Tunc enim Iudex utramque controversiam noscit, ne res inter se nexæ, & jugatæ dividantur (1). Hinc Decretales foro ecclesiastico addicunt causas de dote, deque alimentis præstandis, quæ matrimonialibus incidunt (2).

(1) *L. 10. Cod. de Jud.*

(2) *Cap. 3. de Donation. int. vir. et uxor.*

§. XIX. Denique litigantium consensu jurisdictionis profertur, sive, ut dici solet, prorogatur, & tunc alius iudex, quam cujus notio est litigantium voluntate proprius, & competens evadit (1). Licet enim jure Romano litigantibus in alienum iudicem consentire, dum-

blico loco affiguntur, unde recte legi possint (2). Nuntius reo denunciare decretum citationis debet vel in faciem, vel ad domum (3), & præsenti quidem in faciem, absenti ad domum; si rei copia haberi possit, in faciem, si non possit, ad domum in qua reus habitat (4), & si plures domos habuerit, ubi frequentius commoratur, aut commorari debet. Quod si reus absit, neque resciri possit, quo in loco versetur, edicto publico loco affixo evocandus est, ut ita reus absens per propinquos, aut amicos, quibus edictum patet, admoneatur (5).

(1) Tria hæc discriminat Paulus *Recept. senten. l. 5. tit. 5. §. 7.* apud Schultingium *l. c. p. 450.*

(2) Consule Cujacium in illum Pauli locum not. 32.

(3) *L. 13. §. 1. ff. de Excusat. tut.* Vide etiam Cujacium *Observ. l. 7. c. 15. opp. t. 3. col. 161. et 162. ed. Ven. seu Mutin. 1758.*, ubi multa habes de denuntiatione ad domum.

(4) *Argum. L. 1. §. 1. ff. de Agnoscent. et alien. liber.* Idem etiam non obscure tradit Alexander III. in *cap. 3. de Dol. et contumac.*

(5) *Extravag. unic. de Dol. et contumac. int. commun., Clem. 1. de Jud.*

§. XIV. Et quoniam in alieno territorio jus dicenti impune non paretur (1); adversus eum, qui in alieno territorio versatur, citatio expediri non potest, nisi ab ejus loci magistratu venia petita, atque impetrata sit. Facta vero citatione, nuntius id in acta referre debet, & vero expressis omnibus, quæ scire opus est, nimirum die, loco, modo factæ citationis, ceteris adjunctis, atque ejus relationi creditur propter fidem publicam, qua munitus est.

(1) *C. ult. ff. de Jurisd. omn. judic.*

§. XV. Ut citatio rite, & recte fiat multa sunt observanda. Principio scilicet exprimendum est nomen actoris, quo instante citatio emittitur, quia tantum in causis publicis iudex ex officio procedit (1); itemque

nomen rei ne quis in ancipiti persona decipiatur. Deinde continere debet nomen iudicis, cujus mandato citatio emittitur, tum quod jure novo sine mandato iudicis nemo in jus vocari potest, tum quod citatus scire debet, num proprius, & competens iudex sit, ad quem vocatur. Et quoniam delegatus iudex alienam jurisdictionem exercet citationis decreto inserendum est exemplum litterarum, quibus ei causa commissa est (2); nam secus ejus jurisdictionis reo comperta, & explorata esse non potest. Si manifestum sit, iudicem non esse competentem, reus ad eum ire non cogitur; si id manifesto non constet, reus omnino cogitur; sistere se iudici, cujus est æstimare, num sua sit jurisdictionis (3).

(1) *Cap. 9. de Accusat.*

(2) *Cap. 2. de Dilat.* Quod forte primum jure canonico expresse constitutum videtur, sed tamen alienum non est à juris Romani sententia *l. unic. Cod. de Mandat. Princ., l. 5. Cod. de Jur. fisc. l. 10.*

(3) *L. 2. ff. Si quis in jus vocat. non ierit., l. 5. ff. de Judic.*

§. XVI. Exprimenda etiam est causa, propter quam reus vocatur, ut is negotium meditetur suum, & paratus ad iudicium veniat, posteaquam re cognita sese contra actorem tueri constituit. Veteri jure Romano actor postulatam impetratamque à Præatore actionem edebat reo, cum in iudicium venerat, atque ita ipse vocationis causam noscebat (1). Sed antiquo vocationis ritu sublato, sancitum est à Justiniano (2), ut in ipsa vocatione libellus conventionalis reo tradatur; atque ita in unum iudiciale actum in jus vocatio, & actionis editio coaluerunt. Decretales de exprimenda vocationis causa, reoque simul offerendo libello non admodum laborant; sed jam fere ubique gentium moribus, usque fori receptum est ut decreto ipso citationis causa significetur, vel simul reo libellus offeratur.

(1) Pluribus sane modis id fieri potuisse scribit Ulpianus in *l. 1. ff. de Eden.* Confer Heineccium *Antiquit. l. 4. tit. 6. §. 19. Tom. III.*

opp. t. 3. p. 432. ed. Neap. 1766., Razvatum *lib. Protribunal. c. 4. opp. t. 2. p. 200. ed. Neap. cit.*, Cujacium *in cod. l. 2. tit. 1. opp. t. 10. col. 828. ed. Mutin. 1782.*, Donellum *in cod. l. 2. tit. 1. opp. t. 7. col. 21. & seq. ed. Luca cit.*, ceteros interpretes ad titulum *de edendo*.

(2) *Novell. 53. c. 4.*

§. XVII. Præterea designandus est iudicii locus, ut reus noscat, quo ipse venire, & se iudici sistere præsentem debeat, & simul intelligat, num locus ille tutus sit. Præsertim vero si delegatus sit iudex, certum in citatoriis litteris indicare locum omnino necesse est; quoniam illi nullus est huiusmodi locus, ad quem reus certo venire possit. Si ordinarius est iudex, qui certo loco tribunal habet, nihil attinet hunc locum exprimere, nisi ipse velit alio loco jus reddere, quam quo reddere consuevit (1). Sed & tutus debet esse locus, in quo iudicium est agendum, & per quem necessario transitus faciendus est reo (2); adeo ut si manifestum sit, locum tutum non esse, nulla sit citatio ipso iure (3), si non ita sit manifestum, valeat quidem citatio, sed reus demonstrare debeat, eum sibi locum tutum non esse (4).

(1) *L. 59. ff. de Jud.*

(2) *Clem. 2. de Senten. & re jud., cap. 4. Ut lit. non contest.*, in quod vide Gonzalezium.

(3) *Cit. Clem. 2.*

(4) *Cap. 7. §. 3. de Senten. excom. in 6.* At enim reus per procuratorem respondere potest, cum tutus non est iudicii locus. Est hoc sane verum; sed reo iusta excusatio ob hanc eandem causam est, quod per se ipsum respondere non potest.

§. XVIII. Certus quoque dies, quo reus in jus venire debet, in citatione notandus est, ut ipse intelligat, num die, quo vocatus fuit, exercere iudicium liceat. Qui dies arbitrio boni viri à iudice constituitur, habita ratione temporum, locorum, personarum. Nam iniquum esset reum vocare ad id tempus, quo ipse sui copiam facere vel omnino non potest, vel saltem cum magno incommodo potest.

§. XIX. Plura efficit citatio, quæ rite, & recte facta sit. Nimirum facit, ut reus ad eum iudicem, ad quem primum vocatus est, venire debeat, quamquam reus deinceps alteri iudici subesse cœperit (1); rumpit præscriptionem (2); perpetuat iudicis delegati jurisdictionem, adeo ut ea delegantis obitu non extinguatur (3); litis pendentiam inducit, si tamen in citatione illa sint expressa, ex quibus reus noscat omnia, quorum causa in jus vocatur (4). Pendet autem lis post citationem quoad hoc, ut nihil debeat innovari (5); nam alias non nisi post contestationem lis pendet (6). Ex quo efficitur, ut post citationem, unde reus causæ certior fit, res litigiosa evadat (7), ideoque alienari non possit (8).

(1) *L. 7. de Jud., cap. 19. de For. competen.*

(2) *L. ult. cod. de Annal. except. L. 7. cod. de Præscript. 30. annor.*

(3) *Cap. 20. de Offi. et potest. delegat.*

(4) *Clem. 2. Ut lit. penden.* Id vero constitutum est ex sententia juris civilis in *Auth. litigiosa cod. de litigios.*

(5) *Cit. Clem. 2.*

(6) *Cap. 30. de verb. signifi., ibique Gonzalez, et in c. un. de lit. contest.*

(7) *Clem. et Auth. mox laudatæ.*

(8) *L. 18. ff. de Rei vindic., can. ult. c. 11. q. 1., cap. 3. Ut lit. penden.*

TITULUS VI.

De dolo et contumacia.

- | | |
|---------------------------------------|----------------------------------|
| I. Quis contumax. | nem propter rei contumaciam. |
| II. Pœna propter contumaciam actoris. | V. Aliæ pœnæ in reum contumacem. |
| III. & IV. Missio in possessionem. | VI. Sequestratio rei litigiosæ. |

§. I.

Ne dolo, & contumacia litigantium inutile evadat iudicium, pœnæ indictæ sunt adversus eum, qui in

jus vocatus non venerit. Dolum malum, vocamus omnem calliditatem, fallaciam, machinationem ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam (1). Hoc loco dolus est fraudulentum consilium litigantis, qui contumax est (2), & iudicium detrectat. Contumax autem dicitur, qui iudicis mandato non obtemperat, hoc est qui tribus edictis, vel uno peremptorio evocatus sui copiam non fecit, cum nullo justo impedimento detineretur (3); vel cum venit, iudici parere recusavit (4); vel impedit, quominus ad reum citatio perveniat (5); vel sine iudicis venia susceptum iudicium deseruit (6).

(1) Ita dolum malum definit Labeo apud Ulpianum *l. 1. §. 2. ff. de Dol. et contum.*, in qua quidem definitione nihil otiosum esse demonstrat Huberus *l. 3. observ. 25.*

(2) Contumax à Græcis ἀνδραδην περαιοῦν, & superbus, dicitur qui alios ita contemnit, ut eorum consortium fugiat; ideo etiam Constitutio Græca ἀνδραδην fugientem vocat in *l. 10. Cod. de Jud.*

(3) *L. 53. ff. de Re jud.* Idque etiam tradit Paulus *Recept. senten. l. 5. tit. 5. §. 7.* apud Schultingium *l. cit. p. 450.* Demonstrare autem qui proponit, impedimentum debet; iudex autem ex circumstantiis intelligit, justa ne sit excusatio, an secus *cap. 6. de Dol. et contum.* Sæpe etiam à iudice constituitur terminus, intra quem citatus venire in iudicium debet, eoque non veniente, & elapso termino contumax habetur. Verum, antequam iudex de contumacia discernat, adhuc ipse moram purgare potest, ut iudex ex æquo, & bono ultra terminum condemnationem differre queat *cit. cap. 6.*

(4) *L. un. ff. Si quis jus dicen. non obtemper.*

(5) *Cap. 5. §. 1. Ut lit. non contest.*

(6) *Cap. 3. de dol. et contum.*

§. II. Tam actor, quam reus contumax esse potest (1), neutrum vero sinunt leges iudici iubenti impune non obtemperare. Actor si constituto tempore, quo reus citatus est, in iudicium non venerit, in expensas condemnatur, neque alia ei citatio permittitur, nisi de se iudici sistendo cautionem præstet (2). Quin etiam non veniente in iudicium actore, reus illud à iudice petere, & rogare potest, ut sibi detur probationum afferendarum locus, ac sententia proferatur (3).

Verum contestata lite (4) si actor contumax evaserit, ejus procurator, si quem reliquerit, vocandus est, aut si nullum reliquerit, vel relictus in jus non venerit, ipse absens per edictum ejus domui affixum vocatur, & inde contra eum fertur sententia, cum res satis est comperta, aut saltem, actore in expensas condemnato, ab observatione iudicii reus absolvitur (5).

(1) Hinc ea pars, quæ in Decretalium libris inscribitur *de dolo, et contumacia*, in antiquis collectionibus inscribitur *de dolo, et contumacia alterius partis punienda*, ubi contumacia, *alterius partis* actoris, vel rei contumacia est.

(2) *Cap. 1. de dol. et contum. in 6.*

(3) *Cap. 3. de dol. et contum.*

(4) Juris interpretes discrimen constituunt inter actorem, qui ante contestatam litem, interque actorem, qui post contestatam litem contumax est. Nituntur *Novel. 112. c. 3. §. 1. et 2.*, ubi de actorem agitur, qui actione proposita abesse cœpit cum *apud iudicem initium lis non acceperat*, hoc est cum nondum erat contestata, & vero si postea, contumax fieri dicitur. Vulgarem hanc distinctionem ridet Gonzalezius in *c. 3. de dol. et contum.* hoc fretus argumento, quod cum reus ab actore evocatus in iudicium venit, lis contestata intelligitur, quoniam canonico saltem jure actoris, ac rei præsentia non requiritur, ut lis contestata habeatur; & ideo fieri non potest, quod actor non contestata lite contumax evadat. Illam autem Novellam, cujus nunc facta mentio est, ita interpretatur Gonzalezius, ex parte tantum actoris, non etiam ex parte rei, litem contestatam fuisse, cum actor abesse cœpit, quæ imperfecta quædam contestatio est; tum in jus veniente, & actoris petitioni respondente reo, cum ipse actor abesset, contestationem fuisse perfectam. Sed nego fieri non posse, quod actor, veniente in iudicium reo, ante contestatam litem contumax sit. Nam aliud est vadimonii, & alia litis contestatæ desertio. Actor certa die reum in iudicium vocat; venit quidem reus, non item actor; hic quidem deserere vadimonium dicitur, non litem contestatam. Nam desertio vadimonii est desertio promissionis iudicio sistendi causa factæ ante litem contestatam *l. 4. §. Quæsitum, et l. 5. §. 1. ff. Si quis caut.* Contra litis contestatæ desertio est desertio ipsius iudicii, quod jam contestatione litis, hoc est clara actoris petitione, aptaque rei responsione constitutum, firmatumque est. Quæ litis contestatæ desertio eremoditium dicitur, quod & actore, & reo absente contrahitur *l. 10. §. Sin autem reus Cod. de Jud.* En igitur duplicem actoris contumaciam ob desertum vadimonium, & ob desertam litem contestatam, & urique huic contumaciæ dissimilis poena constituta est.

(5) *Cap. 3. de dol. et contum. , l. 10. de Jud.*

§ III. Quod si absit per contumaciam reus, videndum est, num id ante, an post litem contestatam faciat. Lite nondum contestata, in actione reali actor mittitur in possessionem rerum, de quibus controversia est; in actione personali mittitur pro modo, & ratione debiti in possessionem bonorum mobilium ipsius rei vel immobilium, cum nulla mobilia sunt. Quæ possessio datur ex primo, & secundo decreto. Primi decreti possessio tantum custodia est (1), quoniam ea conceditur rei servandæ, & custodiendæ causa, atque actor non dominus, sed tantum custos efficitur. Quare & actor, & reus possident, hic quidem ut fundum colat, fructusque colligat, ille autem ut fundum, & fructus, sive fructuum pretium observet, atque custodiat (2).

(1) Ita Innocentius III. in *cap. ult. §. In aliis vero casibus Ut lit. non contest.* controversiam definiit, quæ inter Pilæam, & Bulgarum ex una, interque Joannem, Martinum, & Azonem ex parte altera agebatur, probavitque sententiam Pilæi, ac Bulgari, qui sola missione in possessionem actorem tantum rei custodem non dominum, & possessorem fieri putabant; quæ sententia probabilior est ex jure civili *l. 8. §. Sed & si quis cod. Præscript. 30. an.*

(2) *Cap. 4. de Eo qui mittit. in possess. , cap. ult. §. In aliis sunt Ut lit. non contest.*

§ IV. Hanc vero possessionem actor adipisci censetur, quatumvis eam potentia, doloque adversarii revera non acquisiverit, aut acquisitam amiserit (1); haud tamen si actor ipse nulla justa causa impeditus eam intra annum obtinere neglexit (2). Intra anni spatium si reus in judicium non veniat, solvatque expensas, ac præterea cautionem non præstet de se judici sistendo, emittitur secundum decretum, cujus ea vis est ut reus contumax de bonorum possessione dimoveatur, fiatque actor unus, & verus eorum possessor, fructus colligat, suosque faciat (3).

(1) *Cap. 9. de Dol. et contumac.*

(2) *Cap. 2. de Eo qui mittit. in possess.*

(3) Secundum decretum in actione tantum personali, non item in reali, in qua actor post annum ipso jure possessor efficitur, necessariam esse putat Glossa in *cap. 9. verb. constituatur de Dol. et contumac.*, atque hanc vulgus interpretum sententiam sequitur. Confer tamen Cujacium in *cap. Ut lit. non contest.*, et ad *tit. de Eo qui mittit. in possess. opp. t. 6. col. 792.*, et col. 823. *ed. Mutin. cit.*, & Cironium *Paratitl. in decret. l. 2. tit. 15.*

§ V. Verum si post contestatam litem reus contumax evadat, causaque ex actis satis explorata videatur; judex sententia sua litem definiet; si non satis de causa liqueat, actor in bonorum contumacis rei possessionem mittitur, fitque ipse statim verus possessor, ac reo sola dominii lis integra reliquitur (1). Sed in causis beneficiariis propter rei contumaciam actor in possessionem non mittitur, ne vitiosus in beneficia ingressus detur (2).

(1) *Cap. 5. §. In aliis Ut lit. non contest.*, *C. 4. de Dol. et contumac.*

(2) *Cap. un. de Eo qui mittit. in possess. in 6.*

§ VI. Sunt & aliæ poenæ adversus contumaces constitutæ, quarum unam, aut alteram, uti rerum ratio postulare videtur, infligit judex suo arbitrato. Interdum enim pecuniaria multa aut censuris, ceterisve poenis contumaces coercentur (1). Ex quibus poenis, unam, aut alteram, quæ plus metus afferat, initio seligat judex, ad alias nihilominus processurus, si contumax, sua adhuc obstinatione sententiæ, pergat judici non obtemperare (2). Verum censuris caute, atque sobrie judices uti debent, neque sunt adhibendæ, nisi cum contumaces re, aut persona coerceri non possunt (3).

(1) *L. 2. ff. Si quis in jus vocat.*, *cap. 2. §. 8. de Dol. et contumac.*, *cap. 3. Ut lit. non contest.*

(2) *Cap. 5. §. In aliis Ut lit. non contest.*

(3) *Conc. Trident Sess. 25. c. 3. de Reform.*

§. VII. Sæpe etiam actor non mittitur in possessionem rei servandæ causa, neque ea penes reum contumacem relinquitur, sed penes tertium deponitur, & committitur alicui, qui finita lite rem, & fructus victori restituat. Quæ dicitur sequestratio rei litigiosæ, quam iudex ex justa causa decernit, puta si metus sit, ne res, vel fructus dilapidentur (2). Si maritus ad inopiam vergat, dos sequestro datur (3); similiter, si persona, à quo res mobilis petitur, suspecta sit (4), si de beneficio ecclesiastico agatur contra possessorem, non triennalem, & contra ipsum in possessorio, vel petitorio sit lata sententia, sequestro constituitur (5). Sed generatim sequestro revocatur, cum reus in iudicium veniens expensas restituit, & cautionem præstat, per quam omne, quod timetur, periculum removeatur (6).

(1) Tertius hic, apud quem res litigiosa deponitur, *sequester* dicitur *l. 5. §. 1. & 2. l. 6. et 7. ff. Deposit.* Eodem hoc sensu vocabulum usurpat Plautus in *Mercat. act. 4. scena 3. vers. 36. & in Ruden. act. 4. sc. 3. vers. 79. t. 2. p. 748. & 1016. Lugd. Batav. 1669.* Sequestrem autem à sequendo dictum, quod ejus, qui electus est, utraque pars fidem sequatur, scribit A. Gellius *Noct. Attic. l. 20. c. 11. p. 1128. ed. Lugd. Batav. 1666.* In Glossis Philoxeni sequester explicatur μεσίτης ἢ ὑπεργός διουτυχοφολαξ similiter in Glossis Cyrilli μεσίτης sequester, arbitrator, mediator. Quinctiliano *Instit. Orator. l. 12. c. 8. t. 2. p. 673. ed. Patav. 1736.* sequester est media litium manus; Tullius autem, qui pluries utitur eodem vocabulo, sequestrem appellat, apud quem pecunia corrumpendi iudicii, aut tribuum causa deponeretur, ut suffragia obtinerentur.

(2) *L. 21. de Appellat., c. 2. de Sequestrat. possess. & fruct.*

(3) *L. 23. §. Si autem ff. Solut. matrim.*

(4) *L. 7. §. ult. ff. Qui satisd. cogan.*

(5) *Clem. 1. de Sequestr. possess. et fruct.* Confer Glossam in *c. 2. v. Sequestrari de Sequestr. possess. & fruct.*, ubi diligenter explicatur, quando sequestrationi locus esse debeat.

(6) *Cap. 1. de Sequestr. possess. et fruct.* Quoniam vero sequestri facta mentio est, animadvertere oportet, illud non tantum in res, sed sæpe etiam in ipsas personas cadere. Ita sequestri loco uxores collocantur apud probam, & honestam mulierem ob insignem mariti savitiam, quæ impedit, quominus uxor, quæ à marito

divertit, ei restituatur *c. 8. et 13. de Restit. spoliat.* Similiter cum de sponsalibus agitur, atque metuitur, ne vis puellæ inferatur, atque impediatur, quominus ea liberum edere consensum possit, eadem puella collocanda est in domo, in qua nihil eam timere oporteat, donec de præcipua causa iudicium absolutum fuerit *C. 14. de Sponsal.* Jus Pontificium hujus sequestri locum potissimum constituit monasterium *C. 14. de Probat.*, quod & ipse Bohemerus homo ex Protestantium numero summopere laudat *l. 2. Decretal. tit. 17. §. 5.*, cum vix tutior, & commodior locus inveniri possit.

TITULUS VII.

De litis contestatione.

I. Litis contestatio quid?

II. Quomodo fiat?

III. Ea iudicii initium est.

IV. Effectus litis contestationis.

§. I.

Lite per libellum actoris, & citationem præparata, ejus fundamentum jacitur, quod in contestatione positum est. Litis contestatio legitimus est actus, quo actor coram iudice proponit petitionem suam, reus autem negat, se cessurum petitioni, iudicium, & litem in se recipiens (1). Ex quo patet, necessariam esse contradictionem ad litem contestandam, quia nulla lis est, cum reus affirmat id, quod ab actore proponitur (2). Num jure civili ad contestandam litem actoris, & rei præsentia, ac voce sit opus, incertum, controversumque est; sed jus canonicum tantum requirit *petitionem in jure propositam, & responsionem sequutam*, præterea nihil (3).

(1) *Cap. un. de Lit. contest.*

(2) Quare probari non potest, quæ multis probata est, divisio contestationis litis in negativam, & affirmativam, uti ostendit Joannes Voetus in *Pandect. l. 5. tit. 1. n. 146.* Confer etiam *Vinnium Select. qu. l. 1. c. 17.*

(3) Videndus Gonzalez. in *c. un. n. 8. de lit. contest.*

§. II. Antiquo jure Romanorum lis contestata, dicebatur, cum apud Prætores per mutuam actoris, reique narrationem controversiæ statu constituto, datoque ju-

dice, litigantes iudicium suscipiebant, ac testes, qui rei totius fidem facerent, vocabat his verbis: *testes estote* (1). Inde litis contestatio dicta est; quia scilicet testibus adhibitis res tota declarabatur (2). Jure novo quamquam testes non adhibeantur, tamen retentum est vocabulum contestationis ad designandam concertationem verborum inter litigantes, quorum alter petit, alter petitioni adversatur.

(1) Consule Festum *v. Contestari*, quem Festi locum exornant Defensiones pro Salmasio *Obs. ad jus Attic.* p. 818. *ed. Lugd. Batav.* 1645., & Cujacius *Observ.* l. 9. c. 21. *opp. t. 3. col. 214. ed. cit.*

(2) Veterem contestationis formam vel ante sublata formularum solemnitas desuisse, ex *L. unic. Cod. de Cit. contest.* ostendit Vinus *Select. qu. l. 1. c. 17.*

§. III. Contestatio initium est iudicii, ut in ius vocatio initium actionis (1); illaque intra viginti post oblatum libellum dies ab actore fieri debet. Ante hanc contestationem totum negotium, quod agitur, non lis, aut iudicium, sed controversia censetur (2). Quare ut litis initium sit constitutum, omnino requiritur ejus contestatio, neque ante eam emitti sententia (3), aut recipi testes, vel alia probatio admitti potest, nisi aut natura causæ (4), aut periculum amittendarum probationum aliud exigat; quia tunc locus est *examine testium ad perpetuam rei memoriam* (5). Interim poenæ causa alterutrius litigantis contumacia contestationis loco habetur, quæ etiam ficta litis contestatio dicitur (6); neque expressa, & solemnitas contestatio requiritur in causis quibusdam, quales sunt summariæ, causæ appellationis, quæ contra certam personam institutæ non sunt, quæ item sine libello expediuntur (7).

(1) *L. 15. ff. Rem ratam haberi §. ult. Instit. de Pen. temer. litigant.*

(2) *L. 28. §. Si ante ff. de Petit. hered.*

(3) *L. 4., ibique Glossa v. Solitum Cod. de Senten. & interloq.*

(4) Consule *c. 20. de Jurejur. c. 4. de Procurat., c. 5. Ut lit. non contest.*

(5) *Cap. 5. cit. Ut lit. non contest., c. 4. de Confess. util. vel inutil.* Edita ea de re est an. 1776. Heidelbergæ dissertatio, cui titulus est: *de Examine testium ad perpetuam rei memoriam.*

(6) Confer Voetum *ad Pandect. l. 5. tit. 1. n. 145.*

(7) Consule Voetum *l. c. n. 147.*

§. IV. Plura efficit litis contestatio. Nimirum inducit malam fidem (1); quasi contractum perficit inter litigantes, ita ut neuter possit, altero invito, à iudicio discedere, sed uterque debeat præstare id, quod iudicabitur (2); rem in iudicium deductam litigiosam facit, ita ut alienari non possit (3), perpetuat, atque ad heredes transmittit actiones tempore, vel morte perituras (4); mandatam jurisdictionem perpetuam facit (5), exceptiones dilatorias excludit, ac iudicis recusandi potestatem adimit (6), nisi postea causa suspicionis emergerit; inchoatam usucapionem, & præscriptionem interrumpit (7).

(1) *L. 4. ff. Fin. regund., l. 1. cod. de Petit. hered., l. 22. cod. de Rei vindic., l. 10. cod. de Acquir. & retinen. possess.* Sed ante litem contestatam etiam motam controversiam ad inducendam malam fidem satis esse, scriptum est in *l. 28. §. Si ante litem ff. de Petit. hered.*

(2) *L. 3. §. Idem scribit ff. de Pecul.*

(3) *Auth. Litigiosa cod. de Litigios., l. 4. cod. eod. c. 3. et 4. Ut lit. penden.*

(4) *L. 6. §. ult. de Re judic., l. ult. ff. de Fidejus. et nominat. et hered. tut., l. 57. ff. de Action. et obligat., l. 88. ff. de Regul. jur., l. unic. cod. Ex delict. defunct. in quantum hered. ten., §. 2. Inst. de Perpet. et tempor. act.*

(5) *Cap. 19. de Offic. delegat.*

(6) *L. ult. cod. de Except.*

(7) *L. 10. cod. de Præscript. longi tempor.* Verum sola conventionione, etiam ante litem contestatam, præscriptionem rumpi sancitum est *l. ult. cod. de Annal. except., l. 1. et 2. cod. de Præscript. longi tempor., l. 3. 4. 7. cod. de Præscript. 30. vel 40. annor.*

for de Penarides

De juramento calumniæ.

- I. Juramentum caluniæ quid? III. Num & clerici jurent?
 II. Petitum in omnibus causis IV. Juramentum malitiæ.
 dandum est.

§. I.

Lite contestata, ut à calumnia, atque insidiis tuta sint omnia, visum est religione adstringere litigantium fidem, ut omnes divinæ ultionis metu ab injusta, & fraudulenta vexatione deterreantur. Ea de causa introductum est juramentum caluniæ (1), quod in judicio præstant tum actor, tum reus, tum etiam eorum procuratores cum speciali mandato venientes (2), generatim omnes litigantes, sive suo, sive alieno nomine judicium exercent (3). Actor juratus confirmat, nullam se adhibere calumniam, sed justam causam agere, reus vero, bona etiam sui juris opinione sese adversario resistere. Hinc uterque pollicetur, sese vera in judicio dicturos, nihil acturos judicii corrumpendi causa, nullam allaturos probationem aut fallacem, aut non necessariam neque operam duros, ut judicium calumniose differatur (4).

(1) Auctorem jurisjurandi propter calumniam aliqui Justinianum faciunt, & moventur §. 1. *Inst. de Pen. temer. litigant.*, ubi Tribonianus illud inductum tradit constitutione Justiniani, quæ extat in *l. 2. cod. de Jurejur. propt. calumn.* Sed revera illius origo antiquior est. Nam hoc jusjurandum memorant dissertissime Paulus *Recept. senten. l. 2. tit. 1. §. 2.* apud Schultingium *Jurispr. vet. Ant. Justinian. p. 268. ed. Lips. cit.*, itemque ejus mentio est in *l. 45. §. Si familia ff. Famil. ercisc.* (quam legem à Triboniano confictam esse, aut corruptam perperam quidam putant) in *l. 34. §. Qui jusjurandum, & l. 37. ff. de Jurejur.*, denique apud Senecam *Controv. l. 3. c. 19. p. 257. t. 3. ed. Amstæled. 1672.* Sed ante Justinianum tantum speciale caluniæ juramentum obinebat, totiesque locum habebat, quoties pendente lite malitiæ suspicio aderat, atque ita sæpius repetebatur. Solus actor, & in certis tantum cau-

sis de calumnia jurabat, uti ostendunt Paulus *l. c.*, & Ulpianus, *l. 13. §. 3. ff. de Damn. infect.* Nam in plerisque nuda repromissione actor cavebat, se, nisi vicisset, daturum reo decimam partem ejus, quod petebat, unde *repromissionis remedium* in Codice Hermogeniano *tit. de calumniat.* apud Schultingium *l. c. p. 713.* Atque hæc erat vetus actio caluniæ ex stipulatu, quæ jam ante ætatem Justiniani desueverat. Sed Justinianus in omnibus civilibus causis, & ab utroque litigante jusjurandum de calumnia emitti voluit, præterea veteris caluniæ actionis loco sarciti damnum, & expensas restitui jussit §. 1. *Inst. de Pen. temer. litigant.* Sed postea *Novel. 112. c. 2.* decimariam illam actionem restituit, atque illud addidit, ut decimæ cautio satisfactionem habeat. Confer Cujacium *Observ. l. 7. c. 5. opp. t. 3. col. 156. ed. cit.* Jamvero cum constet, juramentum caluniæ, quod initio speciale erat, à Justiniano factum fuisse generale, ita ut in primordio litis super universa causa à litigantibus emitti deberet, non ita exploratum est, num ipse Justinianus illud etiam speciale juramentum sustulerit. Nihil ipse ea de re constituit in *l. 2. c. de Jurejur. propt. calumn.* Sed id demum fecisse videtur in *Novel. 49. c. 3.*, ubi animadvertit, quod olim in uno negotio frequenter jusjurandum emitti solebat: "Sancimus, itaque, inquit, hanc perimentes injuriam, & nolentes crebro, in eodem negotio jusjurandum præberi... non crebro cogi quem, quam sacramenta subire, generaliter semel hujusmodi sacramento prohibito." Quibus ex verbis colligi videtur posse, à Justiniano fuisse sublatum speciale caluniæ juramentum; idque etiam videtur suadere *Auth. Hoc sacramentum c. de Jurejur. propt. calumn.*, ubi item generatim statuitur: "Hoc sacramentum hodie remittitur, cum initio juretur, nihil se calumniose, in toto negotio exigere." Inde tamen ortum est dubium, quod Justinianus loqui videatur de juramentis, quæ olim ab iis emittebantur, qui probationes subire volebant; quod in *Novel. 73. c. 7.* adhuc speciale juramentum caluniæ desideretur ab eo, qui litterarum comparisonem postulavit. Quamvis autem à pluribus animadversum sit, in hac *Novella* contineri exceptionem, cujus ratio specialis in *Novellæ præfatione* data est, ut eo magis coerceatur malitia, quæ tunc frequens erat, eorum, qui documenta vitare solebant, nihilotamen minus res nondum satis comperta, atque explorata fieri potuit. Sed omnem sustulit dubitationem Bonifacius VIII. in *c. 2. de Juram. calumn. in 6.*, ubi statuit, quod "in omnibus causis nedum ante, sed etiam postquam lis fuerit contestata, sive de veritate, sive de calumnia sit juratum in ipsis, potest judex à partibus exigere juramentum malitiæ, quoties viderit expedire."

(2) *Cap. 2. & ult. de juram. calumn. in 6.*

(3) *Cap. 3. 4. 6. de juram. calumn.*

(4) *L. ult. cod. de jurejur. propt. calumn. Glossa in c. 1. de juram. calumn.*

§. II. Datur hoc jusjurandum in omnibus causis (1), etiam spiritualibus, tam in prima, quam in secunda instantia (2). Si non petatur impune omititur, neque propterea iudicium irritum est (3); verum pacto convento remitti non potest (4). At petitum omnino præstandum est, & si illud litigantes subire recusent, actor quidem causa cadet, reus vero pro confesso habebitur (5).

(1) In omnibus quidem causis jusjurandum propter calumniam dari voluit Justinianus in *l. 1. cod. de jurejur. propt. calumn.*; sed tamen multi sunt interpretes juris civilis, qui in criminalibus causis illud locum habere negant. Consule Cujacium in *c. 1. de juram. calumn. opp. t. 6. col. 794. ed. cit.* Verum Honorius II. in *c. 1. de juram. calumn.* etiam ad causas criminales hoc jusjurandum videtur pertraxisse.

(2) *Cap. 1. et 2. de Juram. calumn. in 6.* De causis spiritualibus non eadem est sententia Honorii II. in *c. 2. de Juram. calumn.*, & Bonifacii VIII. in *c. 1. §. ult. cod. in 6.*; nam ille in causis spiritualibus juramentum calumnie emittendum negat, hic autem affirmat. Ut hæc dissidia componerent, multi Juris interpretes otio, & tempore abusi sunt. Mihi certum, exploratumque est, Bonifacium VIII. jus antea constitutum abrogare voluisse. Inquit enim in *causis spiritualibus . . . canons non indicare alicui calumnie juramentum*, se tamen, quia frequenter calumniari viderat in ipsis, juramenti necessitatem in his quoque causis imponere.

(3) Jure civili in *l. 1. §. 4. Cod. de Jurejur. propt. calumn.* hoc juramentum per iudicem exigi necessitatis est; eoque omisso irritum esse iudicium plerique interpretes docent. Sed jure canonico, quo ubique utimur, in *c. 1. §. 1. de Juram. calumn. in 6.* tacite omitti posse, eoque omisso valere iudicium, statuit Bonifacius VIII., quæ Baldi, & aliorum contra Azonem, Martiaum, aliosque nonnullos sententia fuit.

(4) Confer Glossam in *c. 1. v. Tacite de Juram. calumn. in 6.*

(5) *Cap. ult. de Juram. calumn., l. ult. Cod. de Jurejur. propt. calumn.*

§. III. Clerici olim laicorum more in iudicio jurare non poterant (1), sed nunc & ipsi jurant de calumnia, modo cum venia Summi Pontificis, si episcopi sint, cum

venia autem proprii Antistitis, si sint clerici inferiores, jusjurandum emittant (2). Hoc inter laicos, & clericos discrimen est; quod illi tactis, hi vero propositis Evangelii jurant (3).

(1) *L. 25. §. 1. Cod. de Episc. & Cler.*, qua Marcianus antiquam Ecclesie disciplinam confirmat: "ecclesiasticis, inquit, re-gulis, & canone à beatissimis Episcopis antiquitus instituto clerici, ei jurare prohibentur." Eadem hæc disciplina est in *con. 1. & 5. c. 2. qu. 4.*, & *can. pen. et ult. c. 22. q. 5.*, eamque laudat Honorius II. in *c. 1. de Juram. calumn.*, quo loco Marcianus mendose Marcus dicitur. Tum ipse Honorius describit constitutionem Henrici II. Imperatoris *l. 2. leg. Congobard. tit. 47.*, qua Marciani constitutio, quæ solos comprehendebat clericos Ecclesie Constantinopolitanæ, ad omnes universæ clericos, atque etiam monachos traductas est. At enim clerici jurant in *c. 5. 6. 7. de Juram. calumn.* Cujacius in *c. 1. de Juram. calum. opp. t. 6. col. 794.* referendum id putat ad procuratorem, adeo ut clerici, & Episcopi per procuratorem jurare possint, per semetipsos vero non possint, nisi Episcopus cum venia Summi Pontificis, clericus cum venia proprii antistitis jusjurandum emittat. Ita, si licet gentium leges cum Ecclesiastico jure componere, Romæ olim Flamini Diali, & Sacerdoti Vestali jurare fas non erat, quod & A. Gellius *Noct. Attic. l. 10. c. 15. p. 534. ed. Lugd. Batav. 1666.* in edicto Prætoris perpetuo expressum fuisse testatur his verbis: "Sacerdotem, Vestalem, & Flaminem Dialem in omni mea jurisdictione jurare, non cogam;" quod idem confirmasse Caligulam, tradit Dio *l. 59. n. 13. p. 915. t. 2. ed. Hamburgi 1752.* Sed his tamen recte per alium jurabant; quod plebiscito comprobatum est apud Livium *l. 31. c. 50. t. 4. p. 593. ed. Drakenborch. Amstel. 1741.* Mihi hæc Decretalium interpretatio minus placet. Nam in *c. 7.* clericus tum per procuratorem, tum per semetipsum jurare cogitur; & in *c. 5.* clerici juramentum calumnie præstare jubentur, "con-suetudine, quæ legi contraria est, non obstante." Quod ad clericos per semetipsos jurantes arbitror pertinere. Equidem clarum, & perspicuum pnto causam, propter quam clerici, qui antea juramentum calumnie non præstabant, in *c. 5. & 7.* jurare cogantur. Utraque hæc decretalis recentior est decretali Honorii II. in *c. 1.*, per quam clerici jurant cum venia Summi Pontificis. Itaque Lucius III., & Gregorius IX. harum Decretalium auctores sese referunt ad jus novum ab Honorio II. constitutum; & licet neque Summi Pontificis, neque Prælati veniam expriment, quam nominationem postulat Honorius II., tamen hujus veniæ necessitas in eorum quoque decretalibus tacite intelligenda est. Atque hæc quidem per-

(4) *L. ult. cod. de jurejur. propt. calumn. Glossa in c. 1. de juram. calumn.*

§. II. Datur hoc jusjurandum in omnibus causis (1), etiam spiritualibus, tam in prima, quam in secunda instantia (2). Si non petatur impune omititur, neque propterea iudicium irritum est (3); verum pacto convento remitti non potest (4). At petitum omnino præstandum est, & si illud litigantes subire recusent, actor quidem causa cadet, reus vero pro confesso habebitur (5).

(1) In omnibus quidem causis jusjurandum propter calumniam dari voluit Justinianus in *l. 1. cod. de jurejur. propt. calumn.*; sed tamen multi sunt interpretes juris civilis, qui in criminalibus causis illud locum habere negant. Consule Cujacium in *c. 1. de juram. calumn. opp. t. 6. col. 794. ed. cit.* Verum Honorius II. in *c. 1. de juram. calumn.* etiam ad causas criminales hoc jusjurandum videtur pertraxisse.

(2) *Cap. 1. et 2. de Juram. calumn. in 6.* De causis spiritualibus non eadem est sententia Honorii II. in *c. 2. de Juram. calumn.*, & Bonifacii VIII. in *c. 1. §. ult. cod. in 6.*; nam ille in causis spiritualibus juramentum calumnie emittendum negat, hic autem affirmat. Ut hæc dissidia componerent, multi Juris interpretes otio, & tempore abusi sunt. Mihi certum, exploratumque est, Bonifacium VIII. jus antea constitutum abrogare voluisse. Inquit enim in *causis spiritualibus . . . canons non indicare alicui calumnie juramentum*, se tamen, quia frequenter calumniari viderat in ipsis, juramenti necessitatem in his quoque causis imponere.

(3) Jure civili in *l. 1. §. 4. Cod. de Jurejur. propt. calumn.* hoc juramentum per iudicem exigi necessitatis est; eoque omisso irritum esse iudicium plerique interpretes docent. Sed jure canonico, quo ubique utimur, in *c. 1. §. 1. de Juram. calumn. in 6.* tacite omitti posse, eoque omisso valere iudicium, statuit Bonifacius VIII., quæ Baldi, & aliorum contra Azonem, Martiaum, aliosque nonnullos sententia fuit.

(4) Confer Glossam in *c. 1. v. Tacite de Juram. calumn. in 6.*

(5) *Cap. ult. de Juram. calumn., l. ult. Cod. de Jurejur. propt. calumn.*

§. III. Clerici olim laicorum more in iudicio jurare non poterant (1), sed nunc & ipsi jurant de calumnia, modo cum venia Summi Pontificis, si episcopi sint, cum

venia autem proprii Antistitis, si sint clerici inferiores, jusjurandum emittant (2). Hoc inter laicos, & clericos discrimen est; quod illi tactis, hi vero propositis Evangelii jurant (3).

(1) *L. 25. §. 1. Cod. de Episc. & Cler.*, qua Marcianus antiquam Ecclesie disciplinam confirmat: "ecclesiasticis, inquit, re-gulis, & canone à beatissimis Episcopis antiquitus instituto clerici, ei jurare prohibentur." Eadem hæc disciplina est in *con. 1. & 5. c. 2. qu. 4.*, & *can. pen. et ult. c. 22. q. 5.*, eamque laudat Honorius II. in *c. 1. de Juram. calumn.*, quo loco Marcianus mendose Marcus dicitur. Tum ipse Honorius describit constitutionem Henrici II. Imperatoris *l. 2. leg. Congobard. tit. 47.*, qua Marciani constitutio, quæ solos comprehendebat clericos Ecclesie Constantinopolitanæ, ad omnes universæ clericos, atque etiam monachos traductas est. At enim clerici jurant in *c. 5. 6. 7. de Juram. calumn.* Cujacius in *c. 1. de Juram. calum. opp. t. 6. col. 794.* referendum id putat ad procuratorem, adeo ut clerici, & Episcopi per procuratorem jurare possint, per semetipsos vero non possint, nisi Episcopus cum venia Summi Pontificis, clericus cum venia proprii antistitis jusjurandum emittat. Ita, si licet gentium leges cum Ecclesiastico jure componere, Romæ olim Flamini Diali, & Sacerdoti Vestali jurare fas non erat, quod & A. Gellius *Noct. Attic. l. 10. c. 15. p. 534. ed. Lugd. Batav. 1666.* in edicto Prætoris perpetuo expressum fuisse testatur his verbis: "Sacerdotem, Vestalem, & Flaminem Dialem in omni mea jurisdictione jurare, non cogam;" quod idem confirmasse Caligulam, tradit Dio *l. 59. n. 13. p. 915. t. 2. ed. Hamburgi 1752.* Sed his tamen recte per alium jurabant; quod plebiscito comprobatum est apud Livium *l. 31. c. 50. t. 4. p. 593. ed. Drakenborch. Amstel. 1741.* Mihi hæc Decretalium interpretatio minus placet. Nam in *c. 7. clericus* tum per procuratorem, tum per semetipsum jurare cogitur; & in *c. 5. clericus juramentum calumnie præstare jubentur*, "con-suetudine, quæ legi contraria est, non obstante." Quod ad clericos per semetipsos jurantes arbitror pertinere. Equidem clarum, & perspicuum pnto causam, propter quam clerici, qui antea juramentum calumnie non præstabant, in *c. 5. & 7.* jurare cogantur. Utraque hæc decretalis recentior est decretali Honorii II. in *c. 1.*, per quam clerici jurant cum venia Summi Pontificis. Itaque Lucius III., & Gregorius IX. harum Decretalium auctores sese referunt ad jus novum ab Honorio II. constitutum; & licet neque Summi Pontificis, neque Prælati veniam expriment, quam nominationem postulat Honorius II., tamen hujus veniæ necessitas in eorum quoque decretalibus tacite intelligenda est. Atque hæc quidem per-

continent ad iurandum, quod in iudicio emittitur, & quod calumnia dicitur. Nam extra iudicium & clerici ob gravem causam iurare solebant. Ita Episcopos, & clericos, ut se purgarent, iurasse constat ex Anastasio Bibliothecario in *Pelag. t. 3. p. 292. ed. Romæ 1728. et ex c. 10. 18. 19. c. 2. q. 5.*, similiter eos interdum iurasse, cum iusta urgeret causa, ostendunt Sozomenus *Histor. l. 6. c. 30. p. 263. ed. Valesii Cantabrig. 1720.*, & Justinianus *Novel. 23. c. 1., et Novel. 187. c. 2.*; ac Patres Concilii Constantinopolitani Oecumenici VI. Gregorium Diaconum in singulis propositis quæstionibus iurare coegerunt.

(2) *Cap. 1. de Juram. calum.*

(3) *Cap. ult. de Juram. calumn.* Clericos, ad instar laicorum, Evangelia, aut martyrum reliquias manu tangere canones vetuerunt. Presbyteri, & Episcopi "vice iuramenti per sanctam consecrationem, nem. interrogabantur" *can. 4. c. 2. qu. 5.* Interdum etiam ante corpus alicujus Sancti tantummodo quæstioni respondebant *can. 8. et 9. ead. caus. et qu.* Verum cum gravior aliqua urgere videretur causa, non solum Diaconos, quod de Evagrio Constantinopolitano tradit Sozomenus *l. c.*, sed ipsos etiam Episcopos tactis Evangelii iurasse constat *ex c. 4. §. ult. de Jurejur. et c. 5. de Purg. canon.* Ad hunc sane modum Severum Episcopum iurandum dare, ac deferre debuisse, non obscure tradit S. Basilius *Ep. 188. can. 1. ad Amphiloeh. c. 10. opp. t. 3. p. 275. ed. Maurin. Paris. 1730.*

§. IV. Differt à juramento calumniæ, quod generale est, & omnia complectitur, quæ in iudicio aguntur, juramentum speciale, quod datur quoties opus est, in singulis actibus judiciariis, etiamsi generale sacramentum calumniæ emissum fuerit, eoque iurans affirmat, se non ex dolo, aut calumnia certum illum actum expedire. Juramentum hoc à Bonifacio VIII. (1) *mali-tiæ* juramentum dicitur, ut à generali juramento calumniæ distinguatur.

(1) *Cap. 2. §. 2. de Juram. calum. in 6.*

TITULUS IX.

De probationibus.

I. Causæ disceptatio.

II. Quid probatio; & ad quem

III. Probatio plena, & semi-

plena.

- IV. Confessio.
V. Positiones.
VI. Positionum effectus.
VII. Testes.
VIII. Unius testimonium.
IX. Qualis testium numerus requiratur?
X. ad XII. Testium qualitates.
XIII. Qui testimonium ferre nequeant in omnibus.
XIV. Qui in certis causis.
XV. Qui pro certis personis.
XVI. Qui contra certas personas?
XVII. & XVIII. Examen testium.
XIX. Examinis publicatio.
XX. Instrumenta.
XXI. Fides publici instrumenti.
XXII. Fides privatae scripturae.
XXIII. Juramentum, ejusque divisio.
XXIV. Juramentum voluntarium, & iudiciale.
XXV. Juramentum necessarium.
XXVI. Vis iuramenti, & quando ei locus sit.
XXVII. Inspectio rei controversæ.
XXVIII. Præsumptio juris, & de jure.
XXIX. Præsumptio juris tantum.
XXX. & XXXI. Præsumptio hominis, ejusque species.

§. I.

In acto litis fundamento, fit progressus ad causæ disceptationem. Si reus in iudicium veniens satius ducat adversario cedere, quam obsistere, & liberaliter coram iudice fateatur, veram, ac justam esse actoris petitionem, diutius iudicio non contenditur; cum reus ipse suo testimonio, ac sententia in se condemnationem protulisse videatur. Nullum tamen inde oritur impedimentum, quominus iudex, audita rei confessione, sententiam proferat. Nam scitum est, iudicium semel coeptum sententia esse absolvendum, nisi litigantes ultro, & mutuo consensu liti valedicant.

§. II. At si reus certamen non reformidet, iudiciumque suscipiat, adhibendæ sunt probationes, per quas iudici rei veritas innotescat. Neque enim ipsi non cognita rei veritate, sententiam, ferre licet (1). Probatio est illius rei, quæ in controversiam venit, legitime iudici facta demonstratio. Generatim onus probandi ad actorem pertinet, eoque non probante reus absolvitur, quamquam nihil ipse præstiterit (2). Sed interdum probandi onere tenetur reus, cum nimirum præsto est actori juris præsumptio (3); aut cum reus excipiendo aliquid affir-

Tom. III.

L

mat quo contraria actio perimi, ac repelli possit, quia tunc ipse in exceptione sua actor efficitur (4). Interdum etiam tam actor, quam reus probare debet, quod pro se quisque asseverat, uti fit in judiciis duplicibus familiaræ erciscundæ, communi dividundo, finium regundorum, in quibus uterque litigantium partes actoris sustinet (5).

- (1) *Can. 10. cap. 30. q. 5.*
- (2) *L. 4. Cod. de Eden., Can. 1. c. 6. q. 5.*
- (3) *Cap. 2. de Restit. spol. in 6.*
- (4) *L. 9. & 19. ff. de Probat.*
- (5) *Cap. 3. & 9. de Probat.*

§. III. Probatio alia plena sive perfecta, alia semiplena, sive imperfecta est (1). Plena est quæ plane, atque evidenter ostendit id quod proponitur, quæque apta est ad finiendam controversiam: semiplena, quæ fidem aliquam facit, sed non plenam, ac potius injicit opinionem, ut dictum unius testis, comparatio scripturarum, cetera similia.

(1) Plerique interpretes hanc tradunt probationum divisionem, quæ in foro receptissima est. Quamquam enim actor contra seum plene probare debeat id, quod proponit, tamen despicienda non est ea probatio, quæ conjecturam probabilem affert. Ea quidem satis non est ad condemnandum reum, sed tamen iudicis diligentiam excitat ad alias conquirendas probationes, quibus suppleatur id, quod in semiplena probatione deesse videtur. Ita hæc semiplena probatio necessitatem imponit iurijurandi, per quod aut reus se plane purgat, aut actor probationum inopiam supplet. Sane in *l. 31. ff. de jurejur.* scriptum est: "solent sæpe iudices in dubiis causis exacto iurejurando judicare." Et in *l. 3. cod. de Reb. credit.* habentur hæc: "Inopia probationum per iudicem iurejurando res decidi oportet." Jam vero in dubiis causis, & in inopia probationum; cujus gratia res iurejurando deciditur, non nisi ad semiplenas probationes referri potest. Accedit auctoritas Juris Canonici in *c. 4. de integr. rest.*, ubi hæc scripta sunt: *licet non constet ad plenum; & c. 6. de Frig. & malef.*, ubi hæc occurrunt: *quavis semiplene nobis expresseris.* Quo utroque loco sine dubio semiplena probatio designatur. Sed receptam hanc divisionem probationum in plenas, & semiplenas vehementer improbant Duarenus *l. 2. disp. 33.*, Donellus *ad tit. Pandectar. de jurejur. c. 11. n. 3. & seq. opp. t. 10. col. 747. & seq. ed. Lucæ cit.*, Faber *de Error. pragmatic. dec. 19. er. 1.* Inquiunt

enim, semiplenam probationem nullam esse, neque probatum haberi posse, quod perfecte probatum non est, quemadmodum vitiose cautum non videtur cautum *l. 6. ff. Qui satisd. cogan.*, neque stipulatio, emptio, testamentum valent, nisi perfecta sint omnia *l. 115. ff. de Verb. oblig., l. 19. ff. de Contrah. empt.* Verum hi actus individui sunt, propterea mirum non est, eos non valere, nisi perfecti sint. Sed probatio dividua est, ideoque eam plus, minusve evidentem sæpe dicimus, & interdum etiam *luce clariorem*, qualem causæ criminales postulant *l. ult. cod. de probat.*

§. IV. Inter plenas probationes principem sibi locum vindicat confessio, cum nulla sit probatio major ea, quæ à proprii oris confessione procedit (1). Fit autem confessio vel in iudicio, vel extra iudicium; idcirco dividitur in iudicalem, & extrajudicalem. Iudicialis confessio summam vim habet, ita ut qui eam emisit sua se sententia quodammodo damnassee videatur (2). Sed ut ea vires habeat, fieri debet à majore 25. annis coram competente iudice (3), ex certa scientia, sponte, atque libere, procul ab errore facti, quo probato nulla confessio est (4); denique non vaga, & incerta esse debet (5). Extrajudicialis confessionis non tanta vis est, neque ex ea confessus tamquam iudicatus habetur; verum & ea plenam probationem constituit, si coram adversario, & idoneis, rogatisque testibus emissa sit (6).

- (1) *L. 1. ff. de Confessis, l. 13. c. de Non numer. pecun.*
- (2) *L. 1. ff. de Confessis, l. unic. cod. eod.* Confiteri autem, inquit Paulus *Recept. sentent. l. 5. §. 3.* apud Schultingium *l. c. p. 448.*, *quis in iudicium non tantum sua voce, sed & litteris, & quocumque modo potest.* Locum hunc Pauli diligenter explicant Cujacius, & Schultingius *ibid.*
- (3) Confer Glossam in *c. ult. de Confessis.* Confessio coram incompetente iudice emissa extrajudicialis confessionis vim habet.
- (4) *Cap. 3. de Confessis, l. 2. ff. eod.* Verum de errore juris aliud est à legibus constitutum. Recte, præter ceteros, hoc argumentum persequuntur Donellus *ad l. 2. ff. de Confessis opp. t. 11. col. 393. & seq. ed. Lucæ cit.*, & Cujacius *ad tit. cod. de Confessis opp. t. 9. col. 1032. cit. ed. Mutin.*
- (5) *L. 3. & l. 6. ff. de Confess. l. 6. ff. de Jur. fisci.* Nam confessus incertum declarare debet, ut omnis dubitatio removeatur *l. 12. §. Nihil ff. de interrog. actio.*
- (6) *Novel. 90. c. 2., Auth. Rogati cod. de Testib.*

§. V. Ad eliciendam hanc confessionem jamdiu receptum est, ut litigantium alter alteri proponat positiones, sive articulos respicientes non causam universam, sed facta quædam quæ ad causam pertinent, ut iis ab adversario constitutis, alteri sit exploratum, quid probare ipse debeat, quid in probatis habere (1). Suffectæ sunt positiones interrogationibus, quæ olim ante contestatam litem fiebant in jure, sive apud Prætorem, cum quis, experiri vellet actione reali, puta hereditatis petitione, ac rei vindicatione, & nescius, possideretne, aut quo jure possideret reus, ex ejus ore actor exprimebat genus actionis, qua ipsum uti oportebat. Actio descendens ex his interrogationibus actio interrogatoria dicebatur, unde Pandectarum tituli *de interrogationibus in jure factis, & interrogatoriis actionibus*.

(1) *Cap. 1. de Confess. in 6.* Positiones, quales hodie adhibentur, jus civile ignoravit, atque earum primum meminerunt Decretales c. 54. *de Elect.*, & c. un. *de Lit. contest.* Quod vero inquit Clemens V. *Clem. Sæpe de Verb. signif.*, eas *longævo usu* in causis admissas, ad usum fori ecclesiastici referendum est.

§. VI. Ille cui sunt oblatae positiones, iisdem respondere juratus debet, ac si confessus fuerit, urgebitur testimonio suo, tamquam re satis certa, & probata; si respondere noluerit, aut ne responderet, à judicio discesserit; conscientia sua convictus judicabitur (1). Quod quidem obtinet, cum judex respondere jussit, nam qui à judicio discessit, antequam illud à judice mandaretur, contumax, non convictus existimatur (2). Videre autem in primis judex, & considerare debet, probandæ ne, an rejiciendæ sint positiones; non enim litigator positionibus obscuris, captiosis, dubiis, aut ad causam non pertinentibus cogitur respondere.

(1) *Cap. 2. de Confessis in 6.*

(2) *Cap. 1. de Confessis in 6.*

§. VII. Ubi confessione nequeat educi veritas, aliæ in medium afferendæ sunt probationes, & veritas exquirenda vel testibus, vel instrumentis, vel jurejurando,

vel oculari inspectione, vel indiciis, & præsumptionibus. Testes sunt personæ fide dignæ, quæ rei controversæ veritatem ostendunt, quodque ab iis dictum est, testimonium appellatur. Omnis quæstio de testibus ad tria capita facile redigitur, ad eorum numerum, qualitatem, examen.

§. VIII. Quod attinet ad numerum unius porro testis, quamquam ipse sit omni exceptione major (1), nulla tuta fides est (2); tantum facit, ne temere fiat, quod sine flagitii periculo fieri non potest. Ita cum dubitatur, num quis baptizatus sit (3), num ecclesia sit consecrata (4), cum agitur de impediendo matrimonio, deque avertendo malo, quod ex illo oriretur (5), uni testi credendum est. Sed & notario, qui ea confirmat, quæ sui officii sunt (6), nuntio, qui se aliquem citasse testatur (7), Episcopo, qui testimoniales litteras suo sigillo munitas dedit, parocho, qui de suorum vita, & moribus, magistro, qui de studio discipuli testimonium ferunt, omnis habenda fides est.

(1) Sed "testimonium ab uno licet Episcopo perhibitum omnes, judices indubitanter accipere" oportere, scriptum est in *Extravag. in fin. cod. Theodos. tit. de Episc. jud. p. 339. t. 6. ed. Gothofredi Lips. 1743.* De hac constitutione, quæ Constantini M. nomen præsert, & quam Gothofredus, alique falsam putant, satis egi loco superiori tit. 1. §. 22. not. 4. p. 27. et seq.

(2) *Cap. 10. et 28. de Testib., l. 8. cod. eod.*

(3) *Can. 110. de Consecr. dist. 4.*

(4) *Can. 16. de Consecr. dist. 1., ibique Glossa v. Nec certi.*

(5) *Cap. 12. de Sponsal., cap. 22. de Testib.*

(6) *Novel. 73. c. 7.*

(7) *Cap. 19. de Appellat.*

§. IX. Generatim tamen duo saltem, tresve testes requiruntur, ut plena probatio habeatur (1); nisi forte illorum numerus certa aliqua in re à jure sit definitus. Nam sunt certa quædam negotia, quæ plures eo numero testes requirunt (2); & in his quidem præscriptus numerus omnino adhibendus est. Ita personæ dignitas fecit, ut plures, quam duos, tresve, Ecclesia testes postularet, ut Episcopus condemnaretur (3). Expediit autem

universe plures afferre testes, ut firmior, & luculentior probatio habeatur; modo adversarius non cogatur graves perferre sumptus propter inanem testium multitudinem. Jus civile eam rem permittit arbitrio iudicis, cuius est testium numerum moderari (4); sed jure decretalium testes supra quadraginta ex utraque parte in medium afferri non possunt (5).

(1) *Cap. 23. de Testib., l. 12. ff. eod.*

(2) *L. 1. §. 2. ff. de Testib., c. 23. mox cit. Consule Brissonium Select. q. l. 2. c. 17.*

(3) Contra Episcopum testes 72. adhiberi voluisse Zephyrinum Pontificem, tradit Liutprandus in *eius Vit. p. 183. ed. Antwerp. 1640.* Eundem hunc numerum expresserunt Leo IV. in *can. 3. c. 2. q. 4.* & Capitularia Caroli M. *l. 1. c. 133. t. 1. col. 491. edit. Baluzii Ven. 1772.*; ac Macedonium Episcopum Constantinopolitanum ab Episcopis septuaginta duobus de gradu dejectum narrat Auctor *Chronic. Alexand. Olymp. 285. in Biblioth. PP. t. 12. p. 951. ed. Lugdun.* Imperatores Valentinianus, Valens, & Gratianus in *l. 20. Cod. Theod. Quor. appellat. non recip. testes 70.* memorant adhibitos in causa Chromatii Episcopi; & Augustinus in *Brevic. collat. diei 3. c. 14. opp. t. 9. col. 569. ed. Ven. cit.* mentionem facit Concilii apud Carthaginem à Donatistis habiti, quo Cæcilianus ab Episcopis fere septuaginta condemnatus fuit. Mitto decretum Concilii Romani sub Silvestro Pontifice, quod est apud Gratianum *can. 2. c. 2. q. 3.*, & quo habentur hæc: "Præsul non damnabitur, nisi cum 72. testibus. . . . Presbyter Cardinalis nisi cum 44. . . . Diaconus, Cardinalis Urbis Romæ nisi cum 27. . . . Subdiaconus, Acolytus, Exorcista, Lector, Ostiarius 7."; itemque mitto acta Concilii Sinnessani, ex quibus constat, adhibitos fuisse testes 72. adversus Marcellinum, qui idolis thus adolevisse ferebatur. Mitto inquam utrumque, quoniam Romanum illud Concilium ab Isidoro Mercatore fuisse confictum, omnes norunt; & similiter omnibus compertum est, fabulam esse Marcellini lapsum, & acta Synodi Sinnessanæ, quod, præter ceteros, late ostendit Papebrochius in *Conat. Chronol. Histor. in S. Marcellin. Dissert. 7. in Propyl. ad act. SS. Maii p. 42. & seq. ed. Antuerpiæ.* Illud in his actis cura, & observatio dignum est, quod dicitur: *hi omnes electi sunt viri libræ occidentæ* vocabulo testes 72. significari. De *libræ* nomine parum laboro. Nam veteres nominibus ponderum numeros designare solebant, quod præ ceteris ostendunt *libræ* & *unciarum* vocabula usurpata ad significandam integram hereditatem, quæ duodecim partibus constat. Mirum igitur non est, quod in actis Sinnessanis *libræ* nomine 72. tes-

tes intelligantur, quoniam Valentiniani, & Valentis constitutione in *l. 5. Cod. de Susceptor. l. 10.* sancitum est, ut libra constaret solidis septuaginta duobus. Neque refert, quod Marcellinus Valentiniano & Valente antiquior fuerit. Nam, ut rectissime est à Baronio ad *an. 302. n. 94. seq. t. 3. p. 330. ed. Luca* observatum, acta Synodi Sinnessanæ, qualia nunc extant, recentiore habent auctorem, qui verba secundum sui temporis consuetudinem usurpavit. Itaque de *libræ* nomine expedita res est: sed non ita facile judicari potest, quamobrem Auctor eorum auctorem hanc *libram occidentam* appellat. Joannes Dartis in *Decret. Gratian. c. 2. q. 5.* non *occiduam*, sed *assiduam* legendum putat, hoc est *veram*, & *expensam*, uti eam vocem explicat testimonio Isidori *Orig. l. 10. p. 65. ed. Paris. an. 1580.*; sed id quidem est contra omnium codicum fidem, & auctoritatem. Cujacius *Observ. l. 7. c. 9. opp. t. 3. col. 455. ed. cit.*, & Baronius *l. mox. cit.* *libram occidentam* occidentalem explicant. Nam discrimen constituunt inter *libram Orientalem*, & *Occidentalem*, quarum altera constabat solidis octuagintaquatuor secundum Constantini constitutionem in *L. 1. Cod. Theod. de Ponderat.*, altera ex *cit. l. 5. Cod. de Susceptor. l. 10.* solidos septuaginta duos continebat. Sed, ut bene monet Cironius *Observ. l. 4. c. 5. p. 80. ed. Vindobonæ 1761.*, nulla est hæc Orientalis, & Occidentalis libræ distinctio; nec quod Constantini lex Antiochiæ, lex autem Valentiniani, & Valentis Romæ lata fuerit, exinde effici potest, quod illa tantum ad Orientem, hæc vero ad solum Occidentem pertineret. Imo vero cum illi utrumque tenerent imperium, sine dubio tulerunt legem, qua totum imperium obstringeretur. Ipse Cironius *occiduam libram* in actis Marcellini interpretatur *stateram*, & paria libramenta accurato examine; sic ut *occidua* libra sit, quasi vergens, atque ad unam partem inclinans. Rejicit hanc sententiam Jacobus Gothofredus ad *l. unic. Cod. Theod. de Oblation. vot. t. 2. p. 463. ed. Lipsiæ cit.*, & *occiduam libram* explicat *imminutam*, quemadmodum à scriptoribus *occiduam*, *imminutum*, & quod *occidit*, passim appellari demonstrat.

(4) *L. 1. §. 2. ff. de Testib.*

(5) *Cap. 37. eod.*

§. X. Multa etiam in testibus requiruntur ut eorum testimonium iudicio probetur. Principio citandi, atque etiam inviti cogendi sunt ad ferendum testimonium, & patefaciendam veritatem. Vetus est jus cogendorum testium in causis criminalibus (1); sed postea Justinianus etiam ad civiles causas jus idem produxit (2), atque ita factum est, ut in his quoque causis inviti darentur testes, qui pridem erant tantum

voluntarii (3). Nunc igitur jure civili etiam invitis denuntiatur testimonium, exceptis cognatis, affinibus, & quibusdam aliis (4).

(1) *L. 4. §. et 19. ff. de Testib.*, Plinius *l. 3. Ep. 9. ad Minutian. p. 62. ed. Oxonii 1703.* Confer Cironium *ad tit. Decretal. de Testib. cogen.*

(2) *L. 16. et 19. Cod. de Testib.* Antiquiorem illam constitutionem, qua novum hoc jus induxit Justinianus, ipse memorat *cit. l. 16.*; eam vero ex Basilicis restituit Cujacius *Observ. l. 8. c. 13. opp. t. 3. col. 186. ed. cit.* De testibus ad ferendum testimonium cogendis est etiam decretum in Lege Ripuariorum *c. 50. apud Baluzium Capitular. Reg. Franc. t. 1. col. 27. ed. Ven. 1772.*, & in Lege Salica *c. 51. apud eundem Baluzium l. cit. col. 225.* "Si quis, in Lege Salica scriptam est, testes necessarios habuerit, & fortasse ipsi ad placitum, (judicium) venire noluerint, ille, qui eos necessarios habet, munnire (monere) illos debet. Si vero venire noluerint, & eos sunnis (legitimam impedimentum) non detinuerit, unusquisque illorum sexcentis denariis, qui faciunt solidos quindecim, culpabilis judicetur.

(3) Confer Quintilianum *Inst. Orat. l. 5. c. 7. p. 243. ed. Pavii 1736.*

(4) *L. 4. §. 8. 19. ff. de Testib.*

§. XI. Romana Ecclesia testes hortari, & mone-
re, non cogere consuevit (1). Tantum ecclesiasticus
judex invito testimonium denuntiat, si is odio, vel
gratia, vel timore se subtrahat (2); atque alia desit
probatio, unde veritas nosci possit (3). Et laicum qui-
dem ipse judex cogit ad ferendum testimonium per
excommunicationem (4), clericum vero per suspensio-
nem ab officio, & beneficio, quam, si adhuc pergat
obsistere, sequi potest sententia excommunicationis, ac
depositionis (5). Quod si quis jurejurando promiserit,
se non dicturum testimonium, nulla vis sacramenti
est (6).

(1) *Cap. 1. & 3. de Testib. cogen.*

(2) *Cit. cap. 1.*

(3) *Cap. 5. & ult. de Testib. cogen.*

(4) *Cap. 1. §. 9. ult. eod.*

(5) *Cap. 2. eod.*

(6) *Cap. 18. de Testib., C. ult. de Testib. cogen.*

§. XII. Sed & jurati debent esse testes, quoniam
injuratis non creditur, nisi eis adversarius jusjurandum
remiserit (1); præterea non singulares, quales sunt,
qui singuli de disjunctis, diversisque actibus testantur,
iique, inter quos de eodem actu non convenit (2), ne-
que qui rem ex auditu deprehenderint, quia testes
auriti plenam sibi fidem non vindicant, nisi alia præ-
sto sint adminicula, aut nisi aliud causæ natura pos-
tulet (3); denique nullo vitio laborare debent, prop-
ter quod à testimonio repellantur. Quidam enim ab
omnibus judiciis arcentur, quidam ab aliquibus, quo-
rundam testimonia pro certis personis, quorundam
contra certas personas non recipiuntur.

(1) *L. 8. cod. de Testib., c. 39. et 51. eod.* Vide etiam Ca-
pitularia Caroli M. *l. 7. c. 283. t. 1. col. 727. ed. Baluzii Ven. 1772.* Forte hujus sacramenti à testibus emittendi necessitas fe-
cit, ut non nisi à jejunis testimonium dari deberet. In Capitu-
laribus Caroli M. & Ludovici Pii *l. 5. c. 252., et l. 6. c. 277.*
apud Baluzium *t. 1. col. 584. et 648. ed. cit.* scriptum est: "Omni-
no, nullus, nisi jejunus, ad juramentum, vel ad testimonium admitta-
tur." Quod idem constitutum est *in c. 1. de Testib.*, "Nul-
lus testimonium dicat, nisi jejunus." Nam, uti sancitum est in
canone, quem Cornelli P. nomine describit Burchardus in *Decret.*
l. 12. c. 12.; "honestum, & justum videtur, ut qui in sanc-
tis audet jurare, hoc jejunus faciat cum omni honestate, &
timore Dei." Sane vetus hæc est Ecclesiæ disciplina, ut non nisi à
jejunis sacra tractentur *can. 6. et 7. dist. 5. de consecr.* Sed ne
despicienda quidem videtur conjectura eorum; qui testes jejunos
testimonium ferre debuisse putant, ne onusti vino, & cibo per-
turbatam, aut minus veram attestationem emitterent. Sane in iis-
dem Capitularibus Caroli M., & Ludovici Pii *c. 103. l. 5. l. cit.*
col. 563. cautum est, ut "nullus ebrius suam causam in mallo
, possit conquirere, nec testimonium, nec placitum Comes ha-
beat, nisi jejunus." Illud de Episcopis, statutum est *Novel. 123.*
c. 7., eos non ad instar aliorum testium jurejurando, sed fide
tantum sua, ut decet Sacerdotes Dei, propositis sanctis Evange-
liis, testimonium ferre oportere. Triburiensi autem Concilio *an 89.*
can. 21. col. 640. t. 11. collect. Labbæi sancitum est, "ut Pres-
byter vice juramenti per sanctam consecrationem interrogetur, quia
, sacerdotes ex levi causa jurare non debent." Consule Chris-
tianum Lupum *Append. ad Ephesin. Latrocin. c. 2. act. 1. opp.*
t. 2. p. 220. ed. Ven., ubi causas habes, propter quas clerici
jurant.

(2) *Cap. 33. de Testib., C. 9. de Probat., C. 23. et 32. de Elect.*

(3) *Cap. 5. 27. & 47. de Testib., c. 13. de Probat.* Tempus, quod hominum memoriam superat, per testes ex auditu, in quibus insint omnia, quæ inesse oportet, recte demonstratur *l. 28. ff. de Probat.* Iisdem quoque testibus consanguinitatem probari, traditum est; sed hodie, uti monet Cujacius *ad c. 47. de Testib. opp. t. 6. col. 856. ed. cit.*, Lateranensis Concilii decreto arcta ad quartum gradum prohibitione nuptiarum, arctatur etiam de auditu testimonium. Confer ipsum *cap. 47. de Testib.*

§. XIII. A judiciis omnibus, tamquam minus apti, & idonei ad ferendum testimonium, repelluntur furiosi, amentes (1), itemque impuberes, servi, perjuri, infames, excommunicati (2). Quin jure Decretalium quilibet reus criminis postulatus, etiamsi nondum confessus, convictus, damnatus, & notatus infamia sit testimonium dicere prohibetur (3); exceptis gravioribus criminibus, qualia sunt simoniæ, & læsæ majestatis (4), in quibus etiam infames testimonium ferunt (5). Nam testes non tantum infamia, sed etiam infamiæ suspitione vacare oportet (6). Ceteri criminosi omnino rejiciuntur, cum adhuc in sceleris contagione versantur (7). Qui crimen perpetrarunt, modo perjuri non sint (8), ac deinceps salva existimatione abjecerent, in judiciis civilibus, non item criminalibus, in quibus de crimine, pœnaque agitur, testes esse possunt (9).

(1) §. *Item furiosi Inst. Quib. non est perm. fac. test., et l. 20. §. Ne furiosus ff. Qui testam. fac. pos.*

(2) *Can. 1. et 3. c. 4. qu. 3., c. 47. de Testib.*

(3) *Cap. 54. et ult. de Testib.*

(4) *Cap. 7. de Simon., c. 1. de Testib. in 6. Ivo Carnotensis Ep. 27. opp. t. 2. p. 13. ed. Paris. 1647.* "Cum in aliis accusationibus, inquit accusatorum, & testium innocentia queratur, ad insimulationum tamen simoniæcorum etiam infames personas admitteri."

(5) *Cap. 31. de Simon.*

(6) *Cap. 1. de Except., can. 39. c. 2. qu. 7. can. 2. et 3. cap. 3. qu. 11.*

(7) *Cap. 54. de Testib., c. 32. de Simon.* Confer etiam Capitularia Caroli M. *l. 7. c. 324. t. 1. col. 732. ed. Baluzzii cit.*

(8) Qui in alia causa aliquando pejerasse probantur, etiamsi de perjuria illo damnati non fuerint, testes esse prohibentur, *c. 7. de Testib. can. 18. c. 6. qu. 1. c. 7. et 14. c. 22. qu. 5.*

(9) *Cap. 54. de Testib.*

§. XIV. In certis causis testimonium ferre nequeunt fœminæ in causis criminalibus (1), nisi plane alius desit veritatis ostendendæ locus, ac nisi agatur de gravioribus criminibus simoniæ, & læsæ majestatis, in quibus etiam minus idonei testes recipiuntur (2); patronus, & advocatus in causa, quam defendunt (3), judex in causa, quam judicat (4), denique omnes in propria causa testes esse prohibentur (5).

(1) Jure civili à causis criminalibus mulierum testimonium excluditur, si hæc corpore quæstum faciant *l. 3. §. 5. ff. de Testib.* Sed decretales omnes universe fœminas repellunt.

(2) *Cap. 3. et 4. c. 15. qu. 3.*

(3) *Glossa in c. 6. de Test., et L. fin. ff. cod.*

(4) *Can. 38. c. 2. qu. 6.*

(5) *Can. 1. et 2. c. 4. qu. 4., l. 9. cod. de Testib.*

§. XV. Pro certis personis testimonium ferre nequeunt ii, qui sunt de domo, sive familia nisi sint spectatæ fidei, & probitatis (1), vel nisi in controversiam veniat, quod alio modo probari non potest; veluti si queratur de cognatione, legitimis natalibus, ætate (2). Similiter neque amici testimonium dicunt in causis amicorum (3), neque ii, qui similem cum aliis habent controversiam; & quorum judicium illud interesse potest (4); itemque monachi, & clerici in profanis rebus coram laico iudice testimonium ferre ventantur, nisi aliud postulet necessitas ostendendæ veritatis; uno casu sunt testes cum sui antistitis venia, aut eorum testimonia ecclesiasticus iudex recipit.

(1) *L. 1. cod. de Testib., cap. 24. de Testib.*

(2) *Cap. 3. Qui matrim. accus. pos.*

(3) *L. 3. ff. de Testib.*

(4) *Cap. 10. et 20. de Testib.*

§. XVI. Postremo adversus certas personas testes es-

se nequeunt reus contra socios criminis (1), exceptis criminibus læsæ majestatis, hæresis & simoniæ (2), inimicus contra inimicum (3) libertus contra patronum (4), filius contra Patrem, & Pater contra filium; exceptis causis matrimonialibus (5); hæreticus, ethnicus, iudæus contra orthodoxos (6); denique in causis criminalibus Laici a ferendo contra clericos testimonio jure decretalium repelluntur (7).

- (1) *Cap. 1. de confessis, c. 10. de Testib.*
 (2) *Can. 2. dist. 79., c. 4. de Hæret. in 6., c. 1. de Testib. in 6.*
 (3) *Cap. 32. de Simon.*
 (4) *L. 4. ff. de Testib., l. 11. cod. de Testib.*
 (5) *Can. ult. c. 4. qu. 2., l. 3. ff. de Testib., l. 5. cod. eod.*
 (6) *Can. 24. et 26. c. 2. qu. 7.*
 (7) *Cap. 14. de Testib.*

§. XVII. Probi, & honesti testes legitime examinandi sunt, ut ipsis in judicio fides habeatur. Ergo qui probare debet, quod est incertum, testes producit, quos inde competens judex advocat, posteaquam eos dignos judicavit, qui in judicio recipiantur. In primis autem citandus est adversarius, contra quem testes afferuntur, ut contra ipsos proponat, si quid forte objiciendum habeat (1). Sic probati testes initio jurant, se procul habere causas omnes gratiæ, odii, simultatis, eaque dicturos, quæ vere sciunt, non ut cuiquam gratificentur, neque ut spem aliquam propositam habeant, sed quod uno veritatis studio feruntur (2). Deinde à judice clam, & seorsim ab aliis singuli interrogari, & examinari debent (3); nisi ex justa causa ad judicem venire impediatur, quia tunc ad eos mittitur qui interroget (4).

- (1) *Cap. 2. de Testib., quem in locum vide Cujacium opp. t. 6. col. 837. ed. cit.*
 (2) *L. 8. cod. de Testib., c. 31. & 47. eod.*
 (3) *Cap. 52. de Testib.*
 (4) *L. 15. ff. de Jurejur., c. 8. de Testib.* Episcopos ad ferendum in judicium testimonium vocari vetuit Justinianus *Novel. 123. c. 7. & 8.*

§. XVIII. Summa in hoc examine diligentia est adhibenda (1), & responsa testium clara esse debent, ita ut si obscura sint, iterum illi interrogari debeant (2). Interrogantur autem de circumstantiis, personis, loco, tempore, credulitate, fama; in primis autem scientiæ causam afferre testes oportet per eum corporis sensum, cui res controversa subjicitur, veluti per fidem oculorum, si de facto, per fidem aurium, si de dicto quærat (3). Quæ interrogationes plerumque ab adversario proponuntur (4), quo præsentem interrogandi sunt testes, quæ civilis (5), & canonici juris (6) disciplina est; sed fori usu jamdiu receptum est, ut clam à judice interrogentur, ac tantum vocetur adversarius, ut adsit, cum illi sacramentum emittunt (7).

- (1) *Cap. 52. de Testib.*
 (2) *Cap. 53. eod.*
 (3) *Cap. 37. & 47. eod.*
 (4) *Cap. 2. de Testib. in 6.*
 (5) *L. 15. cod. de Testib., Novel. 90. c. 9.*
 (6) *Cap. 2. de Testib.*

(7) Error interpretum, maxime veterum, hunc morem induxit; error autem processit ex prave intellecta Zenonis constitutione in *L. 12. cod. de Testib.* Ea quidem scriptum est *intrare testes judicantis secretum.* Verum, ut bene monet Polletus *Histor. for. Rom. l. 5. c. 12.*, secretum est tribunal, ac judicii locus; non autem hæc verba significant, quod putarunt Interpretes, testes secreto interrogandos, atque examinandos esse. Consule Cujacium *ad c. 2. de Testib. t. 6. col. 837. ed. cit.*

§. XIX. Peracto testium examine publicanda, sive vulganda, ac litigantibus demonstranda sunt omnia, ut intelligant, quid gestum, dictumque sit, ac si quid habent objiciendum proferant (1). At post publicationem neque super propositis articulis, nisi forte aliqui omissi fuerint (2), interrogandi sunt testes (3); neque in eorum personas aliquid opponi potest, nisi qui eos refellit, prius juret, se id non dolo facere, aut nisi ante publicationem protestatus sit, aut nisi ostenderit, se demum post publicationem didicisse exceptionum causas, quas ignoraverat (4). Testes ab actore datos refellere potest reus contrariis ab se productis

testibus, quos actor aliis item testibus refutabit; atque hic debet consistere productio testium, ut lites habeant medium quemdam modum (5). Cum inter actoris, reique testes pugna est, plus fide digni, ac verisimiliora affirmantes, cum hæc in omnibus paria sunt, plures numero præferuntur (6). Testimonia vero in uno iudicio recepta fidem faciunt in eadem causa, & inter easdem personas coram alio iudice (7); sed in summario recepta in plenario non probant (8).

(1) *Cap. 15. et 41. de Testib.*

(2) *Cap. 48. eod.*

(3) *Cap. 17. 18. 25. eod.*

(4) *Cap. 31. eod.*

(5) *Cap. 15. 36. 49. 55. eod.* Sed interdum, ut his locis explicatur, iustis de causis etiam quarta testium productio conceditur. Illud omittendum non est, quod recte observat Cujacius *ad c. 49. de Testib. cit. t. 6. col. 836.*, magnum inter refellendos, producendosque testes discrimen intercedere. Nam testes refelli, & refutari etiam post publicationem recte possunt; cum tamen post publicationem idem, vel alii non producantur.

(6) *Cap. 32. de Testib.*

(7) *Cap. 11. eod.*

(8) *Cap. 38. eod.*

§. XX. Præter testes, probationes educuntur etiam ex instrumentis, nimirum ex scripturis, quæ fidem iudici faciunt rei, quam continent. Nam angustiori significatione scripturæ instrumenta appellantur, cum latiori significatione; quidquid ad causam instruendam pertinet, ideoque etiam testimonia instrumentorum nomine comprehendantur (1). Instrumentorum quæ rite confecta sint, eadem est in iudicio, quæ testium, fides, & auctoritas (2), eaque vel publica, vel privata sunt. Publica instrumenta, sive scripturæ sunt quæ publica auctoritate conficiuntur à personis, quibus id munus datum est, uti sunt censuales tabulæ, instrumenta à notario rite conscripta, acta judicialia, scripturæ ex publicis archivis eductæ (3), & à publica persona confectæ, Eodem loco sunt scripturæ publicæ, & autentico sigillo obsignatæ, veluti Principis, Epis-

copi, Capituli, Universitatis; itemque libri Parochorum, in quibus baptismata, matrimonia, funera describuntur. Privatæ scripturæ à privatis nulla publica auctoritate conficiuntur, & huc spectant epistolæ, apochæ, antapochæ, chirographa.

(1) *L. 1. ff. de Fid. instrum.* Harmenopulus *l. 1. t. 2. c. 12.* *ἐπισημασμένα* vocat tam probationes, quam instrumenta; quia hæc probant illud, quod iudicio proponitur; & causarum firmamenta sunt. In Basilicis vero, & apud eundem Harmenopolim instrumenta proprie dicuntur *συμβόλαια* pacta conventa in scripturam redacta, ut actum facilius probari possit *L. 4. ff. de Fid. instrum.*

(2) *L. 15. cod. de Fid. instrum.*

(3) *Auth. Ad hæc cod. de Fid. instrum.*

§. XXI. Publica instrumenta plenam in iudicio probationem constituunt; modo authentica ipsa, hoc est autographa proferantur (1). Nam exemplo non facile creditur, nisi ex autentico sumptum legitime sit, & cum eo conferatur, probeque conveniat (2). Fides tamen publicis quoque instrumentis subtrahi potest exceptione falsitatis, quæ pluribus testibus evidenter demonstrata sit (3). Præterea nihil efficit qui inter se contrarias scripturas protulit (4), aut abrasas in loco suspecto (5), aut lectionis ita impeditæ, ut legi, & intelligi nequeant (6).

(1) *Cap. 1. & 16. de Fid. instrum., l. 16. 17. 19. cod. eod.*

(2) *Cap. 1. & 16. eod.*

(3) *Cap. 10. eod.*

(4) *Cap. 13. eod.*

(5) *Cap. 3. eod., c. 7. de Relig. dom., c. 14. de Privil.*

(6) *Cap. 6. de Fid. instrum.*

§. XXII. Privata scriptura, cujus est comperta veritas, tantum contra scribentem probat, modo causa debiti expressa sit (1); excepta liberatoria confessione, in qua creditor sibi solum debitum profitetur, quæque, nulla etiam adjecta causa, contra scribentem probationem facit (2). Sed scripturæ, quæ tribus munitæ sunt testibus, vim habent publici instrumenti (3);

ac libris mercatorum publicæ utilitatis, & commercii ratio tam pro scribentibus, quam contra scribentes fidem tribuit.

(1) *L. 25. §. ult. ff. de Probat., c. 14. de Fid. instrum.*

(2) *L. 40. ff. de Pactis.*

(3) *L. 11. cod. Qui potior. in pignor. habeant.* Necessè tamen est, uti animadvertit Brunnemannus in *cit. l. n. 6.*, quod constet de manu, & subscriptione testium, sive per recognitionem, sive per comparationem, & quod etiam partes ipsæ subscripserint, testesque idonei sint.

§. XXIII. Est & probatio, quæ oritur ex jurejurando, quod definitur affirmatio religiosa, hoc est advocatio Divini Numinis in testem ejus rei, quæ promittitur, aut asseritur. Dividitur Jusjurandum in promissorium, & assertorium. Illud futurum respicit, atque in contractibus non raro adhibetur; hoc ad præsens, aut ad præteritum tempus pertinet. Assertorium juramentum triplex est, voluntarium, judiciale, & necessarium (1).

(1) Inscriptio illa tituli Pandectarum *de Jurejurando sive voluntario, sive necessario, sive judiciali* triplicem hanc habet jurisjurandi divisionem.

§. XXIV. Voluntarium est, quod alter alteri aut ex conventu, aut sine conventu extra judicium defert, vel refert (1). Deferre jusjurandum est adversario offerre jurisjurandi conditionem; referre autem est non suscipere hanc conditionem, eamque in ipsum offerentem rejicere. Judiciale juramentum est, quod in judicio alter litigantium alteri defert, judice non cogente, sed approbante; necessarium est, quod judex vel actori, vel reo defert, ubi plena probatio desit, ut inde veritas innotescat (2).

(1) Recte hoc jusjurandum voluntarium dicitur, quoniam sive illud ex pacto emittatur, hoc quidem ex libera litigantium voluntate procedit, ac præterea qui idem ex pacto deferre debet neque extra judicium ad deferendum cogi, neque item, si deferat, adversarium ad jurandum adigere possit; sive contra sine conventu

deferatur, integrum sit deferenti non deferre; integrum ei, cui delatum est, nec præstare, nec referre; integrum denique ei, cui relatum est, nec tunc illud præstare, quoniam semper deest, qui cogat, cum id privatus in privatum efficere nequeat. Consule Voetium in *Pandec. l. 12. tit. 2. n. 7.*

(2) De voluntario jurejurando eadem est Latinorum, Græcorumque sententia, sed de necessario, ac judiciali magna dissensio est, quam jam sua ætate fuisse tradit Azo in *Summa cod. de Jurejur. n. 6.* Nam Græci necessarium vocant, quod alter alteri in judicio defert, judice suscipiendi, aut referendi juramenti necessitatem imponente; judiciale, quod judex ipse defert sponte sua. Balsamon in *Nomocanon. Photii tit. 13. c. 18.*, apud Justellum *Biblioth. Jur. canon. t. 2. p. 1117. ed. Paris. 1661. Voluntarium*, inquit, "quod datur ex voluntate partium extra judicium; necessarium, quod deferente actore, & ex interloquutione judicis datur; judiciale, quod judicis sententia, etiam nolentibus iis, qui litigant, controversiam decidit." Cujacius in *Paulum Recept. senten. l. 5. tit. 31. opp. t. 1. col. 459.*, & *ad Edict. Paul. l. 18. Leg. 17. t. 5. col. 211.* ita rem omnem distinxisse videretur, ut voluntarium jusjurandum sit, quod alter alteri extra judicium defert, necessarium, quod alter alteri in judicio, judiciale, quod à judice defertur. Tum *Observ. l. 18. c. 35. t. 3. col. 494.* jusjurandum alteri ab altero delatum *voluntarium*, aut *necessarium* esse inquit, voluntarium, quod extra judicium, necessarium, quod in judicio defertur. Verum in *Paratiil. Digestor. ad tit. de Jurejur. sive voluntar. sive necessar. sive judicial. t. 10. col. 393.* voluntarium esse inquit, quod ab altero alteri defertur in judicium, vel extra judicium; necessarium, quod refertur; judiciale, quod à judice refertur. Ego communem Latinorum opinionem sequor. Sane Gajus in *l. 1. ff. de Jurejur.* "maximum, inquit, remedium expediendarum litium in usum venit jurisjurandi religio, qua vel ex pactione ipsorum litigatorum, vel ex auctoritate judicis deciduntur controversiæ." Duplex hoc loco Gajus jusjurandum proponit, alterum, quod *ex pactione litigatorum*, alterum, quod *ex judicis auctoritate* emittitur. Juramentum, quod ex litigatorum pactione procedit, necessarium esse omnino non potest; cumque huic pactioni opponatur judicis auctoritas, quæ necessitatem facit, consequens est, ut necessarium juramentum illud prorsus habeatur, quod in dubiis causis à judice pro sua auctoritate defertur. Juramentum autem ex pactione aut in judicio, aut extra judicium datur. Hoc plane voluntarium est, illud judiciale, quoniam coram judice emittitur. Revera Paulus *l. 17. de Jurejur.* juramenti ex conventionione non unum genus constituit. *Jusjurandum*, inquit, *quod ex conventionione extra judicium defertur, referri non potest. To extra judicium* evidenter ostendit, aliud esse jusjurandum ex conventionione, quod in judicio defertur; & hoc non nisi judiciale jura-

mentam esse potest, quod ab alio distinguitur propter conventionem, quæ in iudicio facta est. Gajus, qui genus enarrabat juramentorum finiendæ litis causa institutorum, utrumque juramentum, quod nos voluntarium, & iudiciale appellamus, complexus est uno verbo *ex conventione*; sed Paulus, qui speciem explicabat conventionalis juramenti, addere debuit *extra iudicium*, ut ostenderet, non utriusque conventionalis juramenti vim eandem esse, sed aliud valere juramentum ex conventione in iudicio, aliud juramentum ex conventione extra iudicium facta. Communem Latinorum de iurjurandi distinctione sententiam, præter ceteros, late exornant Donnellus in *tit. Digest. de Jurejur. opp. t. 10. col. 849. seq.*, & Voetus in *Pandect. l. 12. tit. 2. n. 7.* Vide etiam Ant. Matthæum de *Judic. Disp. 10. th. 6. & 7.*

§. XXV. Juramento necessario locus est in causis dubiis, idque dicitur *suppletorium*, quoniam eo semiplena probatio suppletur (1). Dubiæ causæ ex veriori sententia sunt, in quibus plena probatio data non est, puta, quod graves adsint præsumptiones, quæ non omnem abigunt scrupulum, aut quod allati sint testes, in quos aliqua exceptio cadere posse videatur. Defertur hoc jusjurandum ei, qui semiplene probavit, modo personarum, & causæ ratio habeatur (2); & si reus æque, atque actor semiplene probaverit, deferendum est reo, cujus in re dubia potior causa est (3).

(1) Qui semiplenam probationem contemnunt, juramenti suppletorii nullam rationem habent. At in *dubiis causis*, ut inquit Gajus in *l. 31. ff. de Jurejur.*, vel, ut loquuntur Diocletianus, & Maximianus in *l. 3. cod. de Reb. cred.*, in probationum inopia iudex delato juramento litem finit. Verum si quærimus, *dubia causa*, & *inopia probationum* nihil est aliud, quam causa, in qua semiplene probatum est. Nam si dubiam causam, & inopiam probationum intelligamus causam, in qua pares ab actore, & reo probatione datæ sunt, par erit utriusque causa, ideoque absolvere oportebit reum, ejus in pari causa potior conditio est *l. 125. & 128. ff. de Regul. jur.*, c. 6. de *Fid. instrum.*, c. 65. de *Verb. signif. in 6.* tantum abest, ut jusjurandum à iudice deferendum sit. Rursus si probationum inopiam, quod placuit Giphano in *l. 3. de Reb. cred.*, intelligamus causam, in qua nihil ab actore probatum est, erit omnino judicandum pro reo, quem *actore non probante...* & *si nihil ipse præstet, obtinere* voluit Imperator Antoninus in *l. 4. cod. de Eden.* Restat igitur, ut dubiam causam, & inopiam probationum omnino referamus ad causam, in qua semiplene probatum est.

- (2) *Cap. ult. §. de Jurejur.*
 (3) *L. 125. & 128. ff. de Regul. jur.*

§. XXVI. Oblatum juramentum litigantes recusare non possunt, nisi justam habeant recusandi causam; ut si deferatur reo, contra quem nihil probavit actor, aut actori, qui plenam probationem attulit (1). Delato, & emisso juramento secundum eum, qui juravit, ferendum iudicium est (2). In omnibus autem causis civilibus huic juramento locus est, non item in criminalibus propter perjurii metum (3).

- (1) *Cap. 2. de Probat.*
 (2) *L. 31. ff. de Jurejur.*
 (3) Consule Voetum in *Pandect. l. 12. tit. 2. n. 10.* Juramentum hoc, quo quis se purgat ob infamiam ex crimine contractam, purgatio canonica appellatur, de qua titulus est in Decretalibus de *Purgatione canonica*, & cujus olim frequens usus erat. "Clerici, qui sunt de apostasiæ crimine infamati... per districtionem ecclesiasticam coercendi sunt, donec deficiente probatione, ad infamiam abolendam purgationem canonicam curaverint exhibere," inquit Innocentius III. in *cap. 3. de Apostat.* Idem de clerico homicidii reo in *c. 14. de Homicid. volunt., vel casual.*, de calumniæ suspecto in *c. 2. de calumn.*; de presbytero accusato in *c. 10. de Accusat.*, de clerico concubinator suspecto in *c. 8. de Cohabit. cleric. & mulier.* statutum est. Memorant quoque hoc sacramentum Augustinus *Ep. 78. opp. t. 2. col. 241. ed. Maurin.* Ven. 1759., Gregorius M. *l. 2. Ep. 33. l. 7. Ep. 18. l. 13. Ep. 34. opp. t. 2. col. 597. 864. 1241. ed. Paris. cit.*, & Gregorius Turonensis *Histor. Francor. l. 8. c. 9. & 40. col. 382. & 411. ed. Paris. 1699.* Jurare olim mos fuit *ad B. Petri corpus*, de qua formula, & similibus videndus Du-Cangius in *Glossar. Veteri consuetudine*, institutoque juraturus, tres, quinque, aut septem ejusdem prope ordinis vicinos, aut saltem, qui eum plane nossent, ac probatæ fidei essent, sibi socios, tamquam adsertores, adsciscebat *can. 12. 13. 16. 17. 19. c. 2. qu. 5., c. 7. 9. 11. de Purgat. canon.*, quo spectant formulæ *tertia, quinta, aut septima* manu jurare. Interdum plures etiam ad jurandum vocabantur, si aut qui se purgabat, laicus esset, aut gravioris esset infamia criminis, qua clericus laborabat *c. 1. & 10. de Purgat. canon.* Hi porro socii *Compurgatores, Conjuratores, & Sacramentales* dicebantur; quorum crebra mentio est in Capitularibus Regum Francorum, præsertim in Capitular. Dagoberti *tit. 1. n. 6. & tit. 9. n. 4.*, in Capitularibus Caroli M. *l. 3. c. 9. apud Baluzium t. 1.*

col. 68. 84. 509., & in *L. Salica tit. 50. ib. col. 224.* Primum ille, cujus erat negotium, de quo quærebatur, super sancta Evangelia jurabat, deinde compurgatores jurabant similiter super sancta Evangelia, eum vere, ut ipsi credebant, jurasse *can. 17. c. 2. qu. 5.* Sed nunc purgatio canonica fere ubique desuevit, neque amplius in causis criminalibus iuramentum emittitur. Confer Giraldum *Exposit. jur. Pontific. l. 5. tit. 34. Sess. 894. p. 733.* Memorat etiam Gratianus *can. 23. c. 2. qu. 5.* ex Concilio Wormaciensi purgationem per sacram communionem, quæ hoc modo fiebat. Cum aliquis accusatus omnem ab se remove cupiebat suspicionem criminis, quod vel non poterat demonstrari, vel non satis evidenter excludi, is ante altare, & sanctissimam Eucharistiam ducebatur. Antequam vero Christi corpus acciperet animum suum aliis presentibus declarabat his, aut similibus verbis. *Corpus Domini sit mihi ad purgationem hodie.* Plures hujusmodi purgatione uti consuevisse testatur Muratorius *Antiq. Italic. dissert. 38.*, qui illud etiam animadvertit, quod quamquam hæc purgatio parum differret ab ea, quæ per iuramentum fiebat, tamen posteriori ætate legitima, & canonica purgatio iuramentum habitum est. Alias quoque purgationes describit Martenius de *Antiq. Eccles. rit. l. 3. c. 7. §. 3. & 4.*

§. XXVII. In probationum ordinem referenda est etiam inspectio rei, quæ à iudice adhibetur, ut oculis subjiciat, quæ non satis certa, & explorata sunt, atque ita oculorum testimonio controversiam expediat. Hanc inspectionem pragmatici *accessum* vocant, quia iudex ad rem inspiciendam accedit, eique locus est in iis rebus quæ sub oculos cadunt; veluti in iudicio finium regundorum, ac servitutum, in novi operis nunciatione, in ætate ex habitu corporis definienda, in causis matrimonialibus, in quibus quæritur, num aliquis aptus ad matrimonium sit, num unquam venerem exercuerit. Verum in his causis iudex non solum rem ipsam inspicit, sed viros adhibet peritos rei, de qua agitur, aut ipsis iudicium committit. Quin in causis matrimonialibus ubi quæritur, num quis liberis operam dare possit, viri à medicis, & chirurgis, mulieres ab honestis matronis, & obstetricibus inspiciuntur (1).

(1) *Cap. 4. & 14. de Probat., c. 6. & seq. de Frigid. & malefic.*

§. XXVIII. Denique vim probationis habent præsumptiones (1), quæ sunt conjecturæ ex aliquo verisimili ad probandum sumptæ (2), eæque vel juris, vel hominis sunt. Præsumptio juris, à lege procedit, hoc est certa lege, vel canone comprehenditur, neque à iudicis arbitrio pendet, eaque duplex est, pro diversa ratione, qua proponitur, alia *juris tantum*, alia *juris*, & *de jure*. Præsumptio *juris*, & *de jure* est, quam non modo jus probat, sed etiam ita certam, atque exploratam habet, ut omnem contrariam probationem excludat. Ita jure Decretalium si quis concubuit cum muliere, cum qua prius sponsalia contraxerat, inducitur matrimonii præsumptio, quæ labefactari non potest, & qui ea premitur, aliam uxorem accipere prohibetur (3).

(1) *L. 16. cod. de Probat., c. ult. de Præsumpt., c. 7. de Hæret. in 6.*

(2) Hoc in primis habet præsumptio, ut ad veritatem referatur, neque de falsis argumentum accipiat; in eoque differt à fictione, quæ fit de eo, quod non est, nec fuit, veluti fictio legis Cornelliæ, quæ postliminio reversos in civitate semper fuisse fingit, non autem præsumit. Huc etiam spectat Publiciana actio, & ficta traditio, cujus in jure civili frequens usus est. Ita si quis sibi rei donatæ, & non traditæ usumfructum retineat, ut in *l. 28. & 35. §. Sed si quidem cod. de Donat.*, vel conducat, ut in *l. 76. ff. de Rei vindic.*, vel precario possidere constituat, ut in *l. 18. ff. de Acquir. possess.*, traditio corporalis rei donatæ pro facta habetur, quamquam revera facta non fuerit, quia fingitur, quod donans donatario, rem *κατὰ συντομίαν brevi manu* tradiderit. Raro jus canonicum has fisiones admittit; neque ego assentior Cujacio, qui *observat. l. 19. c. 18. opp. t. 3. col. 510.* fictæ traditionis argumentum sumit à *cap. 2. de Consuet.*, ubi glebæ traditio non fictionem continet, sed signum est datæ possessionis, atque ejus veritatem ostendit. Quæ traditio fit sæpe per glebam, per herbam, per festucam, per cultellum, per ostium, in formulis antiquis, per panem, per librum. Atque ita annulus signum est fœderis conjugalis, & veri matrimonii, vita conjunctionis *can. 7. c. 30. qu. 5.* Est autem præsumptio diligenter à fictione distinguenda.

(3) *Cap. 30. de Sponsal.* Sed hoc jus antiquatum nunc esse monui *l. 2. tit. 2. sect. 7. §. 105. p. 172.*

§. XXIX. Præsumptio *juris tantum* est ea, quam Jus probat tamquam verisimilem, non tamquam certam,

& veram, adeo contraria probatione infirmari non possit. Ita heres, qui inventarium non confecit, hereditaria bona distraxisse censetur; sed hæc præsumptio contraria demonstratione tolli potest. Hujusmodi sunt pleræque præsumptiones, de quibus agunt Decretales *in titulo de Præsumptionibus*; & harum omnium propria sunt formulæ *videri, existimari, intelligi, haberi*. Præsumptio *juris & de jure* omnem respuit contrariam probationem (1); præsumptio *juris tantum* non eam sane respuit, sed probandi onus in illum transfert, qui habet contra se præsumptionem (2).

- (1) *Cap. 30. de Sponsal., c. 4. Qui matrim. accus.*
 (2) *L. 24. ff. de Probat., c. 10. de Præsumpt.*

§. XXX. Præsumptio hominis est conjectura ab indiciis nata, quæ nulla certa lege continetur, eaque vel est levis, & temeraria, vel probabilis, vel violenta. Levis, & temeraria præsumptio est, quæ ex incertis oritur, levibusque argumentis, & quæ nihil probat. Ad hoc præsumptionis genus referri possunt antiquæ purgationes, quæ vulgares dicebantur (1), quasque olim interdum adhibitæ fuisse constat per aquam frigidam (2), aut ferventem (3) ferrum candens (4), monomachiam, seu duellum (5), & similia, quæ cuncta à Summis Pontificibus merito damnata, & improbata sunt (6).

(1) Vulgarium purgationum, quæ etiam appellabantur *judicia Dei*, de quibus videndas Du-Cangius *in Glossar. verb. Judicium Dei*, multæ erant species, quas à Longobardis, aliisque à Germania populis in Italiam invectas exponunt Gonzalez *in c. 3. de Purgat. vulgar.*, Cujacius *l. 1. Feudor. tit. 1. §. Si autem controversia opp. t. 2. col. 1077. seq. ed. cit.*, Muratorius *Antiq. Italic. dissert. 38. & 39.*, Martenius *de Antiq. Eccles. rit. l. 3. c. 7.* aliique permulti. Longobardorum Rex Luitprandus *l. 3. Longob. de Hom. l. hom. profitetur*, se propter suorum consuetudinem impiam illam legem duelli vetare non potuisse. Canones passim damnant has vulgares purgationes *can. 7. §. 1. can. 20. & 21. c. 2. qu. 5., c. 8. de Purgat. canonic.*, & titulus Decretalium *de Purgat. vulgar.* Tribuitur autem Gregorio M., *can. 7.*, quem vox laudavi; & certe prima ejus pars desumpta est ex ipsius Grego-

rii *Ep. 6. l. 13. ad Brunichildem Franc. Regin. opp. t. 2. col. 1218. ed. Paris. cit.*, sed pars altera, ubi vulgaris per frigidam aquam, ignitumque ferrum probatio memoratur, pertinet ad epistolam Alexandri II., cujus initium est *in can. 11. caus. & qu. cit.*, post cujus *can. 11. extrema verba pars posterior can. 7. continenter legenda est*. Revera Alexandro II. posteriorem hujus canonis partem tribuit Ivo *part. 10. c. 5., & Pann. l. 5. c. 8.*, quod rectissime animadversum est à Romanis Correctoribus, qui diligenter etiam notant apocryphos canones, qui in eam rem à Gratiano laudantur. Verum alicubi ferventis aquæ, aut ferventis ferri judicium permissum fuisse innuit Triburiensis Concilii canon apud Gratianum *can. 15. c. 2. qu. 5.*, cujus canonis sententia est *in C. 1. de Purgat. canon.* Sed quoniam hæc judicia semper Romana Ecclesia aversata est, ea verba *ferventi aqua, aut cadenti ferro* prudens Raymundus omisit. Vulgarium probationum vestigia usque ad extremam ætatem alicubi superfuisse tradit Van-Espenius *Jus eccles. univers. part. 3. tit. 8. n. 37.* Vide etiam Ivonem Carnotensem *Ep. 74. opp. t. 2. p. 37. ed. Paris. 1647.*, & Cironium *Paratit. in Decretal. de Purgat. vulgar.*

(2) Aquæ frigidæ judicium unum erat ex vulgaribus probationibus, quas Dei judicia appellabant. Gravioris alicujus criminis suspectus, aut accusatus, in aqua mergebatur, ac si supernataret, nocens, ac reus, contra si in imum delaberetur, innocens judicabatur. "Conligatur autem fune, inquit Hincmarus de Divort. Lothar., qui examinandus in aquam demittitur . . . qui ob duas causas conligari videtur, scilicet ne aut aliquam possit fraudem in judicio facere, aut si aliqua illum velut innoxium receperit, ne in aqua periclitetur, ad tempus valeat retrahi." Similia habet vetustus Ordo apud Martenium *de Antiq. Eccles. rit. Ord. 8. l. 3. c. 7.* Judicium hoc aquæ frigidæ etiam à Monachis adhibitum narrat Mabillonius *Annal. Benedict. l. 54. §. 112. t. 4. p. 261. ed. Lucæ 1739.* Quibus autem ritibus, & cæremoniis judicium illud, ac cetera, de quibus mox dicam, perageretur, ostendunt, præter ceteros, Juretus *in Ivon. Carnoten. Ep. 74. p. 154. seq. ed. Paris. 1647.*, Delrius *Disquis. magic. l. 4. qu. 4. sect. 4.*, Pithæus *in Glossar. ad Capitul. Caroli M. verb. Aquæ ferventis &c.*, Baluzius *Formul. Exorcism. post Capitular. Reg. Franc. t. 2. col. 445. seq. ed. Ven. 1733.*, Mabillonius *Analect. t. 1., Martenius de Antiq. Eccles. rit. l. 3. c. 7. ord. 8. et 9.*, Muratorius *Antiq. Eccles. Dissert. 38.*

(3) Judicii, aut examinis aquæ ferventis ratio hæc erat. Criminosus accusatus, ut se purgaret, manum in aquam ferventem nudato brachio inmittebat, ac si illam incolumem educeret, innocens, si contra, reus pronunciabatur.

(4) Criminosus accusatus ferrum candens nuda manu tenere debebat, eaque incolumi innocens, combusta vero reus habebatur.

se nequeunt reus contra socios criminis (1), exceptis criminibus læsæ majestatis, hæresis & simoniæ (2), inimicus contra inimicum (3) libertus contra patronum (4), filius contra Patrem, & Pater contra filium; exceptis causis matrimonialibus (5); hæreticus, ethnicus, iudæus contra orthodoxos (6); denique in causis criminalibus Laici a ferendo contra clericos testimonio jure decretalium repelluntur (7).

(1) *Cap. 1. de confessis, c. 10. de Testib.*

(2) *Can. 2. dist. 79., c. 4. de Hæret. in 6., c. 1. de Testib. in 6.*

(3) *Cap. 32. de Simon.*

(4) *L. 4. ff. de Testib., l. 11. cod. de Testib.*

(5) *Can. ult. c. 4. qu. 2., l. 3. ff. de Testib., l. 5. cod. eod.*

(6) *Can. 24. et 26. c. 2. qu. 7.*

(7) *Cap. 14. de Testib.*

§. XVII. Probi, & honesti testes legitime examinandi sunt, ut ipsis in judicio fides habeatur. Ergo qui probare debet, quod est incertum, testes producit, quos inde competens judex advocat, posteaquam eos dignos judicavit, qui in judicio recipiantur. In primis autem citandus est adversarius, contra quem testes afferuntur, ut contra ipsos proponat, si quid forte objiciendum habeat (1). Sic probati testes initio jurant, se procul habere causas omnes gratiæ, odii, simultatis, eaque dicturos, quæ vere sciunt, non ut cuiquam gratificentur, neque ut spem aliquam propositam habeant, sed quod uno veritatis studio feruntur (2). Deinde à judice clam, & seorsim ab aliis singuli interrogari, & examinari debent (3); nisi ex justa causa ad judicem venire impediatur, quia tunc ad eos mittitur qui interroget (4).

(1) *Cap. 2. de Testib., quem in locum vide Cujacium opp. t. 6. col. 837. ed. cit.*

(2) *L. 8. cod. de Testib., c. 31. & 47. eod.*

(3) *Cap. 52. de Testib.*

(4) *L. 15. ff. de Jurejur., c. 8. de Testib.* Episcopos ad ferendum in judicium testimonium vocari vetuit Justinianus *Novel. 123. c. 7. & 8.*

§. XVIII. Summa in hoc examine diligentia est adhibenda (1), & responsa testium clara esse debent, ita ut si obscura sint, iterum illi interrogari debeant (2). Interrogantur autem de circumstantiis, personis, loco, tempore, credulitate, fama; in primis autem scientiæ causam afferre testes oportet per eum corporis sensum, cui res controversa subjicitur, veluti per fidem oculorum, si de facto, per fidem aurium, si de dicto quærat (3). Quæ interrogationes plerumque ab adversario proponuntur (4), quo præsentem interrogandi sunt testes, quæ civilis (5), & canonici juris (6) disciplina est; sed fori usu jamdiu receptum est, ut clam à judice interrogentur, ac tantum vocetur adversarius, ut adsit, cum illi sacramentum emittunt (7).

(1) *Cap. 52. de Testib.*

(2) *Cap. 53. eod.*

(3) *Cap. 37. & 47. eod.*

(4) *Cap. 2. de Testib. in 6.*

(5) *L. 15. cod. de Testib., Novel. 90. c. 9.*

(6) *Cap. 2. de Testib.*

(7) Error interpretum, maxime veterum, hunc morem induxit; error autem processit ex prave intellecta Zenonis constitutione in *L. 12. cod. de Testib.* Ea quidem scriptum est *intrare testes judicantis secretum.* Verum, ut bene monet Polletus *Histor. for. Rom. l. 5. c. 12.*, secretum est tribunal, ac judicii locus; non autem hæc verba significant, quod putarunt Interpretes, testes secreto interrogandos, atque examinandos esse. Consule Cujacium *ad c. 2. de Testib. t. 6. col. 837. ed. cit.*

§. XIX. Peracto testium examine publicanda, sive vulganda, ac litigantibus demonstranda sunt omnia, ut intelligant, quid gestum, dictumque sit, ac si quid habent objiciendum proferant (1). At post publicationem neque super propositis articulis, nisi forte aliqui omissi fuerint (2), interrogandi sunt testes (3); neque in eorum personas aliquid opponi potest, nisi qui eos refellit, prius juret, se id non dolo facere, aut nisi ante publicationem protestatus sit, aut nisi ostenderit, se demum post publicationem didicisse exceptionum causas, quas ignoraverat (4). Testes ab actore datos refellere potest reus contrariis ab se productis

testibus, quos actor aliis item testibus refutabit; atque hic debet consistere productio testium, ut lites habeant medium quemdam modum (5). Cum inter actoris, reique testes pugna est, plus fide digni, ac verisimiliora affirmantes, cum hæc in omnibus paria sunt, plures numero præferuntur (6). Testimonia vero in uno judicio recepta fidem faciunt in eadem causa, & inter easdem personas coram alio iudice (7); sed in summario recepta in plenario non probant (8).

(1) *Cap. 15. et 41. de Testib.*

(2) *Cap. 48. eod.*

(3) *Cap. 17. 18. 25. eod.*

(4) *Cap. 31. eod.*

(5) *Cap. 15. 36. 49. 55. eod.* Sed interdum, ut his locis explicatur, iustis de causis etiam quarta testium productio conceditur. Illud omittendum non est, quod recte observat Cujacius *ad c. 49. de Testib. cit. t. 6. col. 856.*, magnum inter refellendos, producendosque testes discrimen intercedere. Nam testes refelli, & refutari etiam post publicationem recte possunt; cum tamen post publicationem idem, vel alii non producantur.

(6) *Cap. 32. de Testib.*

(7) *Cap. 11. eod.*

(8) *Cap. 38. eod.*

§. XX. Præter testes, probationes educuntur etiam ex instrumentis, nimirum ex scripturis, quæ fidem iudici faciunt rei, quam continent. Nam angustiori significatione scripturæ instrumenta appellantur, cum latiori significatione; quidquid ad causam instruendam pertinet, ideoque etiam testimonia instrumentorum nomine comprehendantur (1). Instrumentorum quæ rite confecta sint, eadem est in iudicio, quæ testium, fides, & auctoritas (2), eaque vel publica, vel privata sunt. Publica instrumenta, sive scripturæ sunt quæ publica auctoritate conficiuntur à personis, quibus id munus datum est, uti sunt censuales tabulæ, instrumenta à notario rite conscripta, acta judicialia, scripturæ ex publicis archivis eductæ (3), & à publica persona confectæ, Eodem loco sunt scripturæ publicæ, & autentico sigillo obsignatæ, veluti Principis, Epis-

copi, Capituli, Universitatis; itemque libri Parochorum, in quibus baptismata, matrimonia, funera describuntur. Privatæ scripturæ à privatis nulla publica auctoritate conficiuntur, & huc spectant epistolæ, apochæ, antapochæ, chirographa.

(1) *L. 1. ff. de Fid. instrum.* Harmenopulus *l. 1. t. 2. c. 12.* *ἐπισημασμένα* vocat tam probationes, quam instrumenta; quia hæc probant illud, quod iudicio proponitur; & causarum firmamenta sunt. In Basilicis vero, & apud eundem Harmenopolium instrumenta proprie dicuntur *συμβόλαια* pacta conventa in scripturam redacta, ut actum facilius probari possit *L. 4. ff. de Fid. instrum.*

(2) *L. 15. cod. de Fid. instrum.*

(3) *Auth. Ad hæc cod. de Fid. instrum.*

§. XXI. Publica instrumenta plenam in iudicio probationem constituunt; modo authentica ipsa, hoc est autographa proferantur (1). Nam exemplo non facile creditur, nisi ex autentico sumptum legitime sit, & cum eo conferatur, probeque conveniat (2). Fides tamen publicis quoque instrumentis subtrahi potest exceptione falsitatis, quæ pluribus testibus evidenter demonstrata sit (3). Præterea nihil efficit qui inter se contrarias scripturas protulit (4), aut abrasas in loco suspecto (5), aut lectionis ita impeditæ, ut legi, & intelligi nequeant (6).

(1) *Cap. 1. & 16. de Fid. instrum., l. 16. 17. 19. cod. eod.*

(2) *Cap. 1. & 16. eod.*

(3) *Cap. 10. eod.*

(4) *Cap. 13. eod.*

(5) *Cap. 3. eod., c. 7. de Relig. dom., c. 14. de Privil.*

(6) *Cap. 6. de Fid. instrum.*

§. XXII. Privata scriptura, cujus est comperta veritas, tantum contra scribentem probat, modo causa debiti expressa sit (1); excepta liberatoria confessione, in qua creditor sibi solutum debitum profitetur, quæque, nulla etiam adjecta causa, contra scribentem probationem facit (2). Sed scripturæ, quæ tribus munitæ sunt testibus, vim habent publici instrumenti (3);

ac libris mercatorum publicæ utilitatis, & commercii ratio tam pro scribentibus, quam contra scribentes fidem tribuit.

(1) *L. 25. §. ult. ff. de Probat., c. 14. de Fid. instrum.*

(2) *L. 40. ff. de Pactis.*

(3) *L. 11. cod. Qui potior. in pignor. habeant.* Necessè tamen est, uti animadvertit Brunnemannus in *cit. l. n. 6.*, quod constet de manu, & subscriptione testium, sive per recognitionem, sive per comparationem, & quod etiam partes ipsæ subscripserint, testesque idonei sint.

§. XXIII. Est & probatio, quæ oritur ex jurejurando, quod definitur affirmatio religiosa, hoc est advocatio Divini Numinis in testem ejus rei, quæ promittitur, aut asseritur. Dividitur Jusjurandum in promissorium, & assertorium. Illud futurum respicit, atque in contractibus non raro adhibetur; hoc ad præsens, aut ad præteritum tempus pertinet. Assertorium juramentum triplex est, voluntarium, judiciale, & necessarium (1).

(1) Inscriptio illa tituli Pandectarum *de Jurejurando sive voluntario, sive necessario, sive judiciali* triplicem hanc habet jurisjurandi divisionem.

§. XXIV. Voluntarium est, quod alter alteri aut ex conventu, aut sine conventu extra judicium defert, vel refert (1). Deferre jusjurandum est adversario offerre jurisjurandi conditionem; referre autem est non suscipere hanc conditionem, eamque in ipsum offerentem rejicere. Judiciale juramentum est, quod in judicio alter litigantium alteri defert, iudice non cogente, sed approbante; necessarium est, quod iudex vel actori, vel reo defert, ubi plena probatio desit, ut inde veritas innotescat (2).

(1) Recte hoc jusjurandum voluntarium dicitur, quoniam sive illud ex pacto emittatur, hoc quidem ex libera litigantium voluntate procedit, ac præterea qui idem ex pacto deferre debet neque extra judicium ad deferendum cogi, neque item, si deferat, adversarium ad jurandum adigere possit; sive contra sine conventu

deferatur, integrum sit deferenti non deferre; integrum ei, cui delatum est, nec præstare, nec referre; integrum denique ei, cui relatum est, nec tunc illud præstare, quoniam semper deest, qui cogat, cum id privatus in privatum efficere nequeat. Consule Voetium in *Pandec. l. 12. tit. 2. n. 7.*

(2) De voluntario jurejurando eadem est Latinorum, Græcorumque sententia, sed de necessario, ac judiciali magna dissensio est, quam jam sua ætate fuisse tradit Azo in *Summa cod. de Jurejur. n. 6.* Nam Græci necessarium vocant, quod alter alteri in judicio defert, iudice suscipiendi, aut referendi juramenti necessitatem imponente; judiciale, quod iudex ipse defert sponte sua. Balsamon in *Nomocanon. Photii tit. 13. c. 18.*, apud Justellum *Biblioth. Jur. canon. t. 2. p. 1117. ed. Paris. 1661. Voluntarium*, inquit, "quod datur ex voluntate partium extra judicium; necessarium, quod deferente actore, & ex interloquutione iudicis datur; judiciale, quod iudicis sententia, etiam nolentibus iis, qui litigant, controversiam decidit." Cujacius in *Paulum Recept. senten. l. 5. tit. 31. opp. t. 1. col. 459.*, & *ad Edict. Paul. l. 18. Leg. 17. t. 5. col. 211.* ita rem omnem distinxisse videretur, ut voluntarium jusjurandum sit, quod alter alteri extra judicium defert, necessarium, quod alter alteri in judicio, judiciale, quod à iudice defertur. Tum *Observ. l. 18. c. 35. t. 3. col. 494.* jusjurandum alteri ab altero delatum *voluntarium*, aut *necessarium* esse inquit, voluntarium, quod extra judicium, necessarium, quod in judicio defertur. Verum in *Paratiil. Digestor. ad tit. de Jurejur. sive voluntar. sive necessar. sive judicial. t. 10. col. 393.* voluntarium esse inquit, quod ab altero alteri defertur in judicium, vel extra judicium; necessarium, quod refertur; judiciale, quod à iudice refertur. Ego communem Latinorum opinionem sequor. Sane Gajus in *l. 1. ff. de Jurejur.* "maximum, inquit, remedium expediendarum litium in usum venit jurisjurandi religio, qua vel ex pactione ipsorum litigatorum, vel ex auctoritate iudicis deciduntur controversiæ." Duplex hoc loco Gajus jusjurandum proponit, alterum, quod *ex pactione litigatorum*, alterum, quod *ex iudicis auctoritate* emittitur. Juramentum, quod ex litigatorum pactione procedit, necessarium esse omnino non potest; cumque huic pactioni opponatur iudicis auctoritas, quæ necessitatem facit, consequens est, ut necessarium juramentum illud prorsus habeatur, quod in dubiis causis à iudice pro sua auctoritate defertur. Juramentum autem ex pactione aut in judicio, aut extra judicium datur. Hoc plane voluntarium est, illud judiciale, quoniam coram iudice emittitur. Revera Paulus *l. 17. de Jurejur.* juramenti ex conventionione non unum genus constituit. *Jusjurandum*, inquit, *quod ex conventionione extra judicium defertur, referri non potest. To extra judicium* evidenter ostendit, aliud esse jusjurandum ex conventionione, quod in judicio defertur; & hoc non nisi judiciale jura-

mentam esse potest, quod ab alio distinguitur propter conventionem, quæ in iudicio facta est. Gajus, qui genus enarrabat juramentorum finiendæ litis causa institutorum, utrumque juramentum, quod nos voluntarium, & iudiciale appellamus, complexus est uno verbo *ex conventione*; sed Paulus, qui speciem explicabat conventionalis juramenti, addere debuit *extra iudicium*, ut ostenderet, non utriusque conventionalis juramenti vim eandem esse, sed aliud valere juramentum ex conventione in iudicio, aliud juramentum ex conventione extra iudicium facta. Communem Latinorum de iurjurandi distinctione sententiam, præter ceteros, late exornant Donnellus in *tit. Digest. de Jurejur. opp. t. 10. col. 849. seq.*, & Voetus in *Pandect. l. 12. tit. 2. n. 7.* Vide etiam Ant. Matthæum de *Judic. Disp. 10. th. 6. & 7.*

§. XXV. Juramento necessario locus est in causis dubiis, idque dicitur *suppletorium*, quoniam eo semiplena probatio suppletur (1). Dubiæ causæ ex veriori sententia sunt, in quibus plena probatio data non est, puta, quod graves adsint præsumptiones, quæ non omnem abigunt scrupulum, aut quod allati sint testes, in quos aliqua exceptio cadere posse videatur. Defertur hoc jusjurandum ei, qui semiplene probavit, modo personarum, & causæ ratio habeatur (2); & si reus æque, atque actor semiplene probaverit, deferendum est reo, cujus in re dubia potior causa est (3).

(1) Qui semiplenam probationem contemnunt, juramenti suppletorii nullam rationem habent. At in *dubiis causis*, ut inquit Gajus in *l. 31. ff. de Jurejur.*, vel, ut loquuntur Diocletianus, & Maximianus in *l. 3. cod. de Reb. cred.*, in probationum inopia iudex delato juramento litem finit. Verum si quærimus, *dubia causa*, & *inopia probationum* nihil est aliud, quam causa, in qua semiplene probatum est. Nam si dubiam causam, & inopiam probationum intelligamus causam, in qua pares ab actore, & reo probatione data sunt, par erit utriusque causa, ideoque absolvere oportebit reum, ejus in pari causa potior conditio est *l. 125. & 128. ff. de Regul. jur.*, c. 6. de *Fid. instrum.*, c. 65. de *Verb. signif. in 6.* tantum abest, ut jusjurandum à iudice deferendum sit. Rursus si probationum inopiam, quod placuit Giphano in *l. 3. de Reb. cred.*, intelligamus causam, in qua nihil ab actore probatum est, erit omnino judicandum pro reo, quem *actore non probante...* & *si nihil ipse præstet, obtinere* voluit Imperator Antoninus in *l. 4. cod. de Eden.* Restat igitur, ut dubiam causam, & inopiam probationum omnino referamus ad causam, in qua semiplene probatum est.

(2) *Cap. ult. §. de Jurejur.*

(3) *L. 125. & 128. ff. de Regul. jur.*

§. XXVI. Oblatum juramentum litigantes recusare non possunt, nisi justam habeant recusandi causam; ut si deferatur reo, contra quem nihil probavit actor, aut actori, qui plenam probationem attulit (1). Delato, & emisso juramento secundum eum, qui juravit, ferendum iudicium est (2). In omnibus autem causis civilibus huic juramento locus est, non item in criminalibus propter perjurii metum (3).

(1) *Cap. 2. de Probat.*

(2) *L. 31. ff. de Jurejur.*

(3) Consule Voetum in *Pandect. l. 12. tit. 2. n. 10.* Juramentum hoc, quo quis se purgat ob infamiam ex crimine contractam, purgatio canonica appellatur, de qua titulus est in Decretalibus de *Purgatione canonica*, & cujus olim frequens usus erat. "Clerici, qui sunt de apostasiæ crimine infamati... per districtionem ecclesiasticam coercendi sunt, donec deficiente probatione, ad infamiam abolendam purgationem canonicam curaverint exhibere," inquit Innocentius III. in *cap. 3. de Apostat.* Idem de clerico homicidii reo in *c. 14. de Homicid. volunt., vel casual.*, de calumniæ suspecto in *c. 2. de calumn.*; de presbytero accusato in *c. 10. de Accusat.*, de clerico concubinator suspecto in *c. 8. de Cohabit. cleric. & mulier.* statutum est. Memorant quoque hoc sacramentum Augustinus *Ep. 78. opp. t. 2. col. 241. ed. Maurin.* Ven. 1759., Gregorius M. *l. 2. Ep. 33. l. 7. Ep. 18. l. 13. Ep. 34. opp. t. 2. col. 597. 864. 1241. ed. Paris. cit.*, & Gregorius Turonensis *Histor. Francor. l. 8. c. 9. & 40. col. 382. & 411. ed. Paris. 1699.* Jurare olim mos fuit ad *B. Petri corpus*, de qua formula, & similibus videndus Du-Cangius in *Glossar. Veteri consuetudine*, institutoque juraturus, tres, quinque, aut septem ejusdem prope ordinis vicinos, aut saltem, qui eum plane nossent, ac probatæ fidei essent, sibi socios, tamquam adsertores, adsciscebat *can. 12. 13. 16. 17. 19. c. 2. qu. 5., c. 7. 9. 11. de Purgat. canon.*, quo spectant formulæ *tertia, quinta, aut septima* manu jurare. Interdum plures etiam ad jurandum vocabantur, si aut qui se purgabat, laicus esset, aut gravioris esset infamia criminis, qua clericus laborabat *c. 1. & 10. de Purgat. canon.* Hi porro socii *Compurgatores, Conjuratores, & Sacramentales* dicebantur; quorum crebra mentio est in Capitularibus Regum Francorum, præsertim in Capitular. Dagoberti *tit. 1. n. 6. & tit. 9. n. 4.*, in Capitularibus Caroli M. *l. 3. c. 9. apud Baluzium t. 1.*

col. 68. 84. 509., & in *L. Salica tit. 50. ib. col. 224.* Primum ille, cujus erat negotium, de quo quærebatur, super sancta Evangelia jurabat, deinde compurgatores jurabant similiter super sancta Evangelia, eum vere, ut ipsi credebant, jurasse *can. 17. c. 2. qu. 5.* Sed nunc purgatio canonica fere ubique desuevit, neque amplius in causis criminalibus iuramentum emittitur. Confer Giraldum *Exposit. jur. Pontific. l. 5. tit. 34. Sess. 894. p. 733.* Memorat etiam Gratianus *can. 23. c. 2. qu. 5.* ex Concilio Wormaciensi purgationem per sacram communionem, quæ hoc modo fiebat. Cum aliquis accusatus omnem ab se remove cupiebat suspicionem criminis, quod vel non poterat demonstrari, vel non satis evidenter excludi, is ante altare, & sanctissimam Eucharistiam ducebatur. Antequam vero Christi corpus acciperet animum suum aliis præsentibus declarabat his, aut similibus verbis. *Corpus Domini sit mihi ad purgationem hodie.* Plures hujusmodi purgatione uti consuevisse testatur Muratorius *Antiq. Italic. dissert. 38.*, qui illud etiam animadvertit, quod quamquam hæc purgatio parum differret ab ea, quæ per iuramentum fiebat, tamen posteriori ætate legitima, & canonica purgatio iuramentum habitum est. Alias quoque purgationes describit Martenius de *Antiq. Eccles. rit. l. 3. c. 7. §. 3. & 4.*

§. XXVII. In probationum ordinem referenda est etiam inspectio rei, quæ à iudice adhibetur, ut oculis subjiciat, quæ non satis certa, & explorata sunt, atque ita oculorum testimonio controversiam expediat. Hanc inspectionem pragmatici *accessum* vocant, quia iudex ad rem inspiciendam accedit, eique locus est in iis rebus quæ sub oculos cadunt; veluti in iudicio finium regundorum, ac servitutum, in novi operis nunciatione, in ætate ex habitu corporis definienda, in causis matrimonialibus, in quibus quæritur, num aliquis aptus ad matrimonium sit, num unquam venerem exercuerit. Verum in his causis iudex non solum ipsam inspicit, sed viros adhibet peritos rei, de qua agitur, aut ipsis iudicium committit. Quin in causis matrimonialibus ubi quæritur, num quis liberis operam dare possit, viri à medicis, & chirurgis, mulieres ab honestis matronis, & obstetricibus inspiciuntur (1).

(1) *Cap. 4. & 14. de Probat., c. 6. & seq. de Frigid. & malefic.*

§. XXVIII. Denique vim probationis habent præsumptiones (1), quæ sunt conjecturæ ex aliquo verisimili ad probandum sumptæ (2), eæque vel juris, vel hominis sunt. Præsumptio juris, à lege procedit, hoc est certa lege, vel canone comprehenditur, neque à iudicis arbitrio pendet, eaque duplex est, pro diversa ratione, qua proponitur, alia *juris tantum*, alia *juris*, & *de jure*. Præsumptio *juris*, & *de jure* est, quam non modo jus probat, sed etiam ita certam, atque exploratam habet, ut omnem contrariam probationem excludat. Ita jure Decretalium si quis concubuit cum muliere, cum qua prius sponsalia contraxerat, inducitur matrimonii præsumptio, quæ labefactari non potest, & qui ea premitur, aliam uxorem accipere prohibetur (3).

(1) *L. 16. cod. de Probat., c. ult. de Præsumpt., c. 7. de Hæret. in 6.*

(2) Hoc in primis habet præsumptio, ut ad veritatem referatur, neque de falsis argumentum accipiat; in eoque differt à fictione, quæ fit de eo, quod non est, nec fuit, veluti fictio legis Cornelliæ, quæ postliminio reversos in civitate semper fuisse fingit, non autem præsumit. Huc etiam spectat Publiciana actio, & ficta traditio, cujus in jure civili frequens usus est. Ita si quis sibi rei donatæ, & non traditæ usumfructum retineat, ut in *l. 28. & 35. §. Sed si quidem cod. de Donat.*, vel conducat, ut in *l. 76. ff. de Rei vindic.*, vel precario possidere constituat, ut in *l. 18. ff. de Acquir. possess.*, traditio corporalis rei donatæ pro facta habetur, quamquam revera facta non fuerit, quia fingitur, quod donans donatario, rem *κατὰ συντομίαν brevi manu* tradiderit. Raro jus canonicum has fictiones admittit; neque ego assentior Cujacio, qui *observat. l. 19. c. 18. opp. t. 3. col. 510.* fictæ traditionis argumentum sumit à *cap. 2. de Consuet.*, ubi glebæ traditio non fictionem continet, sed signum est datæ possessionis, atque ejus veritatem ostendit. Quæ traditio fit sæpe per glebam, per herbam, per festucam, per cultellum, per ostium, in formulis antiquis, per panem, per librum. Atque ita annulus signum est fœderis conjugalis, & veri matrimonii, vita conjunctionis *can. 7. c. 30. qu. 5.* Est autem præsumptio diligenter à fictione distinguenda.

(3) *Cap. 30. de Sponsal.* Sed hoc jus antiquatum nunc esse monui *l. 2. tit. 2. sect. 7. §. 105. p. 172.*

§. XXIX. Præsumptio *juris tantum* est ea, quam Jus probat tamquam verisimilem, non tamquam certam,

& veram, adeo contraria probatione infirmari non possit. Ita heres, qui inventarium non confecit, hereditaria bona distraxisse censetur; sed hæc præsumptio contraria demonstratione tolli potest. Hujusmodi sunt pleræque præsumptiones, de quibus agunt Decretales *in titulo de Præsumptionibus*; & harum omnium propriae sunt formulæ *videri, existimari, intelligi, haberi*. Præsumptio *juris & de jure* omnem respuit contrariam probationem (1); præsumptio *juris tantum* non eam sane respuit, sed probandi onus in illum transfert, qui habet contra se præsumptionem (2).

(1) *Cap. 30. de Sponsal., c. 4. Qui matrim. accus.*

(2) *L. 24. ff. de Probat., c. 10. de Præsumpt.*

§. XXX. Præsumptio hominis est conjectura ab indiciis nata, quæ nulla certa lege continetur, eaque vel est levis, & temeraria, vel probabilis, vel violenta. Levis, & temeraria præsumptio est, quæ ex incertis oritur, levibusque argumentis, & quæ nihil probat. Ad hoc præsumptionis genus referri possunt antiquæ purgationes, quæ vulgares dicebantur (1), quasque olim interdum adhibitæ fuisse constat per aquam frigidam (2), aut ferventem (3) ferrum candens (4), monomachiam, seu duellum (5), & similia, quæ cuncta à Summis Pontificibus merito damnata, & improbata sunt (6).

(1) Vulgarium purgationum, quæ etiam appellabantur *judicia Dei*, de quibus videndas Du-Cangius *in Glossar. verb. Judicium Dei*, multæ erant species, quas à Longobardis, aliisque à Germania populis in Italiam invectas exponunt Gonzalez *in c. 3. de Purgat. vulgar.*, Cujacius *l. 1. Feudor. tit. 1. §. Si autem controversia opp. t. 2. col. 1077. seq. ed. cit.*, Muratorius *Antiq. Italic. dissert. 38. & 39.*, Martenius *de Antiq. Eccles. rit. l. 3. c. 7.* aliique permulti. Longobardorum Rex Luitprandus *l. 3. Longob. de Hom. l. hom. profitetur, se propter suorum consuetudinem impiam illam legem duelli vetare non potuisse*. Canones passim damnant has vulgares purgationes *can. 7. §. 1. can. 20. & 21. c. 2. qu. 5., c. 8. de Purgat. canonic.*, & titulus Decretalium *de Purgat. vulgar.* Tribuitur autem Gregorio M., *can. 7.*, quem vox laudavi; & certe prima ejus pars desumpta est ex ipsius Grego-

rii *Ep. 6. l. 13. ad Brunichildem Franc. Regin. opp. t. 2. col. 1218. ed. Paris. cit.*, sed pars altera, ubi vulgaris per frigidam aquam, ignitumque ferrum probatio memoratur, pertinet ad epistolam Alexandri II., cujus initium est *in can. 11. caus. & qu. cit.*, post cujus *can. 11.* extrema verba pars posterior *can. 7.* continenter legenda est. Revera Alexandro II. posteriorem hujus canonis partem tribuit Ivo *part. 10. c. 5., & Pann. l. 5. c. 8.*, quod rectissime animadversum est à Romanis Correctoribus, qui diligenter etiam notant apocryphos canones, qui in eam rem à Gratiano laudantur. Verum alicubi ferventis aquæ, aut ferventis ferri judicium permissum fuisse innuit Triburiensis Concilii canon apud Gratianum *can. 15. c. 2. qu. 5.*, cujus canonis sententia est *in C. 1. de Purgat. canon.* Sed quoniam hæc judicia semper Romana Ecclesia aversata est, ea verba *ferventi aqua, aut cadenti ferro* prudens Raymundus omisit. Vulgarium probationum vestigia usque ad extremam ætatem alicubi superfuisse tradit Van-Espenius *Jus eccles. univers. part. 3. tit. 8. n. 37.* Vide etiam Ivonem Carnotensem *Ep. 74. opp. t. 2. p. 37. ed. Paris. 1647.*, & Cironium *Paratit. in Decretal. de Purgat. vulgar.*

(2) Aquæ frigidæ judicium unum erat ex vulgaribus probationibus, quas Dei judicia appellabant. Gravioris alicujus criminis suspectus, aut accusatus, in aqua mergebatur, ac si supernataret, nocens, ac reus, contra si in imum delaberetur, innocens judicabatur. "Conligatur autem fune, inquit Hincmarus de Divort. Lothar., qui examinandus in aquam demittitur . . . qui ob duas causas conligari videtur, scilicet ne aut aliquam possit fraudem in judicio facere, aut si aliqua illum velut innoxium receperit, ne in aqua periclitetur, ad tempus valeat retrahi." Similia habet vetustus Ordo apud Martenium *de Antiq. Eccles. rit. Ord. 8. l. 3. c. 7.* Judicium hoc aquæ frigidæ etiam à Monachis adhibitum narrat Mabillonius *Annal. Benedict. l. 54. §. 112. t. 4. p. 261. ed. Lucæ 1739.* Quibus autem ritibus, & cæremoniis judicium illud, ac cetera, de quibus mox dicam, perageretur, ostendunt, præter ceteros, Juretus *in Ivon. Carnoten. Ep. 74. p. 154. seq. ed. Paris. 1647.*, Delrius *Disquis. magic. l. 4. qu. 4. sect. 4.*, Pithæus *in Glossar. ad Capitul. Caroli M. verb. Aquæ ferventis &c.*, Baluzius *Formul. Exorcism. post Capitular. Reg. Franc. t. 2. col. 445. seq. ed. Ven. 1733.*, Mabillonius *Analect. t. 1., Martenius de Antiq. Eccles. rit. l. 3. c. 7. ord. 8. et 9.*, Muratorius *Antiq. Eccles. Dissert. 38.*

(3) Judicii, aut examinis aquæ ferventis ratio hæc erat. Criminosus accusatus, ut se purgaret, manum in aquam ferventem nudato brachio inmittebat, ac si illam incolumem educeret, innocens, si contra, reus pronunciabatur.

(4) Criminosus accusatus ferrum candens nuda manu tenere debebat, eaque incolumi innocens, combusta vero reus habebatur.

Judicium hoc ferri candentis dicebatur. Huic simile erat iudicium vomerum ignitorum, per quos gravi criminis suspitione laborans nudis pedibus transire debebat. In vita S. Henrici apud Surium c. 21. 14. *Julii* scriptum est, hoc sibi iudicium elegisse sanctissimam feminam Cunegundem Henrici Imperatoris uxorem; quamquam illud servorum proprium fuisse demonstret Concilium Moguntinum an. 847. *can. 24. apud Labbæum t. 9. Conc. col. 1045. ed. Ven.* Erat & iudicium ignis, per quem transire debebat quisquis rei alicujus veritatem demonstrare cupiebat. Celebre illud, quod de Petro Monacho Vallis Umbrosæ, qui *Ignens* appellatus, atque Albani Episcopus, & Cardinalis fuit, memoriæ proditum est. Is ut ostenderet Florentinum Episcopum simoniace in eam sedem irrepsisse per medios ignes transivit, sicuti narrat Baronius *ad an. 1063. n. 53. t. 17. p. 249. ed. Luca*, & Ughellius *Ital. sacr. in Episc. Alban. n. 26. t. 1. col. 251. ed. Ven. an. 1717.*

(5) De Monomachia, seu duello late agit Muratorius *Antiq. Italic. Dissert. 39.* Erat & iudicium crucis, ac panis & casei, quæ duo similiter ad vulgares probationes referuntur. Crucis iudicium pluries memorant Capitularia Regum Francorum. Du-Cangius *in Glossar. verb. Crucis iudicium* multis quærit, quænam esset hujus iudicii ratio, ac denique sic statuit, eos, qui hoc iudicium subibant, expansis in crucis formam brachiis, ad crucem stare debuisse certo, ac definito tempore, ex. gr. donec Evangelium, aut aliqui psalmi recitarentur, qui si immobiles permanerent, innocui, si vero caderent, aut crimen fateri ultro cogerentur, rei iudicabantur. Iudicium panis, & casei in eo consistebat, quod alicui panis, & caseum benedictam dabatur, ac si is utrumque ederet, atque in stomachum mitteret innocens, contra vero reus habebatur.

(6) *Can. 20. c. 2. qu. 5., c. 8. de Purgat. canon.*

§. XXXI. Præsumptio probabilis oritur ex probabilibus conjecturis, quæ prudentibus etiam viris persuaderi possunt; violenta ex iudiciis, argumentisque gravissimis, quæ fere claram probationem constituunt. Cunctæ hominis præsumptiones pendent ab arbitrio iudicis, cujus est pro animi sui religione iudicare, quanta in singulis vis insit, & quanta iis fides tribuenda videatur. Coacervantur autem præsumptiones, & conjecturæ, quæque singulæ forte inter se non movent, universæ tamen connexæ, atque conjunctæ movere debent. Plus præstant præsumptiones in causis civilibus, quam in criminalibus, in quibus nemo ex solis conjecturis etiam vehementibus, condemnandus est (1); excepto

crimine hæreseos, cujus suspectus tamquam hæreticus condemnatur, nisi omnem suspicionem excusserit (2).

(1) *Cap. 14. de Præsump.*

(2) *Cap. 13. §. Qui autem de Hæret., c. 7. 8. cod. in 6.*

TITULUS X.

De exceptionibus & replicationibus.

- | | |
|--|--|
| I. Exceptiones peremptoriæ, vel dilatoriæ. | VIII. Exceptiones contra iudicem. |
| II. Peremptoriæ litis finitæ. | IX. Dilatoriæ exceptiones quando proponendæ? |
| III. Simpliciter peremptoriæ. | X. Exceptio majoris excommunicationis. |
| IV. Peremptoriæ exceptiones quando proponendæ? | XI. Effectus exceptionis. |
| V. Dilatoriarum exceptionum divisio. | XII. Replicationes, duplicationes, triplicationes. |
| VI. Dies feriatæ. | |
| VII. Exceptiones contra actorem. | |

§. I.

Habet & reus arma sua, quibus in iudicio adversus actorem utitur, eaque sunt exceptiones. Exceptio est actionis, vel intentionis exclusio. Ea si omnino perimit, ac tollit actionem, perpetua, & peremptoria si tantum ad tempus agenti obstat, & causam ad aliud tempus, aut alium iudicem, vel locum transfert, temporalis, & dilatoria appellatur.

§. II. Ex peremptoriis exceptionibus quædam sunt, quæ majorem vim habent, & ideo *peremptoriæ litis finitæ* dicuntur, ceteræ *simpliciter peremptoriæ* appellantur. Primi generis sunt exceptiones jurisjurandi, rei iudicatæ, transactionis. Hæ litem jam compositam, atque è medio sublata ostendunt, & exordium ipsum impediunt litis, vetantque, ne frustra novum iudicium instituat (1). Sed ut locum habeant hujusmodi exceptiones, necesse est, quod lis pridem extincta, vel jurejurando, vel transactione, vel re iudicata denuo inter eadem personas, de eadem re, atque ex eadem petendi causa instituat (2).

Tom. III.

Judicium hoc ferri candentis dicebatur. Huic simile erat iudicium vomerum ignitorum, per quos gravi criminis suspitione laborans nudis pedibus transire debebat. In vita S. Henrici apud Surium c. 21. 14. *Julii* scriptum est, hoc sibi iudicium elegisse sanctissimam feminam Cunegundem Henrici Imperatoris uxorem; quamquam illud servorum proprium fuisse demonstrat Concilium Moguntinum an. 847. *can. 24. apud Labbæum t. 9. Conc. col. 1045. ed. Ven.* Erat & iudicium ignis, per quem transire debebat quisquis rei alicujus veritatem demonstrare cupiebat. Celebre illud, quod de Petro Monacho Vallis Umbrosæ, qui *Ignens* appellatus, atque Albani Episcopus, & Cardinalis fuit, memoriæ proditum est. Is ut ostenderet Florentinum Episcopum simoniace in eam sedem irrepsisse per medios ignes transivit, sicuti narrat Baronius *ad an. 1063. n. 53. t. 17. p. 249. ed. Luca*, & Ughellius *Ital. sacr. in Episc. Alban. n. 26. t. 1. col. 251. ed. Ven. an. 1717.*

(5) De Monomachia, seu duello late agit Muratorius *Antiq. Italic. Dissert. 39.* Erat & iudicium crucis, ac panis & casei, quæ duo similiter ad vulgares probationes referuntur. Crucis iudicium pluries memorant Capitularia Regum Francorum. Du-Cangius *in Glossar. verb. Crucis iudicium* multis quærit, quænam esset hujus iudicii ratio, ac denique sic statuit, eos, qui hoc iudicium subibant, expansis in crucis formam brachiis, ad crucem stare debuisse certo, ac definito tempore, ex. gr. donec Evangelium, aut aliqui psalmi recitarentur, qui si immobiles permanerent, innocui, si vero caderent, aut crimen fateri ultro cogerentur, rei iudicabantur. Iudicium panis, & casei in eo consistebat, quod alicui panis, & caseum benedictam dabatur, ac si is utrumque ederet, atque in stomachum mitteret innocens, contra vero reus habebatur.

(6) *Can. 20. c. 2. qu. 5., c. 8. de Purgat. canon.*

§. XXXI. Præsumptio probabilis oritur ex probabilibus conjecturis, quæ prudentibus etiam viris persuaderi possunt; violenta ex iudiciis, argumentisque gravissimis, quæ fere claram probationem constituunt. Cunctæ hominis præsumptiones pendent ab arbitrio iudicis, cujus est pro animi sui religione iudicare, quanta in singulis vis insit, & quanta iis fides tribuenda videatur. Coacervantur autem præsumptiones, & conjecturæ, quæque singulæ forte inter se non movent, universæ tamen connexæ, atque conjunctæ movere debent. Plus præstant præsumptiones in causis civilibus, quam in criminalibus, in quibus nemo ex solis conjecturis etiam vehementibus, condemnandus est (1); excepto

crimine hæreseos, cujus suspectus tamquam hæreticus condemnatur, nisi omnem suspicionem excusserit (2).

(1) *Cap. 14. de Præsump.*

(2) *Cap. 13. §. Qui autem de Hæret., c. 7. 8. cod. in 6.*

TITULUS X.

De exceptionibus & replicationibus.

- | | |
|--|--|
| I. Exceptiones peremptoriæ, vel dilatoriæ. | VIII. Exceptiones contra iudicem. |
| II. Peremptoriæ litis finitæ. | IX. Dilatoriæ exceptiones quando proponendæ? |
| III. Simpliciter peremptoriæ. | X. Exceptio majoris excommunicationis. |
| IV. Peremptoriæ exceptiones quando proponendæ? | XI. Effectus exceptionis. |
| V. Dilatoriarum exceptionum divisio. | XII. Replicationes, duplicationes, triplicationes. |
| VI. Dies feriatæ. | |
| VII. Exceptiones contra actorem. | |

§. I.

Habet & reus arma sua, quibus in iudicio adversus actorem utitur, eaque sunt exceptiones. Exceptio est actionis, vel intentionis exclusio. Ea si omnino perimit, ac tollit actionem, perpetua, & peremptoria si tantum ad tempus agenti obstat, & causam ad aliud tempus, aut alium iudicem, vel locum transfert, temporalis, & dilatoria appellatur.

§. II. Ex peremptoriis exceptionibus quædam sunt, quæ majorem vim habent, & ideo *peremptoriæ litis finitæ* dicuntur, ceteræ *simpliciter peremptoriæ* appellantur. Primi generis sunt exceptiones jurisjurandi, rei iudicatæ, transactionis. Hæ litem jam compositam, atque è medio sublatham ostendunt, & exordium ipsum impediunt litis, vetantque, ne frustra novum iudicium instituat (1). Sed ut locum habeant hujusmodi exceptiones, necesse est, quod lis pridem extincta, vel jurejurando, vel transactione, vel re iudicata denuo inter eadem personas, de eadem re, atque ex eadem petendi causa instituat (2).

Tom. III.

(1) *Cap. 1. de Lit. contest. in 6.*

(2) *L. 3. 12. 21. 23. 41. ff. de Except. rei judic.*

§. III. Exceptionum, quas simpliciter peremptorias dicimus, longe major est numerus, cum nulla fere sit actio, quæ contraria exceptione submoveri, aut tolli aliquando non possit. Ad hoc genus referuntur exceptiones præscriptionis, doli mali, metus, & ceteræ, quarum non exiguus est numerus, quæque suis locis in utroque Jure singillatim explicantur. Hæ non impediunt quidem ingressum litis, sed tamen perimunt, & evertunt actionem institutam.

§. IV. Peremptoriæ exceptiones non modo ante litem contestatam, sed etiam postea in qualibet judicii parte ante rem judicatam (1), quin etiam interdum post rem judicatam in actione judicati, recte opponuntur (2). Par est ratio exceptionum, quæ impediunt exitum sententiæ, ut si post eam actor acceperit, quod petebat, recte reus exceptionem proponit, per quam ab se latæ sententiæ executionem avertit.

(1) *L. 4. & 8. cod. de Except., l. 2. cod. senten. rescind. non poss.*

(2) *L. 11. ff. ad S. C. Macedon., l. 1. §. 18., l. 20. §. ult. ff. de Re judic. Confer Cujacium in c. 29. de Test. opp. t. 6. col. 846.*

§. V. Dilatoriæ exceptiones aut ipsam respiciunt causam, aut actorem, aut judicem. Prioris generis sunt exceptiones illæ, quæ proponuntur contra libellum, quod sit vel ineptus, vel obscurus, quod non cesserit solutionis dies, quod feriarum tempore sit emissa citatio.

§. VI. Feriati dies sunt illi, quibus lege agere non licet, & omnis judicialis strepitus conquiescit (1). Feriarum quædam civiles, quædam ecclesiasticæ dicuntur; hoc est quædam hominum, quædam religionis causa institutæ sunt. Illæ variæ sunt pro more, & legibus populorum, præcipuæ tamen pertinent ad commoda messium, & vindemiarum (2); hæ sunt *dies devotionum, & orationum* (3), seu festi dies, quibus religioni operam

dare oportet, & quibus communes dies opponuntur (4). Jure civili judiciales actus feriatis diebus exerceri non possunt (5), nisi litigantes sua sponte ad judicem veniant (6); sed jure canonico, ne ipsis quidem litigantibus consentientibus, eosdem actus festis diebus expedire licet (7).

(1) Eleganter Ovidius *Fast. l. 1. vers. 73. opp. t. 3. p. 15. ed. Amstelædami 1702.* hos dies expressit his versibus

*Lite vacent aures, insinæque protinus absint
Jurgia, differ opus, livida lingua, tuum.*

Ideo à clericis dies omnes hebdomadæ feriæ dicuntur, quia clerici nullo die à divinis vacare debent; atque etiam Flaminiibus omnes dies feriati erant apud A. Gellium *Noct. Attic. l. 10. c. 15. p. 531. ed. Lugdun. Batav. 1666.*, quod recte observavit Baronius *ad an. 44. n. 88. t. 1. p. 316. ed. Luca.* Atque hoc feriæ nomen primum hebdomadæ Paschalis diebus datum fuisse, animadvertit Cironius in *Paratitl. decretal. de Feriis n. 5. p. 147. ed. Vindobon. 1761.*; quibus diebus omnes Christiani sese ab opere servili abstinere, & sacrosancta mysteria percipere debebant Concilium Matisconense II. *can. 2.* apud Labbæum *t. 6. col. 674.* Paschale hoc tempus feriatum fecisse Constantinum M., tradit Alexander Monachus *de Invent. S. Crucis* apud Oronium *l. c. n. 6.*; & exemplo harum feriarum, reliqui etiam dies dicti sunt feriæ, distinctione tamen habita inter ferias simplices, & solemnes *c. ult. de Feriis.* Sane lex Constantini memoratur apud Josephum Scaligerum *de Emend. tempor. p. 776. ed. Geneva 1629.*, in qua duæ hebdomadæ paschales, quarum altera Pascha antecedit, altera sequitur, ab opere faciendo excipiuntur. Nam majores nostri Paschali solemnitati integros dabant dies quindecim, hoc est hebdomadam, quæ Pascha antecedebat, & hebdomadam, quæ sequebatur; illa *πάσχα καταβολῆς pascha crucis*, hæc vero *πάσχα ἀνάστασις pascha resurrectionis* vocabatur. Utriusque generis exempla collegit Joannes Gaspar Svcicus *Thesaur. eccles. t. 1. p. 304. & t. 2. p. 1014. ed. Amstelædam. 1682.* Generale nomen *Pascha*, quod est ex Hebræo *phase*, quod transitum passionem, tum resurrectionem includit Christi Servatoris, qui est vere agnus paschalis, qui pro nostrum salute sese præbuit hostiam ad sacrificium. De his quindecim diebus Paschalibus lex est Valentiniiani, Theodosii, Arcadii *l. 2. cod. Theod. de Feriis*, in qua habentur hæc: *Sanctos quoque Pascha dies, qui septeno vel præcedunt numero, vel sequuntur, in eadem observatione numeramus.* Consule Gothofredum in *cancl. l. 2. t. 1. cod. Theod. p. 142.*

ed. Lipsiæ 1736., ubi multa habes antiqua testimonia, ex quibus constat, qua reverentia majores nostri quindecim hos paschales dies, quos rebus dabant Religionis, prosequerentur. Memorant etiam quindecim hos dies, tanquam ubique feriatos, Papianus *Respons. tit. 12.* apud Schultingium *Jurispr. vet. ante-justin. p. 835. ed. cit.*, S. Augustinus *Serm. 259. in die domin. olt. Pasch. l. 6. col. 1064. t. 5. part. 1. ed. Ven. 1731.* S. Joannes Chrysostomus, S. Epiphanius, ceteri, quos laudat Gothofredus *l. c.*

(2) Harum feriarum mentio est apud Statium *Silv. l. 4. vers. 39. seq. p. 198. ed. Lugd. Batav. 1671.*

Certe jam Latie non miscent jurgia leges,
Et pacem piger annus habet, messesque reversæ
Dimisere forum.

A. Gellium *Noct. Attic. l. 9. c. 15. p. 496. ed. Lugdun. Batav. 1666.*, Plinium *l. 8. Ep. 21. p. 212. ed. Oxonii 1703.*, Ulpianum *l. 1. 2. 3. ff. de Feriis*, S. Augustinum *Confess. l. 9. c. 2. opp. t. 1. col. 157. ed. Ven. cit.*, in *can. 2. c. 15. qu. 4.*, in *l. 2. et 7. cod. de Feriis*. In *l. 2. cod. Theod. de Feriis* omnes dies iudicii esse jubentur, exceptis duobus mensibus messium, & vindemiarum, Kalendis Januariis, natalibus urbium maximarum Romæ, & Constantinopolis, natalibus Imperatorum, quibus & editi in lucem, & imperium auspiciati erant, quindecim diebus Paschalibus, qui & ecclesiastica, & civili lege feriatum erant, & omnibus diebus Solis per integrum annum. Multa de feriis tum civilibus, tum ecclesiasticis habet Binghamus *Antiquit. eccles. l. 20. c. 1. & seq. t. 9. p. 1. & seq. ed. Hale Magdeburg. 1760.*, Gothofredus in *cit. l. 2. cod. Theod. de Feriis t. 1. p. 140. seq.*, & Selvagijs *Antiq. Christian. l. 2. c. 4. §. 2.*

(3) Ita hi dies appellantur in *l. ult. cod. Theod. de Navicul.*

(4) *L. 2. cod. de Stat. & imagin.* De feriatis diebus agit Gregorius IX. in *c. ult. de Feriis.*

(5) *L. 2. cod. de Feriis.*

(6) *L. 8. cod. cod.*

(7) *Cap. ult. de Feriis.* Sed obstare videtur *c. 6. de Dol. & contumac.*, ubi habentur hæc: "Ipsi mandavimus, ut usque ad Dominicam . . . per se, vel procuratorem . . . ad præsentiam nostram, accederet; itemque cap. 15. de Accusat., ubi scriptum est: Episcopus, copum ad festum Dominicæ peremptorie nos meminimus citavisse. "Has Decretales quidam ita explicant agentes, usque ad, & ad idem sæpe esse quod infra, ut in *c. 9. de Fid. instrum.* Sed aliud ex *cit. c. 6.* non obscure deprehenditur, ut proinde alia eorum Decretalium sententia sit. Scilicet utroque loco reus citatus fuerat jussu Summi Pontificis, qui derogaverat legi, quæ festis diebus

judicia exerceri vetabat. Ceterum disertissime Gregorius IX. in *cit. c. ult. de Feriis* debere inquit *judiciale strepitum diebus con- quiescere feriatis*; idemque jam erat ante Gregorium jure canonico constitutum. Nam Concilio Compendiensi, quod descriptum est in *c. 1. de Feriis, in eis*, inquit de Dominicis diebus, *mercatum minime fiat, neque placitum*, hoc est *judicium*, quo sensu illud vocabulum sæpe usurpatur in Capitularibus Regum Francorum, in legibus Ripuariorum, Longobardorum, aliarumque gentium, unde ortum est verbum *placitare*, nimirum iudicio contendere. Idem habet Concilium Triburiense *an. 895. can. 35. t. 11. Concil. col. 647.*, & Aquisgranense II. *can. 18. t. 9. col. 840. collect. Labbæi ed. Ven. cit.* Quod autem addit Gregorius, judiciales actus festis diebus gestos plane irritos esse, id forte ante ipsum nullo canone expresse statutum fuerat; quamquam id esset nominatim sancitum à jure civili in *l. 1. ff. de Feriis*, & in *l. 2. cod. cod.* Sed quoad dies festos Gregorius Jus civile emendavit, quoniam, ne cum consensu quidem litigatorum, iis diebus judiciales actus fieri permisit.

§. VII. Ad actorem pertinent exceptiones, quibus reus utitur contra personam actoris, aut procuratoris, ut si opponat, alterutrum, vel utrumque esse communicatum, proscriptum, pupillum, aut alio juris, vel naturæ impedimento in iudicio stare prohibitum, procuratorem mandato carere, aut non recte esse constitutum.

§. VIII. Postremo exceptiones contra iudicem duobus ex fontibus hauriuntur, aut quia non est competens, sive legitimus, aut quia suspectus est. Iudex non competens, sive non legitimus ille dicitur, qui vel extra territorium suum jus dicit, vel inter homines sibi non subjectos, vel suæ jurisdictionis modum excedit (1). Suspectus autem iudex est, quia cognatus, affinis, conjunctus actori, quia cum reo graves inimicitias gerit, quia juris imperitus, quia eidem causæ patronus fuit, quia similem ipse in alio iudicio litem habet (2).

(1) Confer titulum Codicis *Si non à competen. judic.*

(2) *Cap. 36. de Appellat.* Vide etiam Capitularia Caroli M. *l. 7. c. 240. col. 718. t. 1. ed. Baluzii Ven. 1772.*

§. IX. Omnes dilatoriæ exceptiones inter exordia litis (1), hoc est ante litem contestatam opponendæ sunt (2); nisi postea suboriantur, vel postea innotes-

cant (3). Quin etiam ne dolo, & malitia rei iudicium in longum trahatur, certus à iudice dandus est dies dilatoriis exceptionibus opponendis; quo elapso illæ tantum proponi possunt, quas nova obtulit causa quasque reus tunc sibi primum fuisse cognitas juratus affirmaverit (4), itemque illæ, quæ irritum, & inane iudicium faciunt (5). Sed præsertim initio litis, atque ante ceteras dilatorias exceptiones opponi debet præscriptio fori, ne quis, ea omissa, si ad aliquem actum in iudicio pergat, in iudicem consensisse videatur (6): nisi justa recusandi iudicis causa deinceps exoriat (7). Excipitur clericus, qui, uti demonstratum supra est, jurisdictionem laici iudicis prorogare non potest.

(1) Sic Julianus Imperator in l. 12. cod. de Except.

(2) Hæc quidem Canonici, & Civilis Juris regula est in l. 4. de Jurisd. omn. jud., et in cit. l. 12., et c. 20. de Senten. et re judic.

(3) Cap. 4. de Except.

(4) Cap. 4. cit. c. 6. Qui matrim. accus. pos.

(5) Huc spectat exceptio falsi Procuratoris, seu mandato carentis, quæ "non solum ante sententiam, verum etiam postea potest obijci, utpote qua probata iudicium nullum, & nullius momenti controversiæ reputantur," ut inquit Pontifex in c. 4. de Procurat. Eadem ratio est exceptionis revocati procuratoris, cum mandatum expiret, posteaquam revocatum est c. 3. eod.

(6) L. 1. et 2. ff. de judic.

(7) Cap. 21. et 25. de Offic. judic. delegat.

§. X. Sola exceptio majoris excommunicationis in qualibet parte litis opponi potest, etiamsi reus eam præfinito tempore omiserit; quod jure singulari cautum est, ne quisquam in periculum animæ suæ excommunicato communicare cogatur (1). Tantum post appellationem proposita hæc exceptio iudicii cursum non impedit (2); sed antea iudex ipse ex officio debet publice excommunicatum à iudicio repellere, quamquam nemo hujusmodi exceptionem objecerit (3). Quoniam vero litigatores exceptione excommunicationis ad vexandos adversarios abutebantur, sapientissime ab Innocentio IV. certus est constitutus ejus opponendæ modus (4). Scilicet reus, qui illa contra actorem exceptione utitur, exprimere

speciem excommunicationis nomenque excommunicatoris debet; illamque demonstrare intra dies octo; secus progrediendum iudici in causa est, ac reus in expensas condemnandus. Quod si iterum hæc exceptio objiciatur, atque probetur, actor à iudicio repellitur, sed valent ea quæ gesta sunt; post duas vero vices non amplius eadem exceptio, nisi ob justam causam, proponi potest.

(1) Cap. 12. de Except.

(2) Cap. 11. de Except.

(3) Cap. 12. cit., & c. 1. eod. in 6.

(4) Cap. 1. de Except. in 6.

§. XI. Duo potissimum parit exceptio primum, quod ea recte probata actionem excludit, sive ad tempus, sive perpetuo, prout exceptio dilatoria, aut peremptoria est (1); alterum, quod reus exceptione actor efficitur (2). Propterea quemadmodum ad actorem probandi onus pertinet, ita & reus probare debet exceptionem suam (3); quod si ipse non præstet, tamen actor non liberatur ab onere probandi, quoniam reus, qui excipit, actoris intentionem non censetur confiteri (4).

(1) L. 2. ff. de Except.

(2) L. 1. ff. eod.

(3) L. 19. & 25. ff. de Probat.

(4) L. 9. ff. de Except.

§. XII. Adversus exceptiones comparatæ sunt replicationes, quæ sunt adjumenta, & præsidia, quibus actor utitur adversus reum, ut exceptionem tollat (1). Nam replicatio est exceptionis exclusio (2), quæ tamen si à parte actoris veniat, tamen est potius exceptio, quam actio; quia opponitur excipienti reo, qui in exceptione actor est (3). Quemadmodum vero rei exceptionem removet actoris replicatio, ita hanc excludit duplicatio rei, atque hanc rursus actoris triplicatio; & sic deinceps multiplicantur nomina, dum aut reus, aut actor objicit (4). Non enim jure civili definitus est modus defensionum, quæ ab actore, & à reo proponuntur. Sed in foro ecclesiastico hæc duplicationes, triplicatio-

nesque non obtinent; verum iudex ex officio iis modum constituit, & causam definit.

(1) L. 3. *cod. de Except.*

(2) L. 2. §. 1. *ff. de Except.*

(3) L. 1. *ff. cod.*

(4) L. 2. §. 3. *de Except.* Quo loco Ulpianus replicationi non duplicationem, ut Tribonianus §. 1. *Instit. de Replicat.*, sed triplicationem opponit. In eadem cum Ulpiano causa est Julianus in l. 7. §. *Curator ff. de curat. furios.* Ne à duobus his Jurisconsultis Tribonianus dissentiat, sunt qui ex ejus auctoritate utrumque illum Ulpiani, & Juliani locum emendandum putant; sed id quidem est contra omnium veterum exemplarium fidem. Meo iudicio, nihil est, quod ea de re multo sermone laboremus. Quæ Triboniano est *duplicatio*, eam antiqui Jurisconsulti *replicationem* appellarunt, & certe *replicare* est rursus plicare, idemque prorsus ac *duplicare*. Merito igitur replicationem *triplicatio* excipere debebat.

TITULUS XI.

De ordine cognitionum.

- I. Quales exceptiones certo ordine cognoscendæ?
- II. Quæstiones præjudiciales.
- III. Causæ incidentes.
- IV. & V. Causæ præparatoriæ, earumque species.
- VI. Spolium quid?
- VII. Quemadmodum, & qui-

- bus in rebus committatur?
- VIII. Spolium actionis, & exceptionis loco proponitur.
- IX. Spoliatus ante omnia restituendus.
- X. & XI. Quando spoliatus non restituitur?

§. I.

Exceptiones, quæ à reo proponuntur, plures sæpe causas, & quæstiones inducunt, quæ certo ordine à legibus definito tractandæ sunt, qui *ordo cognitionum* appellatur (1). Causæ autem hujusmodi sunt vel *præjudiciales*, in quibus ab unius decisione alterius decisio pendet, vel *incidentes*, quæ nimirum incidunt in ipsa lite, cujus gratia iudicium exercetur; vel *præparatoriæ*, quarum decisio alterius decisionem faciliorem reddit; vel quæ quidem *ex eodem negotio* oriuntur, sed tamen *ad diversa* tendunt, neque à se invicem pendunt.

(1) Cognitionis nomen proprie ad principem, vel ad magistratus refertur, cum princeps sua sponte cognoscit, vel magistratui cognitionem committit: vel etiam ipsi Magistratus ex suo officio cognoscunt, quæ cognitio legitima, & extraordinaria appellatur; ut patet ex titulo *ff. de Extraord. cognit.* Hinc illud Suetonii in *Claud. c. 15. p. 450. ed. Traject. ad Rhen. 1691.* "Alium interpellatum ab adversario de propria lite, negantemque cognitionis rem, sed ordinarii juris esse, agere causam confestim apud se coegit;" ita intelligendum est, negantem ad principis cognitionem rem pertinere, atque agentem, ipsum non cognoscere, sed iudicem dare debuisse, apud se causam agere coegit. Scilicet cum ordine, & jure in jurisdictione recepto Prætorii liceret iudicem dare, quod est jurisdictionis l. 3. *ff. de Jurisd.*, ac dare etiam pro potestate solitus esset, extraordinariam esse oportuit cognitionem, quam ipse cogente officio suscipiebat, & quam alteri committere non poterat. Atque huc equidem referendum arbitror quod de Nerone narrat Tacitus *Annal. l. 13. c. 51. t. 1. p. 890. ed. Amstelæd. 1673.*, quem ait edixisse, "ut Romæ Prætor, per provincias qui pro Prætoribus, aut Consulibus essent, jura, adversus Publicanos extra ordinem redderent. Alii extraordinarias cognitiones vocant, de quibus nulla ordinaria, certoque jure actio erat constituta, quæque à Prætoribus extra ordinem, & ex æquitate suscipiebantur, easque opponunt ordinariis cognitionibus, quæ ordinariam habebant actionem, certoque jure nitebantur. Contra alii ordinaria cognitio est, quæ iudicibus datis competit. Consule Donellum *de jur. civil. l. 8. c. 2. n. 4. opp. t. 2. col. 693.*, & l. 17. c. 22. n. 9. & 10. t. 4. col. 1351. & *seq. ed. Lucæ*, & Scipionem Gentilem *de jurisd. l. 2. c. 20. opp. t. 3. p. 187. et seq. ed. Neap. 1764.* Verum facultas judicandi, sive ordinaria, sive extraordinaria, vulgo cognitio dicitur L. *penult. ff. de jurisd. omn. jud.* Quare titulus hic, qui in Gregorianis Decretalibus est *de ordine cognitionum*, in prima compilatione inscribitur *de Ordine judiciorum*, quasi idem iudicium, et cognitio sit, ut in *cap. 1. et penult. de ordine cognit.* *Cognitionales sententias memorat l. un. cod. de Senten. Præf. præf.*, et l. 13. *cod. de Sent. et interloq.*, quæ scilicet causa cognita feruntur; & in l. ult. §. *Illud etiam cod. de Temp. et reparat.* occurrit verbum *cognitionaliter*, quo significatur id, quod parte utraque præsentem, & adhibita causæ cognitione gestum est.

§. II. Præjudiciales quæstiones noscendæ, definiendæque sunt, antequam causa altera, quæ ex illis pendet, cognoscatur. Ita si qua mulier affirmet, se cum certo homine iniisse matrimonium, isque excipiat, illud consistere non potuisse propter impedimentum cognitionis, antea hæc exceptio cognoscenda est; quoniam ea cognita, ac definita matrimonii quæstio dirimitur (1).

nesque non obtinent; verum iudex ex officio iis modum constituit, & causam definit.

(1) L. 3. *cod. de Except.*

(2) L. 2. §. 1. *ff. de Except.*

(3) L. 1. *ff. cod.*

(4) L. 2. §. 3. *de Except.* Quo loco Ulpianus replicationi non duplicationem, ut Tribonianus §. 1. *Instit. de Replicat.*, sed triplicationem opponit. In eadem cum Ulpiano causa est Julianus in l. 7. §. *Curator ff. de curat. furios.* Ne à duobus his Jurisconsultis Tribonianus dissentiat, sunt qui ex ejus auctoritate utrumque illum Ulpiani, & Juliani locum emendandum putant; sed id quidem est contra omnium veterum exemplarium fidem. Meo iudicio, nihil est, quod ea de re multo sermone laboremus. Quæ Triboniano est *duplicatio*, eam antiqui Jurisconsulti *replicationem* appellarunt, & certe *replicare* est rursus plicare, idemque prorsus ac *duplicare*. Merito igitur replicationem *triplicatio* excipere debebat.

TITULUS XI.

De ordine cognitionum.

- I. Quales exceptiones certo ordine cognoscendæ?
- II. Quæstiones præjudiciales.
- III. Causæ incidentes.
- IV. & V. Causæ præparatoriæ, earumque species.
- VI. Spolium quid?
- VII. Quemadmodum, & qui-

- bus in rebus committatur?
- VIII. Spolium actionis, & exceptionis loco proponitur.
- IX. Spoliatus ante omnia restituendus.
- X. & XI. Quando spoliatus non restituitur?

§. I.

Exceptiones, quæ à reo proponuntur, plures sæpe causas, & quæstiones inducunt, quæ certo ordine à legibus definito tractandæ sunt, qui *ordo cognitionum* appellatur (1). Causæ autem hujusmodi sunt vel *præjudiciales*, in quibus ab unius decisione alterius decisio pendet, vel *incidentes*, quæ nimirum incidunt in ipsa lite, cujus gratia iudicium exercetur; vel *præparatoriæ*, quarum decisio alterius decisionem faciliorem reddit; vel quæ quidem *ex eodem negotio* oriuntur, sed tamen *ad diversa* tendunt, neque à se invicem pendent.

(1) Cognitionis nomen proprie ad principem, vel ad magistratus refertur, cum princeps sua sponte cognoscit, vel magistratui cognitionem committit: vel etiam ipsi Magistratus ex suo officio cognoscunt, quæ cognitio legitima, & extraordinaria appellatur; ut patet ex titulo *ff. de Extraord. cognit.* Hinc illud Suetonii in *Claud. c. 15. p. 450. ed. Traject. ad Rhen. 1691.* "Alium interpellatum ab adversario de propria lite, negantemque cognitionis rem, sed ordinarii juris esse, agere causam confestim apud se coegit;" ita intelligendum est, negantem ad principis cognitionem rem pertinere, atque agentem, ipsum non cognoscere, sed iudicem dare debuisse, apud se causam agere coegit. Scilicet cum ordine, & jure in jurisdictione recepto Prætorii liceret iudicem dare, quod est jurisdictionis l. 3. *ff. de Jurisd.*, ac dare etiam pro potestate solitus esset, extraordinariam esse oportuit cognitionem, quam ipse cogente officio suscipiebat, & quam alteri committere non poterat. Atque huc equidem referendum arbitror quod de Nerone narrat Tacitus *Annal. l. 13. c. 51. t. 1. p. 890. ed. Amstelæd. 1673.*, quem ait edixisse, "ut Romæ Prætor, per provincias qui pro Prætoribus, aut Consulibus essent, jura, adversus Publicanos extra ordinem redderent. Alii extraordinarias cognitiones vocant, de quibus nulla ordinaria, certoque jure actio erat constituta, quæque à Prætoribus extra ordinem, & ex æquitate suscipiebantur, easque opponunt ordinariis cognitionibus, quæ ordinariam habebant actionem, certoque jure nitebantur. Contra alios ordinaria cognitio est, quæ iudicibus datis competit. Consule Donellum *de jur. civil. l. 8. c. 2. n. 4. opp. t. 2. col. 693.*, & l. 17. c. 22. n. 9. & 10. t. 4. col. 1351. & *seq. ed. Lucæ*, & Scipionem Gentilem *de jurisd. l. 2. c. 20. opp. t. 3. p. 187. et seq. ed. Neap. 1764.* Verum facultas judicandi, sive ordinaria, sive extraordinaria, vulgo cognitio dicitur L. *penult. ff. de jurisd. omn. jud.* Quare titulus hic, qui in Gregorianis Decretalibus est *de ordine cognitionum*, in prima compilatione inscribitur *de Ordine judiciorum*, quasi idem iudicium, et cognitio sit, ut in *cap. 1. et penult. de ordine cognit.* *Cognitionales sententias memorat l. un. cod. de Senten. Præf. præf.*, et l. 13. *cod. de Sent. et interloq.*, quæ scilicet causa cognita feruntur; & in l. ult. §. *Illud etiam cod. de Temp. et reparat.* occurrit verbum *cognitionaliter*, quo significatur id, quod parte utraque præsentem, & adhibita causæ cognitione gestum est.

§. II. Præjudiciales quæstiones noscendæ, definiendæque sunt, antequam causa altera, quæ ex illis pendet, cognoscatur. Ita si qua mulier affirmet, se cum certo homine iniisse matrimonium, isque excipiat, illud consistere non potuisse propter impedimentum cognitionis, antea hæc exceptio cognoscenda est; quoniam ea cognita, ac definita matrimonii quæstio dirimitur (1).

Similiter exceptio excommunicationis ante causam, de qua præcipue quæritur, expendenda est (2): & si petenti hereditatem, & successionem jure cognationis opponatur status natalium, primum de natalibus, quoniam hæc quæstio præjudicialis est, postea de successione quæritur (3).

(1) *Cap. 1. de Ordin. cognit.* Sed tamen recte est, vereque animadversum à Jacobo Cujacio *in cit. c. 1. opp. t. 6. col. 802. ed. cit.*, id quidem obtinere, cum reus actoris intentionem confitetur, verumtamen præjudicalem, & peremptoriam exceptionem proponit. Secus enim cum reus non confitetur actoris intentionem, non ante est probanda exceptio, sive dilatoria, sive peremptoria, quam actor probaverit intentionem suam *l. 9. c. de Præscription. long. tempor. l. 9. cod. de Except. seu præscript.*, *l. 19. cod. de Probat.*, nimirum quia actore non probante reus absolvitur, quamquam ipse exceptionem suam non probaverit *l. 4. cod. de Eden.*, *c. 3. de caus. possess.*

(2) *Cap. 19. de Judic.*

(3) *Cap. 3. de Ordin. cognit.*

§. III. Causæ incidentes ab eodem cognoscendæ sunt iudice, cujus est de præcipua causa judicare quamquam ipse minus competens esset, si de iis præcipue iudicium institutum fuisset (1): nisi causa civilis incidens sit ecclesiastica, quam ne incidenter quidem cognoscere laicus iudex potest (2), licet contra integrum sit iudici ecclesiastico de causa civili incidente judicare (3).

(1) *L. 1. cod. de Ord. judic.*, *l. 3. cod. de Judic.*

(2) *C. 3. de Ordin. cognit.*, *c. 7. Qui fil. sint legit.*

(3) *Cap. 3. de Donat. inter vir. & uxor.*

§. IV. Causam quoque præparatoriam prius defini-ri, iudiciali ordini aptum, & conveniens est (1). In quæstionibus civilibus, quæ diversæ sunt, neque à se invicem pendent, licet ex eodem negotio oriantur, videndum est, quomodo propositæ sint. Si per modum actionis separato iudicio, utraque actio in proprio foro expeditur; si per modum reconventionis in eodem foro, vicissim tractanda, atque eadem sententia utra-

que definienda est (2); si per modum exceptionis peremptoriæ, illa adhibenda ratio est, quam in his exceptionibus cognoscendis observandam esse, superiori loco demonstravimus.

(1) *L. 35. ff. de Acquir. & amitt. possess.*, *l. 13. cod. de Rei vindic.*

(2) *Cap. 2. de Ordin. cognit.*

§. V. Si civiles, & criminales causæ concurrant, distinguendum est utrum altera præjudicialis sit, an semet invicem non attingant. Si causa præjudicialis sit, ea primum cognoscenda est, sive civilis (1), sive criminalis sit (2). Si altera causa alteram non attingat, neque ab ea pendeat, criminalis, quæ majoris est momenti, ante civilem definienda est (3).

(1) *L. 3. 5. & 6. cod. de Ord. cognit.* Atque huc referenda est *l. 4. c. de Ordin. judic.*, ubi Constantinus inquit sæpe causam civilem intermittere, ex quo patet, interdum civilem causam prius esse cognoscendam, si causa criminalis inde pendeat, quo spectat *l. 1. cod. de Appellat.*

(2) *L. 14. cod. de Testib.*

(3) Id quidem generatim est verum, cum semper criminalis quæstio gravior habeatur. Sed interdum iudex utramque causam & civilem, & criminalem uno iudicio absolvit, cum scilicet actor quæstionem utramque proposuit *l. 4. §. 4. ff. Fin. regund. l. 1. ff. de Publ. judic. l. 3. c. de Ord. judic. l. un. c. Quand. civ. act. crimin. præjud.* Quod si actio criminalis principaliter est proposita, & reus civilem quæstionem movet, primum illa, tamquam gravior, noscenda est *l. 5. §. 1. ff. ad l. Jul. de Vi publ.*, *l. 33. c. ad l. Jul. de Adulter.* Quod etiam dicendum videtur, si quæstio civilis instituta sit, ac reos actorem criminis accusaverit; nam causa civili tamdiu supersedendum est, quamdiu criminalis absoluta fuerit *l. 4. c. de Ordin. jud.*

§. VI. Sed & exceptio spoliæ hoc præcipuum habet, ut ea sit expendenda, antequam proposita actio cognoscatur (1). Est autem spolium facinus indignum, & iniquum, quo quis ex rei suæ possessione, vel quasi dejicitur. Itaque ad spolium utrumque requiritur, quod quis habuerit rei possessionem, vel quasi, & quod ea per injuriam ablata sit (2).

(1) *Cap. 2. & ult. de Ord. cognit.* Est autem à jure canonico inductum spoliū iudicium, ut quis recuperet possessionem, unde injuria dejectus est, eoque latius explicatum est civile interdictum unde vi, cui non omnia ea de re satis considerata, & pròvisa erant. Consule Vicatum *Vocabul. jur. verb. Spolium*, & Voetum in *Pandect. l. 43 tit. 16. n. 7.*

(2) *Cap. 10. de Offic. & potest. jud. deleg. c. 17. de Restit. spoliat.*

§. VII. Committitur autem spoliū in rebus tum immobilibus, tum mobilibus (1), atque etiam in iuribus (2); neque vero refert, an vis, dolusve intervernerit, quoniam sola culpa, & bona fide committi potest. Etiam iudex spoliū reus est, cum neglecto juris ordine alicui possessionem adimit (3), neque à spolio alienus est, qui illud mandavit, vel ratum habuit (4); imo etiam qui rem spolio ablatam scienter accipit (5), non vero tertius bonæ fidei possessor.

(1) *C. de Restit. spoliat. in 6., c. 6. de Sepult., c. 2. 3. 4. 8. 10. & 13. de Restit. spoliat., c. 10. de Probat.*

(2) *Cap. 3. de caus. pos. & propriet., c. 6. de Sepultur.* Spolium latissime patet, adeo ut qui qualicumque possessione, vel quasi iniuste est privatus, spoliatus habeatur. Si uxor à marito diverfit, maritus spoliatus dicitur *c. 8. de Restit. spoliat.*, modo per legitimum matrimonium in ejus domum traducta fuerit *c. 12. eod.* Mulier spoliata est, quæ à marito expulsa, & domo ejecta est *c. 10. & 12. eod.*, qui suo se beneficio, aut jure per vim, vel iniuste abdicare coactus est *c. 2. & 3. eod.*, quibus denegantur pensiones, quas hactenus perceperunt *c. 9. eod.*, qui excluduntur ab electionibus, quibus hactenus interfuerunt *c. 3. de caus. possess. & propriet.*, qui injuria extra parochiam, vel ubi sepultura facienda erat, cadaver intulerunt *c. 6. de Sepult.*, qui propter nullum contractum possessionem amiserunt.

(3) *Cap. 7. de Restit. spoliat., c. 22. de Offic. & potest. jud. delegat.*

(4) *Cap. 15. de Restit. spoliat.*

(5) *Cap. 18. eod.* Jure Civili interdictum unde vi datur tantum adversus eum, qui vi adhibita possessorem deiecit, non adversus eum, ad quem res ab alio violenter ablata pervenit *l. 7. ff. de Vi & vi armat.* Nam hoc interdictum scriptum est in personam hoc modo; *unde tu illum vi deiecit.* Sed juri civili derogat Celestinus III. in *cit. c. 18.*, ubi interdictum unde vi concedit etiam adversus eum, ad quem non ignarum vitii res ab alio

per vim ablata delata est. Fateor equidem Jus civile etiam adversus heredem prædonis hoc idem interdictum tribuere *l. 1. §. ult., & l. 2. ff. de Vi & vi arm.*, quia nimirum heres successor universalis est, ad quem omne defuncti vitium defertur *l. 11. ff. de Divers. & temporalib. præscript., l. penult. cod. de Acquir. poss.*; sed non item concedit adversus emptorem, aliamve successorem singularem, qui non succedit in vitium ejus, à quo rem obtinuit. At jure canonico malæ fidei emptor succedit etiam in vitium venditoris; & ideo nihil refert, sive quis rem per vim abstulerit, sive ab alio ablatam sciens prudens retinuerit. Errant autem vehementer qui hæc Celestini constitutionem non pertinere existimant ad interdictum unde vi, sed potius ad beneficium editum in *can. Redintegranda c. 3. qu. 1.*, quod quidem beneficium perpetuum est. Nam si id verum haberetur, nullum esset inter jus canonicum, & civile discrimen, quoniam ea in re eadem esset juris utriusque regula; at vero Celestinus *cit. c. 18.* expresse profiteretur, sese juri civili derogare, uti patet ex verbis *non obstante juris civilis rigore sancimus &c.* Non ignoro, quam multæ sint turbæ de interpretatione *can. Redintegranda c. 3. qu. 1.* Sed mihi perspicuum videtur, eum Canonem id velle, quod etiam jure civili sancitum est, ut quamquam interdictum unde vi annale sit *l. 1. ff. de Vi & vi arm.*, tamen perpetua sit persecutio rerum vi ablatarum *l. penult. ff. de Interd.* Nihil dico de fide, & auctoritate ejusdem canonis, quem Gratianus adscribit Joanni I. P. in *Ep. ad Zaccariam Archiepisc.*, sed Joannis revera non est. Consule *Beardum Gratiani canones gemini &c. par. 2. t. 1. c. 50.*

§. VIII. Spolium vel exceptionis, vel actionis loco proponitur. Exceptio pertinet ad repellendam intentionem actoris (1), qui non auditur, nisi primum rem injuria ablatam restituat (2), eaque spoliante contra spoliatum ex quacumque causa agenti opponi potest, nisi de causa ecclesiastica egerit (3). De tertii spolio excipere nequit reus, nisi in criminalibus, si demonstraverit, sibi violenter rem universam suam, vel majorem ejus partem ademptam fuisse (4). Exceptio autem probari debet intra dies quindecim, posteaquam proposita est, ne forte vertatur in fraudem, & judicii cursus retardetur (5).

(1) *Cap. 2. de Ordin. cognit.*

(2) *Cap. 16. de Restit. spoliat.*

(3) *Cap. 1. de Restit. spoliat. in 6.*

(4) *Cap. 1. cit.*

(5) *Cit. c. 1. de Restit. spoliat. in 6.*

§. IX. Actio spoli eo spectat, ut spoliato res ablata ante omnia restituatur. Itaque nulla contra eum opponi potest exceptio, quæ ad petitorium pertineat, veluti dominii (1), renunciationis (2), quod canonice non sit institutus (3), quod crimen commiserit (4). Adeo sane leges odio habent, improbantque spoliolum, ut, *prædo etiam secundum rigorem juris sit restituendus* (5); quia nec exceptionis spoli ante commissi habenda ratio est, sed tantum vis inspicitur, quæ postremo illata fuit. Quinimo non tantum res ablata spoliato restituitur, aut ejus loco æstimatio datur, sed etiam sarcienda sunt damna, ac restituendi fructus à spoliante percepti, quin etiam percipiendi, si spoliolum vi, aut dolo malo patratum sit (6). Quorum probationem, atque æstimationem spoliatus jurejurando peragere potest (7).

(1) *Cap. 1. de Restit. spoliat.*

(2) *Cap. 2. & 3. eod.*

(3) *Cap. 5. eod.*

(4) *Cap. 1., & 6. eod.*, Atque hoc est, quod dici solet spoliolum ante omnia restituendum esse, hoc est nulla audita exceptione, vel objectione; satis est, quod actor spoliatus fuerit *l. 1. §. 30. ff. de Vi & vi arm.*

(5) *Cap. 5. eod. l. 12. et 18. ff. de Acquir. vel amitt. possess.*

(6) *Cap. 51. de Appellat., c. 11. de Restit. spoliat.* Verum gravis inopia spoliantis, qui alienum restituere nequit, nisi primum ipse suum recuperet, impedimento est, quominus spoliatus statim rei suæ fructus obtineat *cap. 16. de Restit. spoliat.*

(7) *Cap. 7. de His quæ vi met. caus. fiunt.*

§. X. Atque hæc quidem regula juris est, ut nulla exceptio agenti de spolio opponi possit. Verum extra ordinem exceptiones admittuntur. Sic audienda est exceptio proprietatis, vel quæ petitorium respicit, ubi actor consentit (1). Contra spoliolum actionem admittitur exceptio spoliolum, si actor in alia causa reum spoliavit, adeo ut probationes super hac exceptione primum noscendæ sint, quibus absolutis, reus actori de spolio agenti respondere non cogitur, nisi ab ipso restitui-

tus fuerit, quoniam exceptio spoliolum ex earum numero est, quæ litis ingressum impediunt (2). Exceptio consanguinitatis opponi potest marito, à quo uxor discessit, si illico demonstrari queat (3), si graviolem indagationem postulat, rejicitur, & restitutio decernitur (4). Si actor possessorium, & petitorium cumulat, recusare nequit exceptiones, quæ petitorium respiciunt (5).

(1) *Cap. 1. de Restit. spoliat.*

(2) *Cap. 2. de Ordin. cognit.*

(3) *Cap. 13. de Restit. spoliat.*

(4) *Cap. 10. eod.*

(5) *Cap. 2. de caus. possess. et propriet.*

§. XI. Simili modo audienda est exceptio deficientis possessionis (1), vel etiam quod quis ad possidendum minime aptus, & idoneus fuit, propterea restituendus non est laicus, qui ex spiritualium possessione dejectus est. Idem sit iudicium de exceptione vitiosæ possessionis, cui Jus commune aperte adversatur. Ita qui spoliatus est decimis, quas se in aliena parcella habuisse contendit, non restituatur, nisi primum evidenter ostendat, jure se earum possessionem obtinuisse (2). Neque dissimilis ratio est exceptionis privatæ occupationis in jure permissæ, ac justæ defensionis. Licet enim statim vim vi repellere, nec vis illata dicitur ab eo, qui illico rejicientem rursus dejicit (3). Eodem loco est exceptio damni irreparabilis. Ita mulier non statim viro restituenda, si insidias suæ vitæ factas opponat, sed interim in loco tuto commorari debet (4), nisi maritus idoneam præstet cautionem, per quam illi consulatur (5). Scandali quoque exceptio admittenda, si evidens est; quoniam ut publica offensio, seu scandalum removeatur juris regulæ negliguntur.

(1) *Cap. 2. de Restit. spoliat. in 6.*

(2) *Cit. cap. 2.*

(3) *Cap. 12. de Restit. spoliat. l. 3. §. cum igitur ff. de Vi et vi arm. l. 12. §. 1. ff. Quod met. caus.*

(4) *Cap. 8. de Rest. spoliat.*

(5) *Cap. 13. eod.*

De mutuis petitionibus.

- I. Mutua petitio quid?
 II. Quomodo fiat?
 III. Ejus finis compensatio.

- IV. A quibus recte proponatur?
 V. Ejus effectus.

§. I.

Deductus in iudicium reus non solum armis defenditur exceptionum, sed etiam petere à iudice potest, ut sibi ex actore justitia exhibeatur; quod fit mutuis petitionibus. Mutua petitio est mutua actio, seu reconventio (1), per quam reus, cognito actoris libello, eundem convenit, & vicissim aliquid ab eo petit. Ita si actor petat decem ex causa mutui, reus vicissim ex testamento petat alia decem, vel amplius, mutua petitio est.

(1) Mutua petitio actio est, non exceptio, ut quibusdam visum, qui tamen à *cap. 2. §. 2. de Ord. cogn.* aperte refutantur.

§. II. Si quid igitur causæ sit, cur possit reus cum actore agere, eundem potest reconvenire, sive eadem, sive alia sit causa (1), aut in personam, aut in rem actio instituta sit (2). Id vero fit coram eodem iudice, ad quem reus vocatus est, quemque actor repudiare non potest, sive ordinarius sit, sive delegatus (3). Unì reo facultas est proponendæ mutuae petitionis, non item actori, ut lites habeant medium quemdam modum; quæque in iudicio conventionis data est agendi ratio, eadem etiam in reconventionem servanda est. Nam una eademque actoris, & rei conditio esse debet (4).

(1) *Auth. Consequenter Cod. de Senten. et interloq., c. 1. de Ord. cognit.* Errat autem Antonius Faber *Conject. l. 20. c. 5.* contendens, non licere reo actorem ex diversa causa reconvenire.

(2) Ab omnibus generatim rejecta est opinio Antonii Fabri *Conject. l. 20. c. 8.*, qui subtiliter more suo, sed minus vere demonstrare conatur, eum, cum quo actione in rem actum est, reconvenire non posse.

(3) *Cap. 3. de Rescript. in 6.* Id vero locum habet, si postulat inter reconvento datus fuerit delegatus *cap. de Mut. petit.*, quia hic demum obtinet ratio allata in *L. 14. C. de sent. et interloq. re-petita in Can. 1. c. 3. q. 8.* Si delegatus metu proprio fuerit constitutus, locus reconventioni non est, cum actor iudicem illum non elegerit. Vide Gonzalez *in cit. c. 1. de Mut. petit. n. 10.*

(4) *Cap. 2. de Mutuis petit.*

§. III. Mutuæ petitionis finis est compensatio (1). Itaque in causis, in quibus compensatio locum non habet, ne reconventio quidem proponi potest. Huiusmodi sunt causæ criminales, in quibus agitur criminaliter (2), quoniam *innocentia*, non *relatione criminum reus purgatur* (3), præjudiciales (4), depositi (5) spoli, in quibus, uti demonstratum supra est, spoliatus respondere non cogitur, nisi antea restituatur (6), causæ momentaneæ possessionis, quæque celerem exitum postulant (7), denique in negotiis ecclesiasticis coram laico iudice reconventio fieri non potest (8).

(1) Tertulianus *Contr. Marcion. l. 2. c. 20. p. 392. ed. Rigaltii Paris. 1675.* inquit, Hebræos Ægyptiis ab se vasa aurea, & argentea petentibus opposuisse mutuas petitiones, agentes, sibi etiam deberi mercedem pro labore, atque opera, quam impenderant in ducendis lateribus, in civitatibus, atque in villis ædificandis, quod postea *compensationem* rectissime appellat. Quæ compensatio vel fit ipso jure, vel per exceptionem doli inducitur, vel per mutuam actionem. Nam mutua hac actione alia actio tollitur, & debitum compensatur, ut est in Capitularibus Caroli M. *l. 7. c. 303. col. 730. t. 1. ed. Baluzii Ven. 1772.* Ita per *recautionem*, ut inquit Augustinus *lib. de Cur. pro mortuis c. 11. opp. t. 6. col. 524. ed. cit.*, *cautio evacuatur*, hoc est dissolvitur; & ita per *evacuatoriam*, quam memorat Marculphus *Formul. l. 2. c. 27. & 35. apud Baluzium Capitular. Reg. Franc. t. 2. col. 289. & 291. ed. cit.* (hoc est per *syngrapham*, quam creditor confitebatur, suam sibi pecuniam fuisse solutam) *vacua*, & *inanis* permanet obligatio.

(2) *Can. 1. 2. & 4. c. 3. qu. 1., l. 1. & 19. Cod. de His quæ accus.*

(3) *L. 5. ff. de Publ. jud.*

(4) *Cap. 1. de Ordin. cognit.*

(5) *Cap. 2. & ult. de Deposit.*

(6) *Cap. 1. de Restit. spoliat. in 6.*

(7) *Glossa in cap. ult. de Ordin. cognit.*

Tom. III.

Q

(8) Confer Glossam in *Can. 1. c. 3. q. 8. verb. Judicem*, & in *c. 4. de Jud. verb. Non tenet*.

§. IV. Cui jus agendi, ei reconveniendi jus est; quoniam reconvenire est agere, ideoque inutiliter reconvenit excommunicatus, quod inutiliter agit (1). Coram arbitris reconventio fieri non potest, quoniam eorum tantum est iis de rebus judicare, quæ commissi lege continentur (2).

(1) *Cap. 5. de Except.*

(2) *Cap. 6. de Arbitris.*

§. V. Duo parit mutua petitio, seu reconventio; primum est, ut jurisdictio prorogetur, adeo ut qui coram iudice reconvenit, eundem amplius recusare non possit (1); alterum, ut res utraque, actio scilicet, & reconventio simul uno, eodemque iudicio cognoscantur (2). Sed ut hæc duo efficiat mutua petitio, initio ipso litis proponenda est, antequam litigantes ad alios iudiciales actus progrediantur (3). Nam si reconventio fiat in progressu, aut in exitu litis, prorogabit quidem jurisdictionem (4), sed non etiam efficiet, ut reconventio una cum actione eodem iudicio absolvatur.

(1) *Cap. 1. de Mutuis petit.* Confer quæ dixi §. 2. not. 3.

(2) *Cap. 1. cit.*

(3) Reum statim mutuo agere debere, scriptum est in *Auth. & consequenter Cod. de Sent. & interloq.*, & in *Clem. 2. §. 1. de Verb. signific. dicitur in ipso litis exordio*. Neque aliud suadet *cap. 3. §. 1. de Rescript. in 6.*, ubi verba eodem durante iudicio ita sunt intelligenda, ut apud eundem iudicem reconventio fieri debeat, non autem ad reconventionis tempus referenda sunt.

(4) *Cap. 3. de Rescript. in 6.*

TITULUS XIII.

De dilationibus.

I. Dilatio quid?

II. Dilationum distinctio.

III. Quando ex dentur?

IV. Omnes iudicii partes suas habent dilationes.

V. Quomodo dandæ sint?

§. I.

Nihil in foro, & iudiciis usitatus est dilationibus. Nam eas sæpe reus ad parandas exceptiones, sæpe etiam actor ad probationes confirmandas à iudice petit; idque non initio solum, sed etiam in progressu litis. Dilationem vocamus justum aliquod temporis intervallum, quod litigantibus conceditur ad actum aliquem iudiciale commodius expediendum.

§. II. Dilationes vel à lege dantur (1), vel mutua litigantium voluntate constituuntur, vel à iudice conceduntur. Sed Jus Canonicum tribuendarum dilationum omne fere arbitrium iudici commisit (2). Quod non ita intelligendum est, quasi iudici integrum sit, quas velit, dilationes concedere suo arbitratu. Nam ut dilationes concedantur, justa causa opus est, eaque rite demonstrata, denegari non possunt. Hinc si nimis breves datæ sint dilationes, quæ pares non sint rei præsertim gravi, & implicatæ, justa est appellandi causa (3).

(1) De his agitur in titulo Codicis de *Dilationibus*.

(2) *Cap. 24. de Offic. & potest. deleg.*

(3) *Cap. 1. & 4. de Dilation.*

§. III. Dantur dilationes ad inducendos testes (1), ad exceptiones peremptorias proponendas (2), ad proferenda instrumenta, ad se purgandum (3), ad accusandum, & agendum (4), ad cursum appellationis prosequendum (5).

(1) *Cap. 9. de Probat.*

(2) *Can. 1. & 3. c. 3. q. 3.*

(3) *Cap. 33. de Testib. & attestat.*

(4) *Cap. 14. de Accusat.*

(5) *Cap. 13. de Offic. iudic. ordin.*

§. IV. Quemadmodum in iudicio sunt partes tres, ita singulæ suas habent dilationes. Hinc triplex earum genus distinguitur. Nam aliæ dantur in prima litis parte, videlicet à citatione usque ad litis con-

testationem, & hæc vel citatoria, vel deliberatoria vocantur. Citatoria dantur ad comparandum, dilatoria ad deliberandum, num ille, qui in iudicium vocatus est, litem suscipere debeat. Quædam autem conceduntur à litis contestatione usque ad sententiam, quæ probatoria dicuntur, quia dantur ad parandas, afferendasque probationes. Denique in tertia litis parte dilationes conceduntur ad audiendam sententiam, vel mandatum exequendum, quæ definitoria nuncupantur.

§. V. Dilationum tempore iudicis officium conquiescit. Et quia arbitrarias tribuere dilationes, actus est judicialis, idcirco concedendæ sunt à iudice pro tribunali sedente, causaque cognita (1). In dilationibus, quæ à jure dantur, nulla causæ cognitione opus est.

(1) *Can. ult. c. 3. q. 3.*

TITULUS XIV.

De Sententia, & Re Judicata.

- | | |
|--|--|
| I. Sententia quid? | XIII. In quibus causis in rem judicatum nunquam transeat? |
| II. Ea vel definitiva, vel interlocutoria. | XIV. Rei judicatae executio. |
| III. Utriusque discrimen. | XV. Quis rem judicatum exequitur? |
| IV. Sententia à competente iudice, | XVI. Quibus in rebus, & quo ordine executio fiat? |
| V. Et pro tribunali sedente. | XVII. Executio in bonis mobilibus, & immobilibus. |
| VI. Et in scripto ferenda est. | XVIII. Auctio, & distractio pignorum. |
| VII. An à iudice recitanda? | XIX. Debitor quando in carcerem detrudendus? |
| VIII. Quo idiomate concepta esse debeat? | XX. Cessio bonorum. |
| IX. An noctu ferri possit? | XXI. Quemadmodum ea fiat, & in quo differat à justitia quinquenii? |
| X. Juri, actisque, & probatis congruens, certa que esse debet. | XXII. Beneficium competentia. |
| XI. Condemnatio in expensas, & fructuum restitutio. | |
| XII. Sententia quando transeat in rem judicatum? | |

Judiciaria disceptatione absoluta, oritur *conclusio in causa* (1), & à iudice ferenda sententia est. Definitur sententia iudicis pronuntiatio super re à litigantibus proposita condemnationem, vel absolutionem continens, & controversiam definiens (2). Justiniani legibus cautum erat, ut iudex sententiam non ferret, nisi primum juratus declarasset, se procul habuisse studia partium, atque una ante oculos habita justitia, & veritate, causam judicasse (3). Sed hodie hoc iuramentum emittunt iudices, cum munus iudicandi suscipiunt.

(1) Formula hæc à Decretalibus Pontificiis in forum civile defluxit *c. 5. §. 3. de caus. possess. et prop., c. 9. de Fid. instrum.*

(2) *L. 1. ff. de Re judic.* Multa de hac sententiæ definitione habes à Cujacio in *Cod. tit. de Senten. et interloq. opp. t. 9. col. 996. ed. cit. recte*, & sapienter animadversa, ubi etiam multæ sunt leges, quæ ad hunc locum pertinent, diligenter explicatæ. Vide etiam Donellum in *L. 1. ff. de Re judic. opp. t. 11. col. 117. et seq. ed. cit.*, qui de illa Modestini definitione in *dist. L. 1. accurate disputat*, & Philippum Vicatum *Vocabul. jur. verb. Sententia.*

(3) *L. 12. Cod. de Judic.*

§. II. Sententia vel est interlocutoria, vel definitiva (1). Interlocutoria est, quæ non dirimit controversiam, de qua præcipue quæritur, neque super ea fertur, sed super quæstione inter iudicii cursum incidente (2). Interlocutoria dicitur, quia iudex, dum de primaria causa quæritur, interea loquitur, neque definitive pronuntiat, sed ea tantum dicit, quæ ad causam promovendam pertinent, ut iudicium ad propositum finem perducatur (3). Definitiva autem est, quæ totum negotium definit, planeque dirimit controversiam.

(1) Jus civile sententiæ nomine proprie definitivam intelligebat, mandata, jussa, aliaque decreta, quæ parabant quidem ad præcipuam causam definiendam viam, non tamen eam definebant, interlocutiones dicebantur, nec vim habebant sententiæ neque in rem judicatum transibant *L. 17. & 9. C. Ex quib.*

testationem, & hæc vel citatoria, vel deliberatoria vocantur. Citatoria dantur ad comparandum, dilatoria ad deliberandum, num ille, qui in iudicium vocatus est, litem suscipere debeat. Quædam autem conceduntur à litis contestatione usque ad sententiam, quæ probatoria dicuntur, quia dantur ad parandas, afferendasque probationes. Denique in tertia litis parte dilationes conceduntur ad audiendam sententiam, vel mandatum exequendum, quæ definitoria nuncupantur.

§. V. Dilationum tempore iudicis officium conquiescit. Et quia arbitrarias tribuere dilationes, actus est judicialis, idcirco concedendæ sunt à iudice pro tribunali sedente, causaque cognita (1). In dilationibus, quæ à jure dantur, nulla causæ cognitione opus est.

(1) *Can. ult. c. 3. q. 3.*

TITULUS XIV.

De Sententia, & Re Judicata.

- | | |
|--|--|
| I. Sententia quid? | XIII. In quibus causis in rem judicatam nunquam transeat? |
| II. Ea vel definitiva, vel interlocutoria. | XIV. Rei judicatæ executio. |
| III. Utriusque discrimen. | XV. Quis rem judicatam exequitur? |
| IV. Sententia à competente iudice, | XVI. Quibus in rebus, & quo ordine executio fiat? |
| V. Et pro tribunali sedente. | XVII. Executio in bonis mobilibus, & immobilibus. |
| VI. Et in scripto ferenda est. | XVIII. Auctio, & distractio pignorum. |
| VII. An à iudice recitanda? | XIX. Debitor quando in carcerem detrudendus? |
| VIII. Quo idiomate concepta esse debeat? | XX. Cessio bonorum. |
| IX. An noctu ferri possit? | XXI. Quemadmodum ea fiat, & in quo differat à justitia quinquenii? |
| X. Juri, actisque, & probatis congruens, certa que esse debet. | XXII. Beneficium competentia. |
| XI. Condemnatio in expensas, & fructuum restitutio. | |
| XII. Sententia quando transeat in rem judicatam? | |

§. I.

Judiciaria disceptatione absoluta, oritur *conclusio in causa* (1), & à iudice ferenda sententia est. Definitur sententia iudicis pronuntiatio super re à litigantibus proposita condemnationem, vel absolutionem continens, & controversiam definiens (2). Justiniani legibus cautum erat, ut iudex sententiam non ferret, nisi primum juratus declarasset, se procul habuisse studia partium, atque una ante oculos habita justitia, & veritate, causam judicasse (3). Sed hodie hoc iuramentum emittunt iudices, cum munus iudicandi suscipiunt.

(1) Formula hæc à Decretalibus Pontificiis in forum civile defluxit *c. 5. §. 3. de caus. possess. et prop., c. 9. de Fid. instrum.*

(2) *L. 1. ff. de Re judic.* Multa de hac sententiæ definitione habes à Cujacio in *Cod. tit. de Senten. et interloq. opp. t. 9. col. 996. ed. cit. recte*, & sapienter animadversa, ubi etiam multæ sunt leges, quæ ad hunc locum pertinent, diligenter explicatæ. Vide etiam Donellum in *L. 1. ff. de Re judic. opp. t. 11. col. 117. et seq. ed. cit.*, qui de illa Modestini definitione in *dist. L. 1. accurate disputat*, & Philippum Vicatum *Vocabul. jur. verb. Sententia.*

(3) *L. 12. Cod. de Judic.*

§. II. Sententia vel est interlocutoria, vel definitiva (1). Interlocutoria est, quæ non dirimit controversiam, de qua præcipue quæritur, neque super ea fertur, sed super quæstione inter iudicii cursum incidente (2). Interlocutoria dicitur, quia iudex, dum de primaria causa quæritur, interea loquitur, neque definitive pronuntiat, sed ea tantum dicit, quæ ad causam promovendam pertinent, ut iudicium ad propositum finem perducatur (3). Definitiva autem est, quæ totum negotium definit, planeque dirimit controversiam.

(1) Jus civile sententiæ nomine proprie definitivam intelligebat, mandata, jussa, aliaque decreta, quæ parabant quidem ad præcipuam causam definiendam viam, non tamen eam definebant, interlocutiones dicebantur, nec vim habebant sententiæ neque in rem judicatam transibant *L. 17. & 9. C. Ex quib.*

caus. infam. tot. tit. cod. de Senten. & interloq. l. 2. ff. de Appellat. recip. Sed Jus canonicum promiscue hoc vocabulum usurpat, quod etiam in praxi receptum est, unde nata est vulgata distinctio inter sententiam interloquutoriam, & definitivam.

(2) Vox hæc *interloquutio* juris auctoribus usitata est, eaque pluries in civilis, & canonici juris libris occurrit. Verum antiquiores *interloquutionem* vocarunt *prejudicium*; quoniam *interloquutorium* vix latine dici, & eleganter posse, Vossius de Vit. Serm. l. 3. c. 16. monet.

(3) Consule Donellum in tit. ff. de judic. & de Effect. sentent. & de Interloq. opp. t. 11. col. 115. et 116. ed. cit.

§. III. Magnum inter utramque sententiam discrimen est. Nam interloquutoria sententia ab eodem iudice revocari potest (1), definitiva non potest (2), hæc in scriptis ferri debet, illa non scribitur; à definitiva appellatur, ab interloquutoria appellare non licet, nisi vim habeat definitivæ, aut magnum inferat detrimentum, quod alio modo removeri non possit (3).

(1) L. 14. ff. de Re judic., c. 60. de Appellat.

(2) L. 9. cod. de senten. & interloq., l. 55. ff. de Re judic.

(3) Jus civile ab interloquutoria appellationem negat l. 16. cod. de Judic., l. 36. c. de Appellat., quam legem restituit Cojacijs Observ. l. 12. c. 3. opp. t. 3. col. 306. ed. Ven. 1758. Confer etiam l. 3. c. Theod. Quar. appell., & l. 65. c. Theod. de Appellat. Erant tamen etiam apud Romanos interloquutiones vel *simplices*, quæ directo præcipuam causam non attingebant, sed quibus Iudex vetabat, vel jubebat ea, quæ ad ordinem in iudicio servandum pertinebant l. 14. ff. de Re judic., vel *vim sententiæ* habentes, quibus iudex rem aliquam incidentem designabat, quæ tamen præcipuam causam respiciebat, parabatque simul ad eam definiendam viam, qualis etiam sententiæ nomine comprehendebatur l. 39. ff. de Minor. ubi hæc quæstio proponitur. Minores intra quadriennium in integrum restitutionem petierant. Dubitabatur, utrum minores essent, cum gestum est negotium, & ita ætatem demonstrare oportebat. Lata est pro ætate sententia, quæ quamvis interloquutoria esset, vim tamen definitivæ habebat, cum causa cognita rem incidentem definiret, ex qua iudicium præcipuæ causæ pendebat, num danda esset restitutio? Ab hac sententia emissa, & accepta appellatio est. Concedit etiam Jus civile appellationem ab interloquutoria, quæ insigne damnum affert, quod alio modo removeri non

potest l. 2. c. Si penden. appellat. l. 2. ff. de Appell. recip. l. 18. c. Theod. Quar. appell. non recip. Jus Canonicum à quavis interloquutoria, & à quovis gravamine appellationem permittebat c. 11. et 12. de Appellat. et c. 1. eod. in 6. Sed Concilium Tridentinum sess. 13. c. 1. et sess. 24. c. 20. de Reform. jus hoc antiquavit, neque ab interloquutoria appellationem permisit, nisi ea vim habeat definitivæ, aut grave inferat detrimentum, quod alio modo tolli, avertique nequeat. Quæ etiam Juris civilis disciplina est.

§. IV. Ut definitiva sententia vim habeat, plura desiderat. Principio à competente iudice, qui in litigantes, aut saltem in reum jurisdictionem habeat (1), eoque pro tribunali sedente, ac juris ordine servato (2) ferenda est. Tribunal erat locus sublimis, & editus, fere ad instar hemicycli introrsum curvatus, ad quem per gradus ascendebatur, & in quo magistratus jus redebat (3); ideo legum auctores sæpe magistratum designant iis verbis, *qui tribunali præest, qui pro tribunali cognoscit* (4). Cui loco à Latinis opponitur *locus planus* (5); unde *de plano cognoscere*, videlicet ex æquo loco cognoscere, non ex superiore, neque pro tribunali, sed in via, in transitu, cum vel lavandi, vel gestandi, vel ludorum gratia magistratus prodierit (6).

(1) Cap. 4. de Judic. c. 3. de consuet.

(2) Cap. 19. de senten. et re jud. c. 1. seq. Ut lit. non contest.

(3) Vitruvius Architect. l. 5. c. 1. p. 168. ed. Galiani Neap. 1758. Item tribunal, inquit, ut in ea æde, hemicycli schematis, minore curvatura formatum. Ejus autem hemicycli in fronte est intervallum pedum XLVI. introrsus curvatura pedum XV, uti eos, qui apud magistratus starent, negotiantes in basilica, ne impedirent. Extrema hujus curvaturæ latera à Tacito Annual. l. 1. c. 75. t. 1. p. 132. ed. Amstelæd. 1673. cornua appellantur. Prætor ex hoc tribunali in sella curuli jus redebat. quo spectat Martialis Epigr. 98. l. 11. vers. 17. et 18. p. 655. ed. Lugd. Batav. 1670. Atque adeo proprium erat tribunal majorum Magistratum Romanorum, ut eo uti non possent Magistratus Municipiorum, quin etiam minores Magistratus Romanorum, veluti Tribuni plebis, & triumviri, qui tantum in subsellis jus dicere solebant. Hinc & municipales Magistratus peda-

neī iudices à Paulo vocantur l. 38. §. Quise ff. de Pen.

(4) L. 2. §. pen. ff. de Judic., l. 2. ff. de Re judic. Cujus jurisdictio non est, ejus nullum est tribunal. Consule Polletum *Hist. for. Roman.* l. 1. c. 6., & Brissonium de Verb. significat. verb. Tribunal.

(5) Paulus *Recept. senten.* l. 5. c. 16. §. 14. apud Schultingium *Jurisprud. vet. ante-justinian.* p. 495. ed. Lipsiæ 1637. "Custodiæ, inquit, non solum pro tribunali, sed & de plano au-
diri possunt, atque damnari." Locum planum locum æquum appellat Cicero, & eum loco superiori, hoc est tribunali opponit *Ep. ad familiar.* l. 3. *Ep.* 8. *opp. t.* 7. p. 79. ed. Oliveti Genevæ 1746. Confer Gerardum Noodium de *Jurisdict. et imper.* l. 1. c. 10. Hinc edictalis formula, quo edicta proponi jubebantur *apud forum palam, unde de plano recte legi possint.* Ita enim illam in tabula ænea Bibliothecæ Regiæ reperit Cujacius *Ob-serv.* l. 7. c. 30. *opp. t.* 3. col. 170. ed. cit.

(6) L. 7. ff. de Manum. vind., l. 1. ff. de constit. Prin-cip., l. 9. §. de Plano ff. de Offic. Procons., l. 6. ff. de Ac-cusat. §. Servi vero Inst. de Libertin. Et hujusmodi quidem est planaria cognitio, cujus occurrit mentio in l. 4. cod. de Dilat., licet in vulgatis editionibus mendose prorsus legatur plenaria. Qui de plano postulabant Magistratum per libellum adhibant, & Præ-tor per subscriptionem postulanti respondebat l. 15. ff. de In jus vocan., l. 29. ff. ad l. Cornet. de Fals. Veram quæ decretum, causæque cognitionem requirebant, non per libellum, ac tantum pro tribunali expediri poterant l. 9. §. Ubi decretum ff. de Offic. Pro-cons., l. 1. §. Suspecti ff. ad C. Turpil. Ne quis tamen putet, Romanis idem fuisse de plano, et summam cognoscere, animad-vertendum est, multa fuisse, quæ summam, sed tamen pro tri-bunali expedire oportebat. Ita decretalis honorum possessio ex Car-toniano edicto, vel ejus exemplo data summaria erat l. 3. de Car-tonian. edict., & tamen alibi, quam pro tribunali dari non po-terat l. 3. ff. de Bon. posses., l. 2. ff. Quis ordo in bon. posses. serv.

§. V. Sedere iudicem leges jubent, cum profert sententiam (1), sive ut suam ostendat auctoritatem, si-ve quod mens æcrius intendit, quo magis corpus quies-cit (2). Sed nusquam Jure civili cautum est, ut sen-tentia à non sedente iudice pro lata irrita habeatur; id à solo Jure Canonico constitutum est (3). In judi-ciiis sumariis nulla est sedendi necessitas (4). Sedere ve-ro debet iudex sententiam dicturus publice, non in secreto adeout, nulla sit vis sententiæ, si in secreto dicatur (5).

(1) L. 6. §. ult. cod. de Postulanda, Novel. 71. c. 1. Hinc ses-siones iudicum, quarum mentio est in l. 2. §. 1. ff. Quis ord. in possess. Consule Polletum l. c. lib. 1. c. 5.

(2) Hinc Tranio apud Plautum in *Mostell. act.* 5. sc. 1. vers. 54. t. 1. p. 551. ed. Lugd. Batav. 1669.

Nimio plus sapio sedens.

(3) Cap. 5. de Senten. et Re judic. in 6.

(4) Clement. 2. de Verb. signific.

(5) L. 6. cod. de Senten. et interloq.

§. VI. Deinde vero sententia ferenda est in scrip-to, & quæ sine scripto lata est, ne nomen quidem sen-tentiæ meretur (1). Nam sæpe verba ori pronunciata menti illudunt, non item ea, quæ litteris consignata sunt; periculosum est autem in proferenda sententia judi-cem labi, quoniam sententiam semel latam mutare, aut emendare non potest. Hinc iudex diligenti primum de negotio deliberatione, & consultatione habita sen-tentiam concipit, conceptamque in libellum, sive bre-vem chartam referre debet (2). Sed in causis brevioribus, & maxime vilium personarum necessaria non est scriptura (3), quæ etiam omittitur in interloqu-itionibus, quas iudici ore proferre licet, inde vero nota-rius scripto mandat.

(1) L. 3. cod. de Senten. ex peric. recit., can. 7. caus. 2. qu. 1. c. 5. de Senten. et re judic. in 6.

(2) L. 2. cod. de Senten. ex peric. recit.

(3) Auth. nisi breves cod. eod., ubi etiam scripturæ necessitate solvitur sententia Episcopi, qui inter suos subditos causas cognos-cit, quod retulit Gratianus in decretum suum can. 45. c. 11. qu. 1. Quod autem de Episcopo, idem etiam de capitulo sede vacante sancitum est in c. 43. de testib. Sed hodie etiam Episcopi inter suos subditos judicantis sententia in scripto fe-renda est. Cujacius ad c. 43. de Testib. opp. t. 6. col. 853. ed. cit. ideo tum Episcopo, tum vacante sede Ca-pitulo definitivam sententiam ex non scripto ferre licere arbitra-tur, quot sint illustres iudices, qui ejus solemnitate necessitate soluti sunt in l. 2. cod. de senten. ex peric. recit. Verum in ea

Tom. III.

R

lege id tantum illustribus iudicibus datur, ut "etiam per officium; satim, & eos, qui ministerium suum eis accomodant, sententias definitivas recitent" ex tabella cum alii debeant eas suo ipsi ore "scriptas ex libello partibus legere;" quod generatim Canonico quoque jure de Episcopo constitutum est "propter dignitatis prerogativam," ut inquit Bonifacius VIII. in *cit. c. 5. de sentent. & re jud. in 6.* Ego id jure singulari de Episcopo sancitum arbitror, ut cum causam cognosceret inter clericos, scripturae solemnitate servare non cogeretur. Simile jus singulare de Praefecto Praetorio, qui *verbo sententiam dicebat*, constitutum fuisse, scribit Cassiodorus *Var. l. 6. n. 3. seu Formul. Praefect. Praet. p. 97. ed. Rotomag. 1679.* sed ceteri illustres iudices, de quibus simile jus editum non fuerat, definitivas sententias scripto mandare debebant, neque certe *laudata lex 2.* eos hac necessitate solvit.

§. VII. Collata in libellum sententia ab ipso iudice recitanda est, & vero praesentibus, aut saltem in eam rem vocatis litigantibus (1). Tantum Praefectis Praetorio, ceterisque illustribus magistratibus Juri Civili concessum est, ut per ministros suos sententias ex tabella recitent (2); & exemplo illustrium magistratum Bonifacius VIII sancivit, ut etiam Episcopi sententias suas per alios proferant (3). Sed jam ubique receptum est, ut iudicum sententiae per alios recitentur (4); imo apud nos à nemine sententia legitur, sed eam *latam & publicatam* notarius peculiari libro scribit, eaque tunc incipit vim suam exserere.

(1) *L. 2. cod. de Senten. ex peric. recitan. c. ult. de Senten. & Re jud. in 6.* Sententiam ex tabella, seu ex scripto pronuntiare in jure civili dicitur *ex periculo recitare*; unde titulus Codicis *de Sententiis ex periculo recitandis*. Extat hic idem titulus in Codice Theodosiano *l. 4. tit. 17.* De illo autem verbo *periculi*, ex quo sententiae recitantur, multae sunt, interque se discrepantes doctorum hominum opiniones. Plures sunt, qui utrumque locum in Codice Theodosiano, & Justiniano corruptum putant, ac legendum contendunt *de Sententiis ex breviculo recitandis*, atque ita sentiunt Alciatus *Dispanct. 20.* Perrenon. *Animadvers. 2. 17.*, Ferrandus *Adduensis Expl. l. 2.* apud Everardum Ottonem *Thes. jur. civ. tit. 2. p. 575.*, aliique, atque haec etiam lectio probabilis videtur Donello *de Jur. civil. l. 28. c. 3. n. 10. opp. t. 6. col. 403. cit. ed. Lucæ.* Sed vera lectio est *ex periculo*, quam solide tuentur Sit-

mondus *Antirreth. 2. c. 11.*, Desiderius Heraldus *Observ. c. 50. et Animadvers. ad jus Attic. 2. 7. 4.*, Grotius in *Flor. spars. ad cod. Justinian. 7. 34.*, Cujacius *Observ. l. 5. c. 25. opp. t. 3. col. 121. et in cod. de Senten. ex peric. recitan. t. 9. col. 995. ed. cit.* De hujus autem vocabuli interpretatione magnum est sententiarum divortium. Mitto quorundam explanationes plane ridiculas, & mitto illos, qui *recitare ex periculo* interpretantur *recitare ex memoria*, cum revera sit *recitare ex scripto*, uti titulum illum in utroque codice legenti facile patebit. Fere inter omnes constat, *periculum* esse libellum ex quo sententia recitatur; sed male hujus nominis causam reddunt, quia scilicet ex sententia semper aliquis periculum subeat, aut reus, aut iudex si male judicavit, quae etiam Cujacii sententia est. Ego assentior Jacobo Gothofredo in *l. 2. cod. Theod. de Senten. ex peric. recitan. t. 1. p. 435. ed. Lipsiae cit.*, qui *periculum* interpretatur experimentum, & tentamen, quemadmodum *periculum facere* nihil est aliud, quam rem antea tentare, ne quid per errorem fiat. Est igitur *periculum* tabella, seu libellus, in quo iudex scribit quod sentit, ac sedulo legens, atque relegendus, quae scripto mandavit, cuncta emendat, quae emendanda putat, ut in hisce scripturis fieri solet, denique conficit sententiam, quam recitare debet. Uno verbo quod à nobis *minuta*, id in Codicibus Theodosiano, & Justiniano *periculum* appellatur.

- (2) *L. 2. cod. de Senten. ex peric. recitan.*
 (3) *Cap. ult. de Senten. et re jud. in 6.*
 (4) *Consule Gudelinum de Jur. novis. l. 4. c. 12.*

§. VIII. Quod attinet ad idioma, quo sententiam concipere oportet, id jure Romano tantum Latinum erat, quod in ferendis sententiis, atque in publicis actibus adhibebatur (1). Quod quidem jus non in urbe solum, sed etiam in provinciis; licet alio sermone uteretur populus, obtinuisse videtur (2). Sed Arcadii, & Honorii lege sancitum est, ut magistratus provinciarum tam latina, quam graeca lingua sententias proferre possint (3). Ecclesia semper usa videtur graeco, aut latino sermone, qualem videlicet populi usus postulabat; quin etiam posteaquam sermo latinus popularis esse desiit, eum in dicendis sententiis Occidentalis Ecclesia retinuit. Nunc etiam forum saeculare multis in locis latina lingua, barbara tamen, & incondita utitur.

- (1) *L. 48. ff. de Re judic.*
 (2) *S. Augustinus de Civit. Dei l. 19. c. 7. opp. t. 7. col. 551. cit. ed. Ven.*

(3) *L. 12. cod. de Sentent. et interloq.* Quam legem quidam pugnare existimant cum *dict. l. 48.*, sed revera nulla inter utramque pugna est.

§. IX. Noctu quoque judicia exerceri, aut sententias ferri vetant leges Romanorum (1), quod jus profuit à legibus XII. Tabularum (2). Nam quidquid iudex agit, non in tenebris, sed palam, atque in omnium luce agere debet. A Jure Civili Canonicum non ablu- dit (3); sed tamen exempla non desunt iudiciorum, quæ noctu gesta vim, & exitum habuerunt (4). Certo etiam in loco, in quo jus dici solet, sententia ferenda est (5); sed his in rebus spectare decet locorum consuetudinem; & jam plerisque in locis subtiliores hæ solemnitates fori usu sublatae sunt.

(1) *L. 1. §. 8. ff. Quand. appell.*, *Novel. 82. c. 3.* Consule Perrum Fabrum *Semestr. l. 2. c. 9.*

(2) A. Gellius *Noct. Artic. l. 17. c. 2. p. 923. ed. Lugd. Batav. 1666.*, Seneca *de Ira l. 3. c. 18. et 19. p. 124. et 126. ed. Amstelæd. 1672.* Confer Rævardum *ad ll. 12. Tabul. c. 7. p. 14. ed. Neap. 1779.*, & Scipionem Gentilem *de Jurisdic. l. 2. c. 29. opp. t. 3. p. 221. ed. Neap. 1764.*

(3) *Cap. 24. de Offic. et potest. deleg.*

(4) Svetonius *in Augusto c. 33. p. 233. t. 1. ed. Pitisci Leonardie 1714.* Arcopagitas noctu iudicasse constat, & multa sunt exempla iudiciorum noctu gestorum aut ex consensu litigantium, aut ex locorum consuetudine.

(5) *L. penult. ff. de Just. et jur.*, *l. 6. cod. de Senten. et interloq.*, ibique Glossa.

§. X. Porro sententia debet esse cum Jure consentiens, actisque, & probatis congruens (1), ut si juri expresso repugnet, nulla sit (2); si vero litigantis juri adversetur, valet quidem, etsi iniqua sit, sed per appellationem suspenditur, novoque iudicio revocatur (3). Debet etiam esse certa, & quæ definite absolvat, aut condemnet; quamquam necesse non sit in ea decidendi rationes enarrare, nisi id gravis causa postulet (4); postremo controversiam per omnes ejus partes expedire debet. Hinc non tantum super præcipuo negotio ferenda est, sed etiam super iis, quæ negotio accedunt,

cum eoque sunt connexa, & conjuncta, uti sunt expensæ litis, & fructus percepti; dedecet enim, absoluto iudicio, litem alteram ex prima litis materia exoriri (5).

(1) Si aliud ex actis constet, & aliud iudici ex privata conscientia exploratum sit, multi putant, iudicem non secundum acta, & probata, sed secundum conscientiam judicare oportere. Verum hæc sententia longiorem faciet iudicii cursum, & graviori sumptu utrumque litigantem afficiet, neutri tamen proderit. Nemo enim iudici extra acta credere cogitur, illaque statim novo iudicio secundum acta revocabitur. Tutius esset iudicem sese prorsus ab eo iudicio abstinere, causamque deferre ad iudicem superiorem, vel de componendo negotio laborare. Quod si nihil horum ficere iudex possit, & omnino sententiam ferre cogatur, cum "non secundum, id, quod ipse novit tamquam privata persona, sed secundum id, quod sibi innotescit tamquam personæ publicæ," hoc est secundum acta, & probata judicare debere tradit S. Thomas 2. 2. *qu. 67. art. 2.* Ex iis tamen, quæ iudex privatim novit, "adjuvari potest, pergit, ipse Thomas, ut districtius discutiat probationes inductas, ut possit earum defectum investigare. Quod si eas non possit de jure repellere, debet eas in iudicando sequi." Late ea de re disputat Covarruvias *Var. resol. l. 1. c. 1.*

(2) *L. 19. ff. de Appellat.*, *c. 1. de Senten. et re jud.*, *c. 64. de Regul. jur. in 6.*

(3) *L. 2. cod. Quand. provoc. non est neces.*, *c. 5. et 6. de In integr. restit.*, *c. 13. et 21. de Senten. et re jud.*

(4) *Cap. 16. et 18. de Senten. et re jud.*

(5) *L. 3. cod. de Fructib. et lit. expens.*

§. XI. Et quia litem injuste videtur instituisse, qui causa cecidit, ubique victus in expensas victori condemnatur (1); præsertim si constet, eum temere, ac per calumniam litem intulisse (2). Fructus vero, quos victus cogitur restituere, ii præcipue sunt, qui post litem contestatam fuere percepti, aut saltem percipi potuissent, quoniam, re in iudicium deducta, statim in possessore mala fides oritur (3). Quin etiam si quis ante litem contestatam in dolo, malave fide versatus est, etiam fructus antea perceptos restituere debet.

(1) *L. 5. cod. de Fructib. et lit. expens.*

(2) Confer Donellum *de Jur. l. 16. c. 3. n. 6. et seq. t. 6. col. 309. et seq. ed. cit.*

(3) *L. 2. cod. eod.*

§. XII. Lata, & publicata sententia, nisi ab ea intra decem dies appellatum fuerit, vim acquirit rei judicatae (1), quæ finem controversiarum pronuntiatione judicis accipit (2). Nam qui intra legitimum tempus non provocavit, cum provocare posset, is in sententiam consensisse videtur. Proprie res judicata, non sententia, controversiæ finem imponit, quoniam hæc non ita rem expedit, ut totum negotium plane finitum habeatur. Res judicata actionem, & exceptionem parit (3); jus facit inter litigantes, quin & tertium obligat, si ex ejus consensu lis acta sit, aut is causam ab alterutra parte habeat (4), veritatis habetur loco (5); & quamquam postea nova prodierint monumenta, tamen lis per rem judicatam extincta, nonnisi ope restitutionis in integrum, redintegrari potest (6).

(1) *Cap. 13. & 15. de Sentent. & re jud.*

(2) *L. 1. ff. de Re jud.*

(3) *Cap. 13. de Sentent. & re jud.*

(4) *Cap. 25. cod., c. 25. in fin. de Præben.*

(5) *L. 25. ff. de Stat. homin. Eleganter Cicero pro Sylla n. 22. t. 5. p. 383. ed. Genev. 1744. Status, inquit, reipublicæ maxime judicatis rebus continetur.*

(6) *L. 4. cod. de Re jud., c. 21. de Sentent. & re jud.*

§. XIII. Multæ tamen causæ sunt, in quibus sententiæ vim nunquam obtinent rei judicatæ, quamquam appellatum non fuerit, eæque idcirco recte revocantur. Hujusmodi sunt causæ, in quibus agitur de vi matrimonii (1); item sententiæ latæ à judice excommunicato (2), vel incompetente, aut competente quidem, sed contra jus expressum (3), aut contra priorem rem judicatam (4), aut neglecto juris ordine, aut ex falsis instrumentis, & testibus, à quibus judex deceptus est (5), aut quæ legitime publicatæ non sunt (6), aut quæ dicatæ à judice pecunia corrupto (7); denique nunquam transeunt in rem judicatam sententiæ criminales, in quibus rei condemnati sunt, præsertim cum subjecti sunt poenæ, quæ restitutionem admittit (8).

(1) *Cap. 10. & 11. de Sentent. & re jud., c. 5. & 6. de Frigid. & malefic.*

- (2) *Cap. 24. de Sentent. et re judic., c. 13. de Hæret.*
 (3) *L. 1. §. 2. ff. Quæ senten. sine appellat. rescind.*
 (4) *L. 1. cod. Quand. provocat. non est necess.*
 (5) *L. 3. cod. Si ex fals. instrumen., c. 22. de Sentent. et re judic., c. 9. de Testib., c. 6. de Except.*
 (6) *Cap. ult. de Sentent. et re judic. in 6.*
 (7) *L. 7. cod. Quand. provocat. non est necess.*
 (8) *Argum. l. 6. ff. de Appellat. Ceterum sententia nulla esse potest modis compluribus, quos late recenset Blasius Altamarinus de Nullit. senten.*

§. XIV. Rei judicatæ finis est executio, per quam ad exitum, actumque perducitur, quod re judicata definitum, & mandatum est (1). Nam vana, & inanis esset sententia, nisi exitum haberet; qui finis est, quo referri omnem judiciariam disceptationem oportet. Hæc autem executio fit statim in actione reali, si res ipsa, quæ extat, tradi possit; in actione personali dantur induciæ quatuor mensium, qui à die, quo edita, vel si provocatum fuerit, à die, quo confirmata sententia est, numerantur (2). Sed judex præscriptum tempus vel producere, vel contrahere potest, uti rerum ratio postulare videbitur (3). Nunc fori usu, & consuetudine receptum est, ut vel statim post emissam sententiam, vel post aliquot dies, vel etiam post longum tempus arbitrio judicis constitutum expediantur litteræ executoriales; quarum vi apparitores, aliique inferiores ministri sententiam exequantur.

(1) Fit executio post rem judicatam; quoniam judicii initium ab executione sumere non licet *l. 58. ff. de Re jud., l. 1. cod. de Execut. re jud. Ac recte monet Cujacius in cod. tit. de Execut. rei jud. opp. t. 9. col. 1023. ed. cit., esse contra jus, quod profiteretur, illa instrumenta, per quæ debitor non adito iudice, neque edita re judicata in carceres detrudi potest.*

(2) *L. 68. ff. de Rei vind., c. 5. de Sentent. et re jud., c. 26. de Offic. et potest. jud. delegat. Tempus hoc humanitatis gratia, ut ait Papinianus in l. 16. in fin. ff. de Compensat., debitori à lege conceditur, ut tempus habeat conquirendæ pecuniæ, quam adversario persolvat. Et olim quidem ex jure XII. Tabularum tempus illud erat triginta dierum, qui in iisdem tabulis justi dies appellantur, quo eodem vocabulo utitur Cicero de legibus l. 2. §. 9. opp. t. 3. p. 198. ed. Oliveti Genev. 1743. Præter Idææ*

matris, inquit, *famulos, eosque justis diebus, ne quis stipem cogno*; hoc est diebus certis, quibus fas stipem cogere. Illud vero triginta dierum spatium, quod datur, ut iudicatio satisfiat, modicum tempus dicitur in *l. 84. §. In pecunia ff. de leg. 1.*, & in *l. 1. ff. de Itin. actiq.* Itaque ex lege XII. Tabularum recte dici poterat modicum tempus, quo iudicatio satisfaceret; sed immodicum factum est ex constitutione Justiniani, qui illud ad menses quatuor prorogavit.

(3) *L. 2. ff. de Re judic., c. 15. de Sentent. et re judic.*

§. XV. Jamvero sententiam exequitur ipse iudex, qui eam dixit, modo jurisdictionem habeat; quoniam per executionem quis ad parendum sententiæ cogitur, nemo autem aliquem cogere sine jurisdictione potest. Hinc iudex ordinarius, atque iudex à Summo Pontifice, aut à Principe delegatus, quod plenam habent jurisdictionem, sententiam ipsi suam exequuntur (1); eodemque jure potitur iudex, cui à magistratu jurisdictione mandata est (2). Quin delegati à Summo Pontifice, ut facilius sententiam exequantur, acceptam potestatem, & jurisdictionem per annum retinent (3). Verum datus iudex, & arbiter, quorum tantum propria est rei cognitio, sententiam non exequuntur, sed ejus executio pertinet ad magistratum (4), unde jus cognoscendi profectum est.

(1) *Cap. 7. et 11. de Offic. et potest. delegat.*

(2) *L. 5. ff. de Offic. ejus cui mand. est jurisdic.*

(3) *Cap. 7. et 26. de Offic. et potest. delegat.*

(4) *L. 15. ff. de Re jud., c. 4. de For. competen.*

§. XVI. Cum autem fit executio, certus est observandus ordo, quem Jus constituit. Nimirum si res ipsa extat, quæ restitui debet, ea, vi quoque, ubi opus fuerit, adhibita, auferenda est (1); si nulla ea sit, aut propter pecuniæ debitum facienda sit executio, primum capienda sunt bona mobilia, deinde immobilia, postremo, si illa non extent, vel satis non sint, jura, & nomina debitorum, semper tamen pro modo debiti, creditori addicenda sunt (2). Tantum speciali jure cautum est, ut non nisi in subsidium executio fiat in sti-

pendia, arma, & equos militum (3); itemque ut instrumenta ad agriculturam necessaria executioni non subjiciantur (4).

(1) *L. 68. ff. de Rei vind.*

(2) *L. 15. ff. de Re jud.* Sed nunc fori usu receptum est, ut creditor indiscriminatim tum mobilia, tum immobilia capiat debitoris bona, præsertim cum creditum hypothecarium est.

(3) *L. 4. cod. de Execut. rei jud.*

(4) *L. 7. cod. Quæ res pignor. oblig. pos.* Ad similitudinem autem instrumentorum, quæ ad agriculturam sunt necessaria, etiam instrumenta artis, quam quis exercet, executioni non subsunt. Similiter executio non fit in vestes, quibus quis indutus est.

§. XVII. Cum executio pertinet ad bona mobilia, ea perficitur ab apparitoribus, qui se in locum conferunt, ubi sunt bona, quorum partem capiunt, eamque inferunt in locum publicum, ubi servanda est, donec auctione constituta vendatur aut à debitore recuperetur. Quod si bona hæc ad publicum locum deferri commode nequeant, ubi sunt, retinentur; sed clauso, ob-signatoque ostio, & edicto proposito, ne quis ostium effringat, locumque ingrediatur (1). Verum cum executio de bonis immobilibus est, in ea perficienda, præter apparitores, aut nuncium, sive cursorem, etiam notarius adhibetur, qui factæ executionis publicum testimonium perhibet.

(1) A pragmaticis pagina illa superimposita transverso ligno, quæ fores occludit, & quæ cautum est, ne quis eas reseret, *biffa* appellatur.

§. XVIII. Peracta executione pignus distrahitur; nisi quod interim debitor impedimentum inferat, cujus gratia ea pignoris venditio expediri non possit. Pignora autem distrahantur in foro, hasta posita (1); non quidem statim, sed post certum temporis intervallum, quod Jure Civili complectitur duos menses, postquam pignora capta sunt (2). Verum fori mos est, ut decreto judicis, quod rogante creditore emittitur, intra dies decem hastæ subjiciantur, veneantque bona mobilia, at

in bonis immobilibus primum instat creditor, ut hasta ponatur, tum proponuntur edicta, quibus licitatores ad auctionem vocantur; postremo exhibitis, apertisque chirographis auctionariis singulorum, rogatu creditoris, bona intra mensem largiori oblatoi adjudicantur; eoque elapso adhuc debitor habet mensem unum, quo pignus luat, hoc est recuperet bona, pretiumque restituat, quod ab emptore solutum est. Cum nemo ad hastam accessit auctionem facturum, tertio minoris, quam æstimata sunt, bona creditori addicuntur (3).

(1) Hastam hanc *dominam* Juvenalis *Sat. 3. vers. 33. p. 61. ed. Lugdun. Batav. 1664.* vocat, quia scilicet hastæ potestati, & imperio omnia in venditione subjiuntur.

Et præbere caput domina venale sub hasta.

Propertius autem *l. 4. Eleg. 1. vers. 139. p. 570. ed. Patavii 1710.* eandem hastam *tristem perticam* appellat

Abstulit excultas pertica tristis opes.

Confer Brissonium *de Formulis l. 6. c. 59. p. 486. ed. Hale 1731.*, & Heineccium *Antiq. Roman. l. 2. tit. 1. §. 25. & tit. 18. & 19. §. 11. opp. t. 3. p. 242. & 296. ed. Neap. 1769.* Extat etiam *de Fide et jure hastæ fiscalis* egregia dissertatio Cl. V. Januarii Franconi Archiepiscopi Consentini edita Romæ an. 1767.

(2) *L. 1. ff. de Re judic. l. 1. cod. Theod. de Distrahen. pign.* Consule Cujacium *in cod. tit. de Execut. rei judic. opp. t. 9. col. 1023. seq. ed. cit.*, & Donellum *de Jur. civil. l. 23. c. 13. et 14. opp. t. 6. col. 141. et seq. ed. Luca cit.*

(3) Confer quæ scripsi in libro *de Notissimis in jure legibus l. 2. p. 190. ed. Romæ 1766.*

§. XIX. Extremum denique, cum desunt cetera, contra eos, qui rei judicatæ executionem ferre debent, remedium est, ut in carceres detrudantur. Tantum autem custodiæ causa detrusus in carceribus retinetur, donec judicato satisfecerit (1). Mulieres jure novissimo Justiniani propter civile negotium in carceres conjici nequeunt, ut faciant judicato satis (2); eodem jure à Decretalibus donati sunt clerici (3), & huc

etiam spectant certa quibusdam in pluribus locis concessa privilegia, quæ non eadem ubique sunt.

(1) *Lege XII. Tabularum*, sicuti narrat A. Gellius *Noct. attic. l. 20. c. 1. p. 1101. ed. Lugduni Batav. 1666.*, nisi debitor intra triginta dies post editum judicatum creditori satisfacisset, ei in servitutum addicebatur. Jus hoc vel aliis legibus, vel tacito populi consensu abrogatum jam erat, cum Diocletianus, & Maximianus tulerunt *l. 12. cod. de Obligat. et action.*, qua scriptum est: *ob æs alienum servire liberos creditoribus jura compelli non patiuntur.* Quidam sunt, qui hac lege sancitum putant, ut debitores propter pecuniæ debitum in carceres detrudi nequeant, atque hanc eandem esse ajunt Juris Canonici sententiam *in c. 2. de Pignor.* Sed errant vehementer. Nam lex illa Diocletiani, & Maximiani hoc tantum constituit, ut liberi creditoribus servire non cogantur, secundum jus ea ætate receptum, nihil vero habet de conjiciendis in carceres debitoribus. Quin eos, nisi bonorum cessionem emitterent, in carceres esse conjiciendos, edixit Alexander in *l. 1. cod. Qui bon. ceder. poss.* A jure civili nulla in re discrepat Jus Canonicum, quod in *cit. c. 2.* expresse memorat, atque confirmat civilem legem his verbis: "Lex habet, ut homo liber pro debito non teneatur; si res defuerint, quæ possint pro debito addici." Jus hoc expressit S. Gregorius M. *l. 4. Ep. 45. ad Fantin. opp. t. 2. ed. Maurin. Paris. 1705.*, unde forte desumptum est *c. 2.*, licet Gregorio III. vulgo tribuatur.

(2) *Novell. 134. c. 9.*

(3) *Cap. Odoardus de Solut.*

§. XX. Ad effugiendam tamen carceris injuriam, præsto est debitoribus miserabile beneficium inductum à L. Julia, per quam sua omnia bona cedunt creditoribus, ut ea vendant, eorumque pretium obtineant (1); atque ita illi à carceris molestia, & squalore liberantur (2). Quod beneficium iis tantum conceditur, qui propter casus adversos in egestate sunt; non decocoribus, neque iis, qui patrimonium suum cum fraude effuderunt, quique cum creditoribus dolo sunt usi, cum scirent, sese solvendo non esse (3). Hoc autem efficit cessio bonorum, ut debitor in carceres non conjiciatur, sed à debito liber, & solutus non evadit, si cassis bonis satisfieri nequeat creditoribus; & ideo si deinceps alia bona adipiscatur, æs alienum dissolve-

re debet, modo ipse non careat quotidianis alimentis (4).

(1) Bona ipsa à creditoribus retineri non posse, sed ea esse vendenda, ut pretium secundum antiquiorem, & potiorum, quem unusquisque obtinet, locum singulis tribuatur, præter ceteros, docet Voetus ad Pandect. l. 42. tit. 3. n. 8.

(2) L. 4. cod. Qui bon. ceder. poss.

(3) Consule Hilligerum in Donellum ad l. 16. et 17. ff. de Re judic. not. 18. col. 261. t. 11. ed. cit.

(4) L. 6. ff. de cession. bonor.

§. XXI. Cessio bonorum ex Theodosii constitutione sola voluntatis professione, & nuda voce peragitur (1); sed in locis compluribus solemniter impetranda est (2), in eaque emittenda contumeliosi quidam ritus adhibentur (3). Differt à cessione bonorum dilatio, seu justitium quinquennii, quod tantum Principis beneficio, non à jure scripto conceditur. Dat Princeps hanc dilationem, cum plerique creditores consentiunt (4), quique eam impetravit, amplius post quinquennium bona cedere non potest (5). Imo ne quis Principis beneficio abutatur, dilatio non conceditur, nisi quis caveat, sese, exactis quinquennii induciis, creditoribus satisfacturum (6).

(1) L. 6. cod. Qui bon. ceder. poss.

(2) Confer Voetum in Pandect. l. 42. tit. 3. n. 6.

(3) Verum cessionem bonorum infamiam non irrogare, statutum est ab Alexandro Imp. in l. 11. cod. Ex quib. caus. infam. irrog., quod & innuit Justinianus l. ult. cod. Qui bon. ceder. poss. Confer Contium lect. subseciv. l. 2. c. 18. p. 34. ed. Neap. 1725., & Hilligerum ad Donellum in l. 16. et 17. tit. ff. de Re judic. opp. t. 11. not. 22. col. 265. ed. cit.

(4) Major pars creditorum non ex personarum numero, sed ex debiti quantitate æstimatur l. ult. cod. Qui bon. ceder. poss.

(5) Consule Cujacium in cod. l. 7. tit. 71. opp. t. 9. col. 1058. ed. cit.

(6) L. 4. cod. de Precib. Imper. offeren.

§. XXII. Sunt nonnulli, qui bonorum cessione non indigent, ut à carceribus liberentur, quoniam habent

beneficium *competentiæ*, ut vocant, quod in eo positum est, ut id tantum, quod facere possunt, præstare cogantur. Eo beneficio à jure civili donati sunt parentes, patroni, socius, maritus ad dotis restitutionem ab uxore, donator à donatario conventus (1), filii familias in jus vocati pro contractibus gestis, cum in patria potestate essent, si patris hereditatem non obtinuerunt (2). Idem hoc beneficium jure canonico concessum est clericis (3), qui clericalibus induti vestibus incedunt, ac tonsuram gerunt (4).

(1) §. 37. et seq. Inst. de Action.

(2) L. 2. ff. Quod cum eo qui in alien. potest., l. 49. ff. de Re judic., l. 3. §. 4. ff. de Minor. 25. an. Imo & filium, qui ex minima tantum parte patri heres extitit, eodem beneficio frui, scriptum est in cit. l. 2. ff. Quod cum eo qui alien. potest. Quæsitum autem est, quæ sit hæc minima pars, & multi quidem legitimam intelligunt. Sed ego assentior iis, qui hanc partem existimant, quæ minima est, si cum æris alieni mole comparatur.

(3) Cap. Odoardus 3. de Solut.

(4) Consule Fagnanum in cit. cap. 3. de Solut. n. 58., & consule etiam librum meum de Notissimis in juræ legibus l. 2. p. 231. ed. Romæ 1766.

TITULUS XV.

De Appellationibus.

- | | |
|--|---|
| I. Appellatio quid? | piendi apostoli? |
| II. Appellatio ab interloquutione, & à sententia definitiva. | XII. Quo introducenda appellatio ad judicem superiorem? |
| III. & IV. Utriusque discrimina. | XIII. Quod prosequendæ, ac finiendæ appellationis tempus sit? |
| V. Quibus liceat appellare? | XIV. Quid nostris moribus observandum? |
| VI. An appellare oporteat à sententia nulla? | XV. Appellatio in devolutivo. |
| VII. Quæ causæ appellationem rejiciant? | XVI. & XVII. Quibus in causis tantum in devolutivo appellatio detur? |
| VIII. Fatalia tempora appellationis. | XVIII. Nefas appellare ab eo, qui toti reipublicæ cum imperio præest. |
| IX. Quo tempore interponenda sit appellatio? | |
| X. & XI. Quo petendi, & acci- | |

re debet, modo ipse non careat quotidianis alimentis (4).

(1) Bona ipsa à creditoribus retineri non posse, sed ea esse vendenda, ut pretium secundum antiquiorem, & potiorum, quem unusquisque obtinet, locum singulis tribuatur, præter ceteros, docet Voetus ad Pandect. l. 42. tit. 3. n. 8.

(2) L. 4. cod. Qui bon. ceder. poss.

(3) Consule Hilligerum in Donellum ad l. 16. et 17. ff. de Re judic. not. 18. col. 261. t. 11. ed. cit.

(4) L. 6. ff. de cession. bonor.

§. XXI. Cessio bonorum ex Theodosii constitutione sola voluntatis professione, & nuda voce peragitur (1); sed in locis compluribus solemniter impetranda est (2), in eaque emittenda contumeliosi quidam ritus adhibentur (3). Differt à cessione bonorum dilatio, seu justitium quinquennii, quod tantum Principis beneficio, non à jure scripto conceditur. Dat Princeps hanc dilationem, cum plerique creditores consentiunt (4), quique eam impetravit, amplius post quinquennium bona cedere non potest (5). Imo ne quis Principis beneficio abutatur, dilatio non conceditur, nisi quis caveat, sese, exactis quinquennii induciis, creditoribus satisfacturum (6).

(1) L. 6. cod. Qui bon. ceder. poss.

(2) Confer Voetum in Pandect. l. 42. tit. 3. n. 6.

(3) Verum cessionem bonorum infamiam non irrogare, statutum est ab Alexandro Imp. in l. 11. cod. Ex quib. caus. infam. irrog., quod & innuit Justinianus l. ult. cod. Qui bon. ceder. poss. Confer Contium lect. subseciv. l. 2. c. 18. p. 34. ed. Neap. 1725., & Hilligerum ad Donellum in l. 16. et 17. tit. ff. de Re judic. opp. t. 11. not. 22. col. 265. ed. cit.

(4) Major pars creditorum non ex personarum numero, sed ex debiti quantitate æstimatur l. ult. cod. Qui bon. ceder. poss.

(5) Consule Cujacium in cod. l. 7. tit. 71. opp. t. 9. col. 1058. ed. cit.

(6) L. 4. cod. de Precib. Imper. offeren.

§. XXII. Sunt nonnulli, qui bonorum cessione non indigent, ut à carceribus liberentur, quoniam habent

beneficium *competentiæ*, ut vocant, quod in eo positum est, ut id tantum, quod facere possunt, præstare cogantur. Eo beneficio à jure civili donati sunt parentes, patroni, socius, maritus ad dotis restitutionem ab uxore, donator à donatario conventus (1), filii familias in jus vocati pro contractibus gestis, cum in patria potestate essent, si patris hereditatem non obtinuerunt (2). Idem hoc beneficium jure canonico concessum est clericis (3), qui clericalibus induti vestibus incedunt, ac tonsuram gerunt (4).

(1) §. 37. et seq. Inst. de Action.

(2) L. 2. ff. Quod cum eo qui in alien. potest., l. 49. ff. de Re judic., l. 3. §. 4. ff. de Minor. 25. an. Imo & filium, qui ex minima tantum parte patri heres extitit, eodem beneficio frui, scriptum est in cit. l. 2. ff. Quod cum eo qui alien. potest. Quæsitum autem est, quæ sit hæc minima pars, & multi quidem legitimam intelligunt. Sed ego assentior iis, qui hanc partem existimant, quæ minima est, si cum æris alieni mole comparatur.

(3) Cap. Odoardus 3. de Solut.

(4) Consule Fagnanum in cit. cap. 3. de Solut. n. 58., & consule etiam librum meum de Notissimis in juræ legibus l. 2. p. 231. ed. Romæ 1766.

TITULUS XV.

De Appellationibus.

- | | |
|--|---|
| I. Appellatio quid? | piendi apostoli? |
| II. Appellatio ab interloquutione, & à sententia definitiva. | XII. Quo introducenda appellatio ad judicem superiorem? |
| III. & IV. Utriusque discrimina. | XIII. Quod prosequendæ, ac finiendæ appellationis tempus sit? |
| V. Quibus liceat appellare? | XIV. Quid nostris moribus observandum? |
| VI. An appellare oporteat à sententia nulla? | XV. Appellatio in devolutivo. |
| VII. Quæ causæ appellationem rejiciant? | XVI. & XVII. Quibus in causis tantum in devolutivo appellatio detur? |
| VIII. Fatalia tempora appellationis. | XVIII. Nefas appellare ab eo, qui toti reipublicæ cum imperio præest. |
| IX. Quo tempore interponenda sit appellatio? | |
| X. & XI. Quo petendi, & acci- | |

XIX. Jus appellationum hæret in summa potestate.

XX. Summa potestas in Ecclesia penes Romanum Pontificem.

XXI. Christus Ecclesie caput, & Episcopos constituit.

XXII. Metropolitæ, & Patriarchas instituit Ecclesia.

XXIII. Potestas ab Ecclesia data Metropolitæ, & Patriarchis nihil detraxit de potestate à Christo data Summo Pontifici.

XXIV. Jus appellationum, quod ab Ecclesia habent Metropolitæ, & Patriarchæ, nihil detrahit de jure, quod à Christo Summus Pontifex habet.

XXV. & XXVI. Appellatio ad Pontificem omisso medio.

XXVII. Num aliquando expediat ad Pontificem non appellare?

XXVIII. Jus appellationum ad Pontificem in Primatu insitum etiam Ecclesie lege, & consuetudine firmatum.

XXIX. Pontifex omnes appellationes jure Primatus recipit.

XXX. Discrimen inter Orientis, & Occidentis appellationes.

XXXI. Pontifex vel dat iudices in causis appellationum, vel eas ipse cognoscit.

§. I.

Ne sententia transeat in rem judicatam, neve victo spes omnis eripiatur, inventum est remedium appellationis, cujus ope vis editæ sententiæ suspenditur. Est autem appellatio ab inferiore iudice ad superiorem facta provocatio, ut hujus sententia id, quod inique factum est, tollatur, vel emendetur (1). Jure decretalium alia judicialis, & alia extrajudicialis appellatio est (2); illa emittitur adversus actum judiciale, postquam iudicium, citata parte, inchoatum est; hæc adversus quoscumque extrajudiciales actus, sive illatum gravamen, sive inferendum sit, interponitur. Ita contra electiones, postulationes, provisiones (3), & ita etiam si iudex de facto, non causa cognita iudicet, appellatio permittitur. Quæ extra iudicium appellationes fiunt, magis provocaciones ad causam sunt (4).

(1) *L. 7. ff. de Minor. l. 1. ff. de Appellat. c. 15. eod. Licet appellatori, inquit Capitularia Caroli M. l. 7. c. 333. apud Baluzium Capitular. Reg. Franc. t. 1. col. 733. ed. Ven. cit., vitiatam causam appellationis remedio sublevare.* Quoniam appellatio ab inferiori ad superiorem interponenda est, quæri potest, num à iudicis dati sententia appellari possit, qui eum dedit; & num à sententia iudicis, cui mandata est jurisdictio, recte appelletur, qui eam manda-

vit. Sed dantem appellari posse demonstrant Ulpianus in *l. 1. §. Si quis ff. de Appellat.*, & Modestinus in *l. 3. ff. Quis à quo appellet*, mandantem vero non posse, respondit Ulpianus in *l. 1. §. Ab eo. ff. Quis à quo appellet*. Discriminis ratio est, quod qui iudicem dedit, censetur retinuisse, non alienasse jurisdictionem; verum ea se abdicasse videtur, qui jurisdictionem suam alteri mandavit. Ea de causa à iudicio vicarii generalis Episcopus appellari non potest; quoniam illi omnis ab hoc mandata est jurisdictio, & utriusque tribunal unum, idemque est. Consule Cornelium Binkershoek. *Observ. Jur. Rom. l. 6. c. 23. opp. t. 2. p. 254. ed. Lugdun. Batav. 1750.*

(2) *Cap. 5. de Appellat. c. 8. eod. in 6. Clem. 3. eod.*

(3) *Cap. 21. de elect. c. 1. 19. et 20. eod. in 6. c. 8. de Appellat. in 6.*

(4) *Cap. 5. de Appellat.* Cujus observationis utilitas in eo est posita, quod non statim ad superiorem confugere oporteat, sed ad eum iudicem, qui de illato damno in prima instantia cognoscere potest, quod minime fieri posset, si proprie dicta esset appellatio.

§. II. Judicialis appellatio duplex est, alia, quæ contra interlocutionem, alia, quæ contra sententiam definitivam emittitur. Appellationem ab interlocutione Jus civile non probat (1); nisi ei vis definitivæ sententiæ sit, aut nisi ab ea illato gravamini nullum aliud adhiberi remedium possit (2). Sed canones ante Tridentinam Synodum editi appellationem permittunt tum à sententia, tum à quavis etiam simplici interlocutione, qua judicialia acta ordinantur (3). Verum cum Patres Tridentini plane intelligerent, sæpe ad vexandos longa frustratione litigantes appellationes interponi, sapienter statuerunt, ut his appellationibus tantum datur locus, cum interlocutio vim habet sententiæ definitivæ, aut cum magnum attulit gravamen, quod per appellationem à definitiva removeri non potest (4).

(1) *L. 7. cod. Quor. appellat. non recip.*

(2) *L. 7. & 40. ff. de Minor. xxv. an. l. 2. ff. de Appellat. recip.*

(3) *Cap. 1. de Dilat. c. 9. c. 15. c. 20. de Appellat. c. 1. eod. in 6.*

(4) Concilium Tridentinum *Sess. 13. c. 1. & Sess. 24. c. 20. de Reform.*

§. III. Inter appellationem, quæ à definitiva, & quæ

ab interlocutione fit, magnum discrimen intercedit. Principio appellatio à definitiva jurisdictionem suspendit iudicis, unde appellatum est (1); sed non idem efficit appellatio ab interlocutione, nisi ea irreparabile damnum afferat, aut inferior iudex appellationi detulerit, aut iudex superior dederit inhibitionis litteras (2), quas minime dat, nisi primum justam appellationis causam deprehenderit (3). Imo expirat hæc appellatio, si ipse iudex inferior damnum per simplicem interlocutionem ab se illatum corrigat (4).

- (1) *L. 3. Cod. de Appellat. c. 7. eod. in 6.*
 (2) *Cap. 10. de Appellat., c. 5. & 7. eod. in 6., c. 2. de dol. & contum. in 6.*
 (3) *Cap. 3. & 7. de Appellat. in 6.*
 (4) *Cap. 60. de Appellat.*

§. IV. Item appellatio ab interlocutione scripto comprehenditur, eoque exprimenda est appellationis causa (1). Cum enim definitivam mutare iudex non possit (2), interlocutoriam possit (3), patefacienda est causa, propter quam hæc emendari possit, ac debeat. Contra à definitiva si illico (4) apud acta appellemus, etiam viva voce appellamus (5); quamquam libello opus sit, cum ex intervallo appellatio interponitur (6); neque necesse est appellationis causas exprimere (7). Denique cum à definitiva appellatur, jus est litiganti novis uti probationibus, & causas etiam non expressas iudicio persequi (8); sed qui appellat ab interlocutoria non alias causas prosequitur, quam nominatim dumtaxat expressas (9), neque novis utitur probationibus.

(1) *Cap. 1. & 9. de Appel. in 6.* Emmanuel Gonzalez in *c. 59. n. 12. de Appellat.* tria distinguit tempora, nimirum tempus Anacleti, tempus Innocentii III., tempus Innocentii IV. Anacletus *can. 3. c. 2. q. 6. omnis oppressus*, inquit, *libere sacerdotum, si voluerit, appellet iudicium.* Ex verbo *libere* colligit Gonzalezius, olim tum à definitiva, tum ab interlocutoria, nulla expressa causa, appellari potuisse. Deinde Innocentius III. in *c. 61. §. 1. de Appellat.* ab interlocutione appellari *probabili causa* verbo etiam *exposita* voluit. Denique Innocentius IV. causam scripto proponi

jussit in *cit. c. 1.* Verum Anacleti epistola in *cit. can. 3.* Isidori Mercatoris figmentum est.

- (2) *L. 55. ff. de Re judic.*
 (3) *Cap. 60. de Appellat.*
 (4) *L. 14. Cod. de Appellat., l. 2. ff. eod.*
 (5) *Satis erit, si dicatur appello*, inquit, *cit. l. 2.*
 (6) *L. 1. §. ult. ff. de Appellat.*
 (7) *L. 2. ff. eod.*
 (8) *L. 4. Cod. de Temp. & reparat. appellat.*
 (9) *Clem. 5. de Appellat.*

§. V. Appellare possunt non tantum ii, qui damnati iudicis sententia damnum pertulerunt, sed etiam omnes, quorum interest, sententiam infirmari (1). Ita recte provocat fidejussor, si debitor victus iudicium deserat, itemque venditor, contra quem regressum habet emptor, si hic, postquam causa cecidit, ab ea desistat. In communi causa unius appellatio, quæque eam sequitur, victoria ceteris etiam prodest litis consortibus, qui non appellarunt (2).

- (1) *L. 4. ff. de Appellat., can. 30. c. 2. q. 6., c. 16. §. 1. de Elect.*
 (2) *L. 1. & 2. Cod. Si unus ex plurib. appellat., c. 72. de Appellat.*

§. VI. Nec solum nostro, sed & procuratorio nomine appellamus (1); quin alium etiam ab eo, per quem iudicium egimus, procuratorem ad appellandum constituere possumus (2). Nihil autem attinet appellare, cum sententia nulla est, quoniam appellatio pertinet ad sententiam, quæ iniqua quidem est, sed tamen valet, ideoque infirmanda, ut iniquitas corrigatur; verum sententiam per se nullam infirmare supervacaneum est. Ergo inutilis est appellatio, si ab incompetente iudice (3), aut à competente quidem, sed neglecto juris ordine (4), aut contra expressam legem (5) sententia lata sit. Atque ita contra has sententias satis est nullitates proponere, ut iis expensis, atque probatis, nulla earum ratio habeatur. Usu fori hæc sententiæ, quæ nullæ sunt, *circumscribi* dicuntur, hoc est è medio tolli, & abrogari; id vero fit im-

Tom. III. T

perio Principis, qui nisi primum extinxerit, ac deleverit sententiam, ea semper in judicio rata firma censetur.

(1) *L. 2. ff. Quando appellat.*

(2) *L. 4. in fin. ff. de appellat.*

(3) *L. ult. Cod. si à non competen. jud.*

(4) *L. 4. Cod. de Senten. & interloq.*

(5) *L. 1. §. 2. ff. Quæ sentent. sine appellat. Capitularia Caroli M. l. 7. c. 249. r. 1. col. 720. ed. Baluzii Ven. 1772. in carcerem detrudi jubent judicem, qui oblatas sibi in judicio leges, vel juris species audire noluerit, & contra eas judicaverit, atque hujus facinoris convictus fuerit. His autem capitularibus antiquior Chlotharii Regis constitutio edita circa annum 560. n. 60. apud Baluzium cap. Reg. Fran. t. 1. col. 7. cit. ed. jubet, Episcoporum imperio castigari judicem, qui aliquem contra legem injuste damnaverit. Huc etiam referenda est Græca constitutio Justiniani apud Contium prætermis. clas. 1. p. 295. ed. Neap. 1725.*

§. VII. Quædam vero causæ sunt, quæ omnem appellationem rejiciunt, vel quod celeriter expediendæ sunt, vel quod appellatio potius ad retardandum judicium, quam ob justam causam interposita videtur. Ergo frustra provocant qui sententiam quoquo modo probarunt (1), vel se non appellaturos jurati promiserunt (2), qui testibus, & argumentis convicti crimen confessi sunt (3), qui ob veram, non fictam contumaciam damnati sunt (4), denique illi contra quos tres conformes sententiæ latæ sunt (5). Similiter non datur appellatio in manifestis, sive notoriis (6), in judiciis remota appellatione actis (7), in causis modicæ summæ (8), à sententiæ executione, nisi ille, quem tenere oportebat modus superatus fuerit (9), in causis disciplinæ, & emendationis morum (10), nisi ea res præter modum acta sit (11).

(1) *Cap. 20. de Offi. & potest. deleg.*, ibique Glossa verb. *Recessum*.

(2) *Cap. 20. & 21. de appellat.*

(3) *Cap. 3. §. Si autem de appellat. in 6.*, ibique Glossa v. *In jure can. 41. §. Nullus etiam c. 2. q. 6. L. 2. Cod. Quor. appellat. non recip.*

(4) *L. 23. §. ult. de appellat.* ibique Glossa, v. *Non recte*, l. 53. ff. *de Re jud.*, ibique Glossa v. *Litis damno*.

(5) Ante Justinianum semel tantum provocare licebat; post Justinianum etiam bis provocare licet *l. un. cod. Ne liceat in una ead. caus.* Eadem hanc regulam proponit Clemens III. *in c. 39. de appellat.* Sed statuta plurimarum gentium redierunt ad jus antiquum, ideoque apud eas nunc semel tantum appellatio permittitur, quoniam non tres, uti fert Jus Commune, sed duæ sententiæ rem judicatam efficiunt. Atque hoc quidem jus est, quo Romæ utimur.

(6) *Cap. 5. §. ult. & c. 61. §. Porro de appellat., c. 3. §. Si autem eod. in 6.*

(7) *Cap. 53. de appellat. c. 1. de Rescript. c. 15. de Offi. & potest. Jud. deleg.*

(8) Consule Cornelium Bynkershoek *Observ. jur. Rom. l. 5. c. 4. opp. t. 2. p. 17. et seq. ed. Lugd. Bat. 1750.* Apud nos in causis, quæ pertinent ad Urbem Romam, ejusque terminos, & territorium, sive, ut vocant, *districtum*, quæque summam non superant scutorum 50., *recursus*, ut vulgo loquimur, non appellatio conceditur. Extra Urbis terminos appellatio tantum datur in causis scutorum centum, *recursus* in ceteris; in iis vero causis, quæ non superant scuta quinque, neque appellatio, neque *recursus* datur, sed victus in una sententia acquiescat necesse est.

(9) *L. 5. cod. Quor. appellat. non recip., C. 15. de Senten. et re judic., C. 43. de Appellat.*

(10) *Cap. 3. 26. 32. eod.*

(11) *Cap. 13. de Offic. judic. ordin., C. 3. de Appellat.*

§. VIII. Appellatio proponenda est intra legitima tempora, quæ vulgo *fatales dies* (1) appellantur, quoniam eorum lapsu, quasi fato quodam appellatio perimitur. Ea tempora quatuor numero sunt. Primum est tempus interponendi appellationem; alterum petendi, atque accipiendi libellos dimissorios; tertium introducendæ appellationis apud judicem superiorem; quartum denique tempus est, intra quod litigator prosequi, ac finire appellationem debet.

(1) Fatalium dierum mentio est in *l. 32. cod. de Appellat., & in l. 2. & ult. cod. de Temp. et repar. appell.* Fallitur autem egregie Bodinus *de Republ. l. 3. c. 6. n. 324.*, qui nullam veterum ea tempora appellationi præfixita *fatales dies* vocasse putat, eaque potius *statos dies, statum tempus* appellanda esse contendit. Errorum inde ortum esse arbitratur, quod qui leges Codicis, & Novellarum in Latinum sermonem verterunt pro *χρόνος χρόνος* legerint *χρόνος* Bodinum refellit, & exagitat Cujacius *ad Tit. 63. cod. l. 7. opp. t. 9. col. 1044. ed. cit.*, ubi præclarum habes doctissimi viri de hoc homi-

ne iudicium. Fatalis dies etiam *temporalis* dicitur in *l. 32. c. de Appellat.* Consule Cujacium *Observ. l. 12. c. 4. opp. t. 3. col. 307. ejusd. ed.*

§. IX. Jure Digestorum, & Codicis appellationis interponendæ tempus biduum erat in causa propria, in aliena triduum (1); sed postea Justinianus cuilibet, qui appellare vellet, decem dierum spatium concessit (2). Justinianeum jus Innocentio III. probatum est (3), idque tum in judiciali, tum in extrajudiciali appellatione servandum esse, Bonifacius VIII. constituit (4). Hoc tempus in sententiis labi incipit à die latæ sententiæ, in aliis actibus ex ipso actu, unde appellatur (5). Quod ita accipiendum est, si adversus præsentem fuerit pronuntiatum. Nam si adversus absentem hujus temporis initium repetitur non à die, quo lata est sententia, sed à die quo quis ejus rei certior factus est (6).

(1) *L. 1. §. 5. 6. & 11. l. 2. ff. Quand. appellat., l. 6. §. 5. cod. de Appell.*

(2) *Novel. 23. c. 1., Auth. hodie cod. de Appell.*

(3) *Cap. 15. de Sentent. & re jud.*

(4) *Cap. 8. de Appellat. in 6.*

(5) *L. 1. §. Bitum., & §. Quod in sententiis ff. Quand. appell.*

(6) *Cit. l. 1. §. ult., & c. 8. de Appell. in 6., ubi cum dicat Bonifacius infra decem dies, postquam sciverit, perspicuum est, quod recte vulgo dicitur, appellationis interponendæ tempus initio utile, deinceps vero continuum esse.*

§. X. Post appellationem interpositam litteræ dandæ sunt ab eo à quo appellatum est, ad eum, qui de appellatione cogniturus est (1). Quæ litteræ dicuntur Apostoli à græco verbo ἀποστέλλω, latine dimitto. Sunt enim litteræ datæ à iudice, qui sententiam edidit, per quas causa dimittitur ad eum, qui appellatus est (2). Harum litterarum non unum genus. Nam si appellationem interpositam, & admissam fuisse testentur, dimissionis dicuntur, reverentiales autem, si ob superioris reverentiam probatam appellationem ostendant non quod eam causa postulare videatur, postremo si testentur, eam esse rejectam, refutatoricæ appellantur.

Interdum Judex non satis intelligit, num concedenda sit appellatio, an secus; & tunc concedit testimoniales, quæ vim accipiunt à jure, ideoque suspendunt causam, si danda appellatio erat, rejiciunt autem, si erat deneganda. Quin etiam litigantium alter sæpe interpositæ appellationi assentitur; & tunc, quia partes ipsæ de appellatione conveniunt, dicuntur apostoli conventionales.

(1) Verba hæc sunt Marciani in *l. un. ff. de Libel. dimiss.* eaque descripsit Gratianus in *Decreto can. 31. c. 2. qu. 6.* Tum ipse Gratianus formulam proposuit Apostolorum his verbis: "Ego ille, Sanctæ Bononiensis Ecclesiæ Episcopus te Presbyterum Rolandum, Capellanum S. Apollinaris ad Apostolicam Sedem, quam appellasti, ab observatione mei iudicii his apostolis dimitto."

(2) *L. 106. ff. de Verb. signif.*

§. XI. Antiquo jure petebantur, accipiebantur, & reddebantur Apostoli intra diem quintum post interpositam appellationem (1); jure novo intra dies triginta à lata sententia petendi, & à iudice, à quo appellatur litigantibus exhibendi sunt (2). Quin iudex etiam non petenti Apostolos dare debet (3): verum hi sunt petendi, si ille officii sui partibus non satisfaciat. Petuntur autem *instanter & sæpius*, ne quis se appellationis beneficio abdicasse videatur (4). Nam qui intra tempora præstituta Apostolos non petiit, accepit, reddidit, præscriptione repellitur (5); hoc autem tempus iudex contrahere potest, producere vero non potest (6). Sed nunc fere nullus in foro est Apostolorum usus (7), ac per libellum appellationis intra decennium in actis exhibito appellatio interponitur.

(1) Paulus *Recept. sentent. l. 5. tit. 34. §. 1.* apud Schultingium *Jurisprud. vet. Ante-Justinian. p. 533. ed. Lipsiæ 1737.*, quem Pauli locum descripsit Gratianus *can. 24. c. 2. qu. 6.*

(2) *L. 24. cod. de Appellat., c. 6. cod. in 6.* Verba illa *Ex die sententiæ*, quæ occurrunt in *cit. l. 24.* forte à Triboniano addita sunt; certe non extant in *l. 32. cod. Theodos. de appellat.*, unde *l. 24.* desumpta est. Eodem tamen modo tempus illud æstimatur in *l. 29. cod. Theodos. cod.* Atque ea quidem verba *Ex die sententiæ* multi ita accipiunt, quasi scriptum sit à die scientiæ latæ sententiæ, quæ

opinio verior esse videtur. Consule Schultingium in *Paul. l. c.* & Cujacium in *l. 5. cod. de appellat. opp. t. 9. col. 1036. seq. ed. cit.*

(3) *L. 6. §. ult. cod. de appellat.*

(4) *Cap. 6. de appellat. in 6., Clem. 2. cod.*

(5) Paulus *l. c. §. 2.* Atque hæc causa est, propter quam Modestinus in libro singulari de *præscriptionibus* egerit de Apostolis *l. 106. ff. de Verb. signif.* Tantum præscriptione ab agendo submoveri vult Paulus *l. cit.* eum, qui intra tempora præstituta Apostolos non petit, accepit, reddidit, sed in libris quibusdam postremo additur, quod iis & *pœnam appellationis inferre cogitur*, quæ verba Gratianus etiam descripsit in *cit. can. 24. caus. 2. qu. 6.* Sed Cujacius in *Paul. l. c. opp. t. 1. col. 461. ed. cit.*, & Schultingius *cod. l.* hanc lectionem improbant.

(6) *Cap. 5. de appellat.*

(7) Confer Voetum in *Pandect. l. 49. tit. 6. n. 2.*

§. XII. Acceptis litteris dimissoriis, qui appellavit majori judici sistere se præsentem debet, eique litteras offerre quod jure civili non eodem temporis spatio pro varia locorum, & judicum ratione, faciendum est (1). Varium hoc jus gentium moribus servari vix potuit; nihil autem certi de eo tempore à Decretalibus constitutum est. Quare tota res pendet ab arbitrio judicis, à quo provocatur (2), & alicubi hoc tempus municipali jure definitum est. Exhibitis vero superiori judicis litteris dimissoriis appellans instat, ut appellatio recipiatur, adversarius ad certum terminum citetur, inhi-beaturque iudex, à quo provocatum est (3).

(1) *L. 1. 2. & ult. cod. de Tempor. appellat.*

(2) *Cap. 5. & 33. de appellat., Clem. 4. cod.*

(3) Citationes typis Camerae impressæ, quas vulgo camerales dicimus, quamquam ex à nullo Romane Curie iudice subscriptæ sint, vim inhibendi habere sancivit Benedictus XIV. *Constit. Romane Curie 115. §. 5. t. 1. ejus Bullar. p. 285. ed. Rom. seu Ven. 1754.*

§. XIII. Denique prosequendæ, ac finiendæ appellationis tempus est annus unus, atque ex justa causa etiam alter (1). Qua in re juris civilis, & canonici magna consensio est. Verum unde id tempus ex jure civili initium sumat, non satis constat; sed jus canonicum hoc initium ab interposita appellatione repetit (2), quod

etiam civilis fori usu receptum est.

(1) *Auth. ei qui ei l. ult. §. 4. cod. de Tempor. appellat. Clem. 3. cod.*

(2) *Cap. 8. de appellat., Clem. 3. cit.*

§. XIV. Nostris moribus intra biennium appellationis negotium expedire oportet. Primo anno causa committitur judici, quem quis appellavit, altero *transportanda* sunt acta, ut pragmatici loquuntur, nimirum exemplum actorum, & documentorum, quæ priori iudicio gesta dataque sunt, exhibendum est coram altero iudice, ad quem postremo itum est. Qui intra primum annum alteri judici causam committere neglexit, is ne alterius quidem anni beneficium habet ad acta exhibenda; verum id præstare debet intra tempus à iudice definitum. Quare curandum est, ut suo anno utrumque fiat, quique id ob justam causam præstare non potest, ampliandi facultatem à iudice petit, antequam constitutum tempus elabatur.

§. XV. Appellatio legitime interposita (1) jurisdictionem suspendit iudicis inferioris, causamque defert ad superiorem, qui appellatus est (2). Quare interim, dum appellatio pendet, nihil amplius in causa inferior iudex agere potest, & si quid egerit, cuncta à majore iudice ad pristinum statum rediguntur (3). Verum cum hæc suspensio sententiæ, ejusque executionis in causis quibusdam minus congruens, & apta videretur ad rectum ordinem rerum, merito receptum est, ut sententiis quibusdam suspensiva vis adimatur propterea fit interdum, ut quamquam sit appellatum tamen sententia exitum obtineat, & postea causæ cognitio ad superiorem deferatur. Tunc autem sententiæ non *suspensivum*, sed *devolutivum effectum* habere dicuntur.

(1) Appellationes autem non recipiuntur, neque in earum vim inhibitiones conceduntur, nisi primum constiterit, intra legitima tempora, atque à legitima persona, item à definitiva, vel habente vim definitivæ, aut gravamine, quod per definitivam reparari non possit, appellatum fuisse, idque patere debet ex publicis monumentis, quæ in actis exhibentur. Confer Benedictum XIV. *Const. Ad militantis*

48. §. 43. p. 86. t. 1. ejus Bullar. ed. Ven. 1754., qua quidem constitutione multa de appellationibus, deque inhibitionibus comprehensa sunt.

(2) L. 32. §. 4. cod. de appellat., cap. 55. eod.

(3) L. un. ff. Nihil innovat. appellat. in verpos., c. 7. de appellat. in 6.

§. XVI. Plures vero sunt causæ in quibus interposita appellatio impedimento non est, quominus lata sententia vim, & exitum habeat. Jure communi appellatione non suspenduntur decreta de alimentis præstandis; neque datur suspensiva appellatio in causis de restitutione spoli, ac momentaneæ possessionis (1), in judiciis arbitratorum ex compromisso, in causis, ut ajunt, executivis, quæ ex populorum moribus, & legibus privilegium habent paratæ executionis. Apud nos provocatio nullam affert moram; & tarditatem causis in quibus duo continua, eaque concordia judicata edita sunt; itemque causis de menstrua diurnave mercede, de alimentis futuris, de restituendo deposito, de explenda solutione, quam quis sygrapha (2) se facturum promisit, de oneribus cameralibus, vel communitatis, de canonibus, pensionibusque domus, de obligationibus cameralibus, ceteris demum, quæ à Benedicto XIV. expressæ sunt (3).

(1) L. 27. ff. de Inoffic., l. un. c. Si de moment.

(2) Hæ sunt sygraphæ, quas vulgo appellamus *Pagarò per alirettanti*.

(3) Confer Benedictum XIV. Const. Romanæ Curie 115. §. 10. & seq. t. 1. ejus Bullarii p. 287. ed. Rom. seu Ven. 1754.

§. XVII. Sed & executionem sententiæ irrogatarum censurarum minime appellatio retardat (1); quod etiam obtinet in causis emendationis morum, nisi antistes, uti supra dictum est, rem egerit supra modum, quem observare oportebat (2); itemque in causis, quarum executio à Concilio Tridentino remota appellatione mandata est (3).

(1) Cap. 53. de Appellat.

(2) Cap. 3. de Appellat.

(3) Consule Benedictum XIV. cit. const. 48. §. 5. & seq. p. 82., ubi omnes hæ causæ, in quibus suspensiva appellatio non conceditur, accurate recensentur. Vide etiam, quæ l. 1. tit. 6. §. 3. p. 325. dixi de appellatione interposita ab Episcopi judicio in beneficiis curatis, quæ per concursum collata sunt.

§. XVIII. Ab omnibus iudicibus provocare fas est, præterquam à supremis Principibus (1), & à Summo Pontifice, cujus iudicium soli Deo subieitur (2). Nam absurdum esset inferiorem iudicem delere, aut emendare sententiam ejus, cui ipse subest, & cui summa in republica potestas est. Ea de causa inducta est appellatio, ut ex inferiore iudice gradatim provocetur ad superiorem, ac denique causa deferatur ad eum, qui reipublicæ cum imperio præest. Is cum in omnes, qui in republica continentur, & imperium habeat, & potestatem, omnium tollere, delere, emendare sententias potest; ejus vero sententiæ ab iis, qui subjecti sunt, emendari, abrogarique non possunt.

(1) L. 1. ff. A quib. appell. non lic.

(2) Can. 16. & 17. c. 9. qu. 3. Quid adhuc quæris examen. inquit Augustinus Oper. imperf. contra Julianum l. 2. opp. t. 10. col. 993. ed. Maurin. Ven. 1733., quod apud Sedem Apostolicam factum est? Sane appellantes à Summi Pontificis iudicio futurum Concilium damnantur à Martino V. apud Guerram Epitom. Pontific. constitut. t. 1. p. 173. Ven. 1772., à Pio II. const. Execrabilis 5. t. 3. par. 3. Bullarii Roman. p. 97., Julio II. const. Suscepti 27. p. 312. ibid., Benedicto XIV. const. Altissimo 132. p. 324. t. 1. ejus Bullar. ed. Ven. 1754., Bulla in cœna Domini, aliisque Summorum Pontificum Constitutionibus. L' Histoire de l' Eglise, inquit Cardinalis de Byssy Meldensis Episcopus in Docum. pastor. an. 1728. p. 59., " nous apprend, qu'elle à rejeté tous les appels faits contre les Bulles dogmatiques, & qu' ille à regardé comme herétiques, & chismatiques ceux, qui les ont formé. " Idem ipse habet Ep. ad Episc. Ebroicens., idemque Senonensis Archiepiscopus Languet Docum. pastor. advers. consult. Advocat. p. 9., & Ep. 1. ad Episc. Bononien. p. 26., & Cardinalis de Mailly Archiepiscopus Remensis Instru. Pastor. au sujet de la Constitution Unigenitus an. 1719. p. 8., & idem quoque docet Thomassinus Diss. 12. in synod. Chalced. n. 26., & Diss. 18. n. 96. Ipse Petrus de Marca concord. sacerdot. & imper. l. 2. c. 17. n. 1. testatur, quod " nunquam in Ecclesia admissa fuit provocatio à Papæ ad Concilium. " Recte Tom. III.

S. Bernardus *Ep. 239. opp. t. 1. p. 198. ed. Horstii & Maillonii Ven. 1781.*, Summi Pontificis sententiam *peremptoriam* vocat, & *Ep. 213. p. 166.* Innocentio II. dicit hæc: "Quis mihi faciet justitiam de vobis? Si haberem judicem, ad quem vos trahere possem, jam nunc ostenderem... Extat quidem tribunal Christi, sed absit, ut ad illud appellem vos... Itaque recurro ad eum, cui in præsentem datum est judicare de universis; hoc est ad vos: vos appello ad vos; vos judicate inter me, & vos." Consule, inter ceteros, librum, cui titulus *Trattato dello scisma c. 16.*, Du Valium *de Supr. Rom. Pontif. in Eccles. potest. p. 4. q. ult.*, Serryum *de Rom. Pontif. Diss. 2. c. 9.*, Roncagliam *Animadvers. in Natal. Alexand. Histor. eccles. sæc. 13. & 14. Diss. 9. t. 8. p. 419. & seq. ed. Ven. 1776.* Gasparem de Bocken *Dissert. Salisburgi edita an. 1723.*, qua ostenditur, "Soli Summo Pontifici Romano supremam in universam Ecclesiam potestatem, & de fide definiendi jus competere, nec ab illo ad Concilium generale appellari posse," Zaccariam *Anti-Febron. t. 4. c. 5. & 6. p. 163. seq. ult. ed.*, et *Anti-Febron. vind. t. 4. Diss. 12. c. 4. p. 387.*, Cl. Gerbertum *Ecclesia militans &c. c. ult. t. 2. p. 338.*, & Bolgenium *Risposta al quesito cosa è un appellante?* quo quidem opere graviter, nervoseque refutatur quidquid ab Appellantibus, novissime autem ab eorum gregali Petro Tamburino proponitur. Illud postremo addam, quod est ab ipso Joanne Ludovico Moshemio, hæretico quidem homine, sed docto, & erudito, animadversum "de Gallorum appellationibus ad Concilium universæ Ecclesiæ, unitatem Ecclesiæ spectabilem, tollentibus," scilicet pugnancia loqui illos catholicos, qui ex Primatu Divini juris Romanum Pontificem totius Ecclesiæ, & Catholicæ unitatis centrum profitentur, & simul ab ejus judicio generale concilium appellari posse contendunt. Placuit laudare hoc testimonium, ut omnes intelligant, quod ipsi hæretici agnoscunt, & confitentur, appellationes ad futurum Concilium cum catholica veritate de Primatu Summi Pontificis convenire non posse. Consule Ballerinum *de Vi ac ration. Prim. Pont. fere per tot.*, et *de Potest. Eccles. Sum. Pontif. et conc. Genes. c. 5. p. 66. et seq.*; et c. 9. §. 5. p. 139. et seq. ed. Augustæ Vindelic. 1770.

§. XIX. In civili republica summa hæc potestas est penes Principem, cui subjecti sunt omnes, qui ad illam pertinent. Quare ipse in cunctis negotiis, quæ civilis reipublicæ propria sunt ab omnibus appellatur, omnium infirmat confirmatve sententias, quodque ab eo gestum est subditorum judicio, & potestati subesse non potest (1). Hoc autem jus appellationis non solum pars

est intima summæ potestatis (2), sed etiam est necessaria pars officii, quo tenetur quisquis rempublicam cum imperio regit, qui in ejus custodia tamquam in specula, collocatus omnia circumspicere, atque observare debet, quemadmodum se unusquisque gerat in judiciis exercendis (3).

(1) Vid. Montesquieum *Esprit. des loix liv. 28. chap. 27.*

(2) Confer Grotium *de Jure belli, et pacis l. 2. c. 4. §. 13.*, & Heineccium *de Jur. natur. et gent. l. 2. c. 8. §. 157. opp. t. 8. p. 213. ed. cit.*

(3) Consule Puffendorium *de Jur. natur. et gent. l. 7. c. 9.*, & Heineccium *l. c. §. 150. et seq. p. 210. et seq.*

§. XX. Quod in civili republica Princeps, id in ecclesiastica Summus Pontifex est; quoniam eum à Christo toti Ecclesiæ propositum fuisse cum dignitate, & jurisdictione, certum est. Quare ut Princeps in civili republica omnium, quos sibi subjectos habet, appellationes recipit & ex jure summi imperii, quod habet in republica, & ex officio, quod est annexum curæ, & sollicitudini omnium rerum, quæ in republica geruntur; ita Summus Pontifex pari jure, & officio in republica ecclesiastica omnes recipit appellationes; quæ propter res, vel propter personas hujus reipublicæ propriæ sunt. Itaque jus appellationum non extrinsecus accessit Summo Pontifici, sed affixum, & insitum est in ipso Primatu, atque in jurisdictione, quæ hujus Primatus Divina institutione propria est (1); quemadmodum qui civili reipublicæ cum imperio præest, omnium accipit appellationes subditorum, jure potestatis, & imperii sui.

(1) Eusebiani IV. sæculo, cum iniquam tulissent sententiam in S. Athanasium, atque is ad Juliam I. Summum Pontificem confugisset, hanc appellationem ægre tulerunt, sicuti constat ex Julii I. *Ep. ad Eusebiam. apud Coustantium Ep. Pontific. Roman. col. 353. et seq.*, & Sozomeno *Histor. l. 3. c. 7. p. 101. ed. Cantabrig. 1720.* Photius IX. sæculo jus appellationum in discrimen revocavit, cum eoque consentiunt Zaccarias Episcopus Chalcedonensis, Joannes Zonaras, Theodorus Balsamon, Marcus Ephesius, & Meletius Alexandrinus. In eodem luto hæsitavit Calvi-

nus *Inst. l. 4. c. 7.*, Marcus Antonius de Dominis *Apostata de Rep. Christ. l. 1. c. 3.*, Melchior Leydekerus in *Dissert. de Lib. Eccles. Afr. et trasmarin. appellat.* alique similes. Hincmarus Remensis IX. sæculo contendit, jus appellationum tantum à Sardicensi Concilio Summo Pontifici fuisse tributum, & eum posse quidem novos dare iudices in provincia, in qua Episcopi iudicati sunt, ipsum vero causam Romæ iudicare non posse. Eadem est sententia Petri de Marca *Concord. sacer. et imper. l. 7. c. 3.*, Quesnelli *Dissert. 5. et 8. in opp. S. Leonis M.*, Du-Pinii *de Antiq. eccles. disciplin. Dissert. 2. c. 1. §. 3.*, Bohemerus etiam *Dissert. de Causis arduis, et majoribus* multa cumulat tum adversus jus iudicandi in causis majoribus, tum adversus jus appellationum, & multa item, ut ceteros mittam, habent Basnagius *Annal. polit. eccles. ad an. 347. n. 11. seq.*, Febronius *de Eccles. stat. c. 5. §. 6. n. 2.*, Van-Espenius *Jur. eccles. par. 2. tit. 10. c. 1.*, Fleuryus *Disc. 4. n. 5.*, Eybelius in libello *Quid est Papa?* Sed jus ipsum appellationum, quod in Primatu hæret, solide, copioseque, præter ceteros, tuentur Baronius *ad an. 347. n. 52. t. 4. p. 440.* ibique Pagius in *Not. n. 6. seq. p. 438. seq.*, et *ad an. 419. n. 75. t. 7. p. 179. ed. Luca.*, Bellarminus *De Rom. Pont. l. 2. c. 21. seq. opp. t. 1. p. 330. seq. ed. Ven. 1731.* Franciscus de Simeonibus *de Jud. Summ. Pont. potestat. l. 2. c. 20.* Natalis Alexander *Histor. eccles. Dissert. 28. in sæc. IV. t. 4. p. 462. et seq. ed. Ven. 1776.*, ibique notarum Auctores *p. 481. seq.*, Christianus Lupus peculiari opere *de Appellationibus Zalvvenius Instit. Canon. t. 2. q. 1. c. 4. §. 5.*, Benedictus XIV. *de Synod. dioc. l. 4. c. 5. n. 2.*, Archiepiscopus Senonensis *Instruction Pastorale contenant une troisième lettre à un Conseiller du Parlement de Paris. an. 1753.*, David in opere *Des jugemens canoniques chap. 8. art. 1.*, Gerardus Casteel *Contrav. hist. eccles. contrav. 31.*, Auctor dissertationis Romæ editæ *an. 1768. de Appellationibus*, Fratres Ballerini in *ed. opp. S. Leonis M. Observ. ad dissert. 5. Quesnelli t. 2. col. 927. et seq.*, ac VV. CCL. Mamachius *ad Auctorem opp. Quid est Papa? Ep. 3. p. 234. et seq. t. 1.*, & Zaccaria *Anti-Febron. t. 3. l. 3. per tot. et in Anti-Febron. vind. t. 3. Diss. 7. c. 5. et 6. p. 451. seq.*

§. XXI. Certe Christus non alios constituit Magistratus, qui ecclesiam regerent, quam Episcopos, & unum omnium caput, ac principem Summum Pontificem, qui & Episcopis, & cunctis Christianæ reipublicæ civibus dignitate, ac jurisdictione præset. Si secundum hanc Christi institutionem alicujus Episcopi iudicium emendari, abrogarique debuisset (& vero nemo non fatebitur, omnes homines errare posse, ideo-

que inventum est remedium appellationis, ut iudicis error corrigatur) quis id præstare, & quem iudicio injuria damnatus appellare potuisset? Haud sane alius Episcopus Episcopi sententiam infirmare potuisset; quoniam Christus nullam uni Episcopo supra ceteros Episcopos potestatem, & jurisdictionem attribuit. Atqui appellatio provocatio est ab inferiore iudice ad superiorem. Ergo cum omnium hominum sententiæ errori subsint, cum æquum, ac necessarium sit emendare errorem, qui alteri perniciem affert, cum hic error à superiore magistratu per appellationem sit emendandus, cum Christi institutione omnes Episcopi pares potestate sint, ac nemo in alium habeat jurisdictionem; consequens est, ut tantum Pontifex, cui uni hæc jurisdictionis, & potestas in omnes data est, aliorum Episcoporum sententias è medio tollere, atque abrogare possit. Id vero est, quod jus appellationis vocamus.

§. XXII. Post Christi mortem visum est alios etiam constituere magistratus, qui Summo Pontifici subessent, præessent tamen Episcopis; sed id sola hominum lege factum est. Nimirum cum Petrus, ejusque successores Romani Pontifices nec ubique præsto esse, nec omnibus omnium Episcoporum negotiis ubique opportune consulere possent, ecclesiastica institutione provisum est, ut unaquæque provincia haberet Antistitem, qui ejus Episcopis, & in quavis majori dioecesi unus item esset Antistes, qui & illi, & ei subjectis Episcopis præsideret. Ita Metropolitanæ, & Patriarchæ instituti sunt, omnino ex lege Ecclesiastica, non Divina; & utrisque data sunt jura eorum præfecturæ, & jurisdictionis propria. Inter cetera vero datum est jus appellationis, quod adversus Episcopi sententiam Metropolitanæ, adversus sententiam Metropolitanæ Patriarchæ competit, quod ille Episcopis, hic vero & Episcopis, & Metropolitanis superior est (1).

(1) Huc sane spectat communis regula, quæ est in Concilio Carthaginensi III. an. 397. *can. 10.* apud Labbæum *col. 1401. t. 2.* "Ut à quibuscumque iudicibus ecclesiasticis ad alios iudices ecclesiasticos, ubi est major auctoritas, provocare liceat."

§. XXIII. Quidquid vero auctoritatis in Episcopos, Patriarchis, & Metropolitanis Ecclesiastica lege concessum est, tantum cum consensu saltem tacito, & præsumpto Summi Pontificis concedi potuit. Cum enim ipse unus ex divino instituto in Episcopos haberet potestatem, ejus sane pars ad alios transferri non poterat, nisi assentiretur ille, qui eam totam à Christo potestatem, & jurisdictionem acceperat. Sed cum Concilia in Patriarchas, & Metropolitanas contulerunt partem jurisdictionis, & potestatis, quæ Christi instituto unius Summi Pontificis propria erat cumque Pontifices id fieri siverunt, neque hi se abdicarunt potestate sua; quam à Christo habebant, neque eam Concilia ipsis eripere potuerunt.

§. XXIV. Quare Metropolitanis, & Patriarchis datum quidem est jus appellationum à sententiis Episcoporum, quoniam illos his superiores fecerat lex Ecclesiastica, hoc est ipsis attribuerat partem jurisdictionis, & potestatis, quam in Episcopos tantum summi Pontifices Divina lege obtinebant; sed hi semper potestatem, quam habebant initio, retinuerunt. Christi instituto, ab Episcopi sententia unus Pontifex appellari potuisset, lege ecclesiastica appellantur etiam Metropolitanæ, & Patriarchæ, sed semper integrum est jus appellationum quod in Primatu hæret.

§. XXV. Et quoniam prima à Christo procedens institutio Primatus erat, ut solus Pontifex confirmaret, infirmaretve sententias Episcoporum, in quos ipse unus jurisdictionem habebat; Ecclesia autem hujus potestatis participes fecit Patriarchas, & Metropolitanas, sed non eam ademit, illi cui Christus dederat; profecto Summus Pontifex non tantum à sententiis Patriarcharum, & Metropolitanarum, sed etiam illico à sententiis Episcoporum appellari potest. Illæ quidem appellationes pertinent ad summam, & supremam potestatem in omnes Episcopos Metropolitanas, Patriarchas, quam nemo communem habet cum Capite, & Principe Ecclesiæ; hæ procedunt ex eadem potestate quæ hac in parte communis facta est etiam Patriarchis, & Metropolitanis, non tamen Summo Pontifici erepta.

§. XXVI. Itaque si Pontifex statim velit cognoscere sententias Episcoporum, omissis mediis, hoc est Metropolitanis, & Patriarchis quos inter Pontificem et Episcopos lex ecclesiæ medios posuit; utitur jure, quod à Christo habuit, & quod ei integrum est relictum, etiam postquam Patriarchis, & Metropolitanis commune factum est. Lex Ecclesiæ quæ sola Patriarchas supra Episcopos constituit, eos appellandi facultatem dedit, omisso judice, quem recta appellandi ratio medium interponebat (1). An quod ex lege ecclesiastica Patriarchis licet non licebit Summo Pontifici; quem unum lex divina Episcopis superiorem fecit, & cui lex Ecclesiæ semper integram reliquit eam quoque potestatis partem, quam Patriarchis, & Metropolitanis communem fecit?

(1) Confer quæ dixi l. 1. tit. 3. Sect. 3. §. 38. not. 1. p. 209. et 210.

§. XXVII. Fieri quidem interdum potest, ut non expediat omittere medios judices, atque ad Sedem Apostolicam statim confugere; quin etiam interdum locorum distantia, fraudis metus, rerum difficultas, periculum ne resciri accurate possint, quæ procul gesta sunt facere potest; ut non videatur interponenda ad Summum Pontificem appellatio. Tunc autem ipse suo jure non utitur; sed non ideo quia peculiaribus de causis interdum non expedit, Summum Pontificem suo jure uti, exinde efficitur, ut ipse revera non habeat potestatem (1). Ea de causa Africani Patres, qui Episcoporum appellationes ad Sedem Apostolicam plus semel æquissimo animo probaverant (2), Apiarii Presbyteri appellationi modeste restiterunt (3); quoniam hæc appellatio temporis, locorum, personæ rationi minus congruere videbatur (4).

(1) Simili modo S. Bernardus l. 3. de consid. c. 4. p. 374. t. 2. ed. Mabil. Ven. 1781. aliquas reprehendit exemptiones, quæ mala afferebant, ab iisque concedendis deterrere conatur Eugenium III., sed tamen non ideo negat Pontificis auctoritatem. "Sic factitando, inquit, probatis vos habere plenitudi-

nem potestatis, sed iustitiæ forte non ita. Factis hoc, quia potestis; sed utrum & debeatis, quæstio est." Sardicenses quoque canones cum innuunt, per causas appellationum Episcoporum Romano à Pontifice delegatos in provincia iudices, vel per legatum in eam missum esse cognoscendas, pertinent ad illud, quod magis expedire videbatur, non Pontificiam auctoritatem in discrimen revocant; imo *can. 4. t. 2. col. 659. collect. Labbæi ed. Ven.* diserte memorantur causæ episcopales agenda "in urbe Roma, & in iudicio Romani Episcopi de-terminanda."

(2) Plurium appellationum Episcopaliū exempla, quæ consuetudinem ostendunt, ultro confessi sunt Africani Patres, uti constat ex Augustini epistola, quam Coustantius descripsit inter epistolas Cælestini *Ep. 1. n. 8. col. 1056.* Tum antiqua ac recentia huiusmodi exempla indicans Augustinus inquit: "quæ ut à nostris temporibus remotissima non requiram, recentia memorabo; ac tria profert exempla, eaque ex una provincia Cæsariensi, & in particulari tantum iudiciorum specie, quæ Augustini causæ congruebat; unde facilis est de aliis quoque provinciis, aliisque iudiciis conjectura. Recte in hunc locum monet Coustantius: "Apostolicæ Sedis in Afrorum iudiciis potestas addenda etiam consuetudo hic aperte prædicatur." Ipsa causa Antonii Episcopi Fussalensis, de qua Augustinus in eadem epistola loquitur, appellatio fuit primum ad Bonifacium Pontificem, cui ipse Numidiæ Primas assensus est, traditis ei commendatitiis ad eundem Bonifacium litteris, deinde ad Cælestinum, cuius iudicio Augustinus obsequutus est cum ad eum gesta transmisit.

(3) Recte observat Cardinalis Orsius *Histor. eccles. l. 27. n. 36. p. 130. t. 12. ed. Rom.*, synodicam epistolam Concilii Africani ad Cælestinum non præcipientium, atque audacter obsequentium esse; sed Afros tantum adhibere preces, quibus Pontificem rogant, ut repellat, coerceatque auctoritate sua licentiam Presbyterorum, aliorumque clericorum, qui appellationis beneficio abutebantur; eos præterea non rogare, ut omnes rejiciantur, sed ut "ad aures venientes non facilius admittatis, ne præpopere, vel indebite videantur restitui."

(4) Sane ut animadvertunt Fratres Ballerini *Observat. in 1. part. Diss. 5. Quesnelli num. 30. opp. S. Leonis t. 2. col. 791.*, sive inspiciantur acta Synodi an. 419. sive litteræ in causa Apiarii ad Bonifacium, & Cælestinum datæ, manifestum est, nulla unquam ex parte jus Sedis Apostolicæ recipiendi appellationes in discrimen fuisse vocatum. Omnis rei ratio petitur ex fraudis periculo, ex temporum dilationibus, ex testium, locorumque difficultatibus. Accedit, quod Apiarius simplex erat Presbyter, neque Africani Patres ob illas, quas memoravi, causas, expedire putabant, quod Presbyteris, ceterisque clericis transmarinæ appellationes permitterentur. Nam cuius facile concessa appellandi facultate, fere quotidie redissent pericula, & difficultates, quarum causa illam Apia-

rii provocationem ægre ferebant. His incommodis hactenus obviam ierat Africanæ Ecclesiæ consuetudo, per quam receptum erat, ut clericorum causæ in ea regione finirentur; quare Africani Patres illa incommoda, & pericula objiciebant, illamque urgebant consuetudinem, ne Apiarii provocatio admitteretur. Neque vero cum illi consuetudinem proponebat, quidquam detrahebant de jure Primatus, quod nunquam in discrimen revocarunt. Nam eo firmo, & immoto, per legitimam consuetudinem, quæ scilicet cum expresso, aut tacito Summi Pontificis consensu fuisset inducta, potuissent Africani jus acquirere finiendi in sua regione, sine ullo appellationis beneficio, suorum clericorum controversias. Simili modo quamquam jus confugiendi ad Principem semper integrum esse debeat, tamen populus ei subditus per consuetudinem acquirere potest privilegium iudicandi suorum causas sine appellatione, ut docet Grotius *de Jur. bell. & pac. l. 2. c. 4. §. 23.*; neque ideo quis dicat, Principem in civili republica non habere potestatem, quæ summo imperio affixa est. Hanc igitur consuetudinem Africani Patres urgebant, ignorantes, eam à Sardicensi Concilio rumpam, sublataque fuisse, eamque ut firmarent consuetudinem, an. 418. novum illum edidit canonem, ne Presbyteri, & clerici ad transmarina iudicia confugerent. Sane Pontifex in ea controversia proponebat canones Sardicenses, quos Nicænos vocabat, quod hi illis confirmati fuerant et quod fuerant conditi à pluribus Episcopis, qui Nicænæ Synodo interfuerant, ut observat Amortius *Elem. jur. canonic. t. 1. p. 5. seq.* Responderunt Afri, se hos canones ignorare, agentes in *Ep. ad Cælestinum* apud Coustantium *Ep. Pontific. Roman. n. 4. col. 1061., & 1062.*; "Nam ut aliqui, tamquam à tuæ sanctitatis latere, mittantur, in nulla invenimus, Patrum synodo constitutum; quia illud, quod pridem per eundem Corepiscopum nostrum Faustinum tamquam ex parte Nicæni concilii exinde transmisisti, in conciliis verioribus... tale, aliquid non potuimus reperire." Quibus ex verbis manifestum est, eos sine cunctatione paruisse, si canones novissent Sardicensis Concilii, cui, præter ceteros, etiam Gratus Carthaginensis Episcopus interfuerat, uti observant Coustantius in *Not. lit. E. l. c.*, & Tillemontius *art. 324. in Vit. Augustin. t. 13. p. 864.*, qui de cetero his appellationibus minus favent. Revera ipsi Africani Patres an. 419. ad Zosimum dedere litteras, quarum mentio est in *Ep. 2. ad Bonifacium 1.* apud Coustantium *col. 1012. & 1014.*, & quibus ipsi dicunt hæc: "curavimus, ut ea (*Sardicensia decreta*) servari sine ulla injuria paulisper sineremus, usque ad inquisitionem statutorum Nicæni Concilii." Ipsa hæc temporis Concilia demonstrat, Afros, repertis canonibus, de quibus quærebatur, statim Summo Pontifici obsequuturos. Late hoc argumentum persequuntur Fratres Ballerini *cit. Observat. in 1. part. Dissert. 5. Quesnelli col. 955. et seq.* Atque hæc quidem de Presbyteri appellatione disputatio fuit; verum de Episcoporum ad

Sedem Apostolicam appellationibus minime actum est, neque iis unquam Africani Patres resisterunt. Imo & *remotissima*, & *recentia*, uti loquitur Augustinus *loc. cit.* erant exempla appellationum; & vero ipse Augustinus appellationes memorat Prisci Victoris, Laurentii, Antonii Fussalensis, qui omnes Africani Episcopi erant. In eadem causa sunt Cæcilianus, & Lupicinus, similiter Africani Episcopo; ex quibus intelligitur consuetudinem, quam Afri de Presbyteris, minoribusque clericis urgebant, nunquam ad Episcopos fuisse tractam. Revera de appellationibus clericorum erat Africanus Canon, quem in illo controversiæ æstu Afri condiderant, ut firmerent consuetudinem, quam proponebant; sed de Episcopis nusquam cautum fuerat, ut ipsi Apostolicam Sedem non appellarent. Neque scrupulum aliquem injicere potest id, quod Carthaginensi Concilio an. 419. *can. 28.* apud Dionysium *cod. can. Eccl. Afric. in Biblioth. Jur. can. Justelli t. 1. p. 344. ed. Paris. 1661.* constitutum est; quo quidem canone confirmatur id, quod de veritis Presbyterorum, aliorumque clericorum appellationibus superiori anno sancitum fuerat, atque additur, *sicut et de Episcopis sæpius constitutum est.* Verba hæc quibusdam viris doctis, præsertim Natali Alexandro *Histor. Ecclesiast. dissert. 28. in sæc. IV. prop. 3. t. 4. p. 479. ed. cit.*, & Orsio Cardinali *Histor. ecclesiast. l. 27. n. 36. t. 12. p. 134. ed. Rom. falsa*, ac per fraudem adjecta videntur. Sed utut vera, & germana habeantur, certe eo canone prohiberi non possunt Episcoporum appellationes, quæ sæpius veritas dicuntur; & tamen nunquam eas veritas fuisse constat, quin earum *et remotissima*, & *recentia* exempla sunt, ut loquitur Augustinus. Adde, quod Africani Patres in Apiarii causa *usque ad inquisitionem Nicænorum curarunt servanda à Zosimo prolata statuta*, uti ipsi loquuntur *in cit. Ep. 2. ad Bonifacium I.*, ac denique cuncta sunt composita, uti patet ex epistola ad Bonifacium, quam describunt Mansius *t. 4. Concilior. p. 481.*, & Amortius *Elem. jur. canon. t. 1. in Append. p. 438. ed. Ven. 1763.* Quis credat, eo ipso anno, quo omnia sunt composita, contra jus hæcenus observatum, contra consuetudinem tum antiquioris, tum recentioris temporis, Episcopos appellare Summum Pontificem fuisse prohibitos? Itaque longe alius hujus canonis sensus est, quod solide, nervoseque ostendunt Fratres Ballerini *l. c. col. 966.*, & Cl. Zaccaria *Anti-Febron. t. 3. l. 3. c. 4. n. 12.* Scilicet eo canone id constituitur, ut Presbyteri ad transmarina judicia non confugiant, sed Prælati, aut universale concilium appellent; quæ appellatio ad Prælati, aut ad universale concilium sæpius de Episcopis constituta est. Id vero non excludit transmarinas appellationes Episcoporum; sed sicuti Episcopi in appellationibus, quas in provinciis interposuerant, iudices habebant Prælati, aut universale concilium, ita etiam Presbyteri, ac Diaconi iisdem iudiciis in postum uti jubeatur.

§. XXVIII. Lapsu temporum jus hoc appellationum ad Summum Pontificem etiam Ecclesiæ lege (1), & consuetudine (2) firmatum est. Verum utraque non novum jus constituit, sed jam constitutum, & hærens in Primatu confirmavit (3). Quare qui jus quarundam appellationum Summo Pontifici tantum esse putant ex jure Patriarchico, ii faciunt, ut quod ex jure Divino Pontifex habet, id ex jure Ecclesiastico habere videatur. Sed Patriarchas supra Episcopos posuit sola lex Ecclesiæ, Summum Pontificem ipse Christus. Itaque illi opus habent Ecclesiæ lege, sine qua Episcopis superiores non sunt, ut appellationes recipiant à sententiis Episcoporum; sed hac lege Ecclesiæ, & hoc jure Patriarchico opus non habet Summus Pontifex qui à Christo supra Episcopos jurisdictionem accepit.

(1) Jus appellationum ad Sedem Apostolicam confirmatum fuisse Sardicensi Concilio ita compertum, exploratumque est, ut se plane ecclesiasticæ historiæ rudes, & ignaros fateantur, qui huc etiam pertrahunt Isidorianas Decretales, quæ post quinque fere sæcula in manus hominum pervenerunt. Nolo in horum ineptiis refundendis frustra operam terere; quia si jam an. 347., quo Synodus Sardicensis habita est, jus appellationum ad Sedem Apostolicam probatum, confirmatumque fuerat, plane se deridendos præbent, qui ea de re initium juris positivi à falsis Isidori decretalibus ducendum esse arbitrantur. Sunt autem in Sardicensi Concilio canones tres, qui ad hunc locum pertinent, nimirum *can. 3. 4. 7. seu 5. t. 2. Concil. col. 659. collect. Labbæi. can. 3.*, ut ostendunt Fratres Ballerini *l. c. col. 947.*, non pertinet ad appellationes, quæ post omnia gradatim excusa judicia postremo loco ad Sedem Apostolicam interponuntur; sed pertinet ad secundum iudicium, quod statim post primum iudicium à Summo Pontifice constitueretur. Novum id quidem erat ex eorum temporum consuetudine, ut qui primo iudicio damnatus fuerat, non statim iret ad Episcopos finitimæ provinciæ, ut cautum erat Concilio Antiocheno *can. 14. Concil. t. 2. col. 591. collect. Labbæi*; propterea dictum est: "Si vobis placet, S. Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur, ab his, qui causam examinarunt, Julio Romano Episcopo, & si iudicaverit renovandum esse iudicium, renovetur, & det iudices." Sed ratio Primatus, & studium coercendi audaciam Eusebianorum, qui Romano Pontifici in causis Orientis jus suum eripere conabantur, fecit, ut novum illud jus constitueretur. De appellationibus diserte agunt Canones 4. & 7. seu 5., iisque constitu-

tum est, quod Summus Pontifex appellationes recipiat, ac det iudices appellantes, vel ipse *causa cognita sententiam ferat*. Quod clarius explicat interpretatio Dionysii Exigui *cit. can. 4.* quæ his est concepta verbis: "Cum aliquis Episcopus depositus fuerit eorum Episcoporum iudicio, & proclamaverit, agendum sibi negotium in Urbe Roma; alter Episcopus in ejus cathedra, post appellationem ejus, qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in iudicio Episcopi Romani determinata." Basnagius, Du-Pinius, Quesnellus, & ceteri, qui Sardicenses Canones in Oriente receptos negant, refutantur certissimis testimoniis, & monumentis, quæ, præter ceteros, collegerunt Fratres Ballerini *cit. t. 2. opp. S. Leon. col. 95. et t. 3. p. xxxiv. et seq.*, ac Josephus Sim. Assemanius *Biblioth. jur. Orient. t. 1. l. 1. c. 5. p. 110.* Reete Græcorum canonum interpres Theodorus Prodromus Senior apud Papadopolum *Prænot. mystag. p. 367.* de his canonibus Sardicensibus dicit hæc: "Damnatis in omni iudicio semper licet appellare ad Romanum Episcopum, & hujus imperio iterum iudicari, aut ab eo, aut à suis legatis." De Sardicensibus canonibus, præter Ballerinos, accurate, & copiose egerunt Natalis Alexander *Hist. eccles. Diss. 28. in sec. 4. t. 4. p. 462. et seq. cit. ed. Ven.*, Zaccaria *Anti-Febronio t. 3. l. 3. c. 3. p. 478. ed. Casenæ et Anti-Febr. vind. Diss. 8. c. 5. n. 5. p. 456. et seq. t. 3.*, & Marchettus *dei Canon del Concilio di Sardica par. 2. §. 2. p. 111.*, à quibus omnia, quæ contra jus appellationum ex his canonibus peti solent, graviter, ac solide refutantur.

(2) Appellationum, quæ ad Sedem Apostolicam ex omnibus mundi partibus interpositæ sunt, tum ante, tum post Sardicense Concilium, magnus numerus est. Anno 142. à iudicio Synopensis Episcopi, à quo ob stuprum de gradu dimotus fuerat, Marcio Romanam venit, ut à Sede Apostolica pacem, & communionem obtineret. Negant Launojus, de Marca, Du-Pinius, pluresque Prostantes, Marcionis appellationem veram esse appellationem, sed aliud ostendunt Bellarminus *De Rom. Pont. l. 2. c. 21. opp. t. 1. p. 331. ed. Ven. 1721.* Christianus Lupus *de Appellat. Diss. 1. c. 18.* Mansius, & Roncaglia *in Natal. Alexandr. Histor. eccles. sac. 4. Diss. 28. t. 4. p. 481. seq. ed. Ven. 1776.*, Zaccaria *Anti-Febron. par. 2. l. 3. c. 2. n. 2.* Anno 250. Privatus Lambesitanus damnatus à synodo 90. Episcoporum litteras communionis à S. Cornelio Pontifice fraudulenter impetrare conatus est; quod sane, non nisi cognita, & revocata synodi sententia, fieri poterat. Unde veram appellationem ipse Constantius educit *Ep. Pontif. Roman. in notit. Ep. Non extant. Steph. I. §. 2. n. 4. col. 223.* Biennio post Fortunatus, alii-que Africanæ Ecclesiæ Presbyteri; anno autem 262. Basilides Asuricensis, & Martialis Emeritensis Episcopus Apostolicam Sedem appellarunt. Cyprianus *Ep. 68. col. 253. ed. Baluzii Ven. 1728.*

nullam adversus hanc appellationem querelam proponit; tantum dicit eam obreptitiam, & ita jus appellationis agnoscit. Exemplum hoc vetusto juri appellationum confirmando aptissimum esse, animadvertunt Baluzius *Not. 27. in cit. Ep. 68. col. 260.*, & Fratres Ballerini *cit. t. 2. Opp. S. Leonis col. 931.* Eodem anno Paulus Samosatenus ab Antiocheno Concilio depositus suam iterum causam apud Felicem Pontificem agendam curavit; qua de re copiose agit Cl. Zaccaria *Anti-Febron. part. 2. l. 3. c. 2. §. 6.* Anno 313. Cæcilianus Carthaginensis Episcopus iudicatus, & eieectus à Synodo Carthaginensi multarum provinciarum Melchiam Pontificem appellavit, ab eoque, causa cognita, absolutus est. Denique anno 341. celebris est Athanasii appellatio, de qua agit Sozomenus *Hist. l. 3. c. 8. p. 102. ed. Cantabrig.*, ac Gelasius I. *Ep. 13. ad Dardam.* apud Labbæum *t. 5. col. 329. ed. Ven.* habet hæc: "Sanctæ memoriæ quippe Athanasium Synodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum Sedes Apostolica, quia damnationi Græcorum non consensus, absolvit." Atque hanc quidem appellationem in discrimen revocare ausus non est Constantius Arianus Imperator, sed tantum apud Liberium egit, ut ejus quoque iudicio Athanasius damnaretur, sicuti patet ex *Dialog. int. Liberium & Constantium* apud Coustantium *Ep. Pontif. Roman. col. 433. & seq.* Sunt & alia harum appellationum Sardicensi Concilio antiquiorum exempla, quæ omnia, præter ceteros, collegit Auctor dissertationis Romæ editæ 1768. *de Appellationibus ad Romanum Pontificem.* Post Sardicense Concilium plura etiam sunt de his appellationibus monumenta. Nam sæculo IV. Eusthatus Sebastenus Episcopus cum in Concilio Melitinensi Arianorum depositus fuisset, Liberium Pontificem appellavit, à quo restitutus est; qua de re confer ea, quæ diximus *l. 1. tit. 3. sect. 1. §. 18. not. 5. p. 179.* Eodem sæculo Petrus Alexandrinæ Ecclesiæ Sacerdos; itemque Instantius, Salvianus, Priscillianus Apostolicam Sedem appellarunt. Initio V. sæculi appellatio occurrit S. Jo. Chrysostomi, de qua multa à me dicta sunt *cit. p. 179.*, & quam adversus Launojum, Du-pinium, Quesnellium, Giannonium, Petrum de Marca, & ceteros late vindicant David *Jugemens canon. chap. 7. art. 5.*, Natalis Alexander *l. c. p. 466.* ibique Mansius *in Not.*, Pagius *in Baironium ad an. 404. n. 16. t. 6. p. 433. ed. Luca.*, Christianus Lupus *de Appellation. Dis. 1. c. 27.*, Bianchius *dell' Esterna Polizia della Chiesa t. 3. par. 2. p. 81.*, Zaccaria *Anti-Febronio t. 3. p. 503. & seq.* Atque hæc quidem Chrysostomi appellatio non fidei, sed meræ disciplinæ causam respiciebat; unde educitur, ut recte monet Natalis Alexander *p. 467.*, jus appellationum ad Sedem Apostolicam non tantum in rebus fidei, sed etiam disciplinæ. Pertinent ad idem sæculum V. appellationes Buballi, & Tauriani ad Innocentium I., uti patet ex ejus *Ep. ad Episc. Macedon.* apud Coustantium *col. 841.*, Cælestii Presbyteri, & Patrocli Arelaten-

sis ad Zosimum, qui utramque memorat *Ep. 2. ad Aurel. & ep. 5.* apud eundem Coustantium *col. 944. et 959.*, item quatuor illæ ex Africa appellationes, quas ab Augustino recenseri diximus, Pervii Episcopi, de quo loquitur Bonifacius I. *ep. ad Rufum 13.* apud Coustantium *col. 1036.*, Eutherii Thyanensis, & Helladii Tarsensis, qui nomine Episcoporum Euphratesiæ, utriusque Ciliciæ, Cappadocciæ secundæ, Bithyniæ, Thessaliæ, & Mœsiæ ad Sixtum III. confugerunt, uti constat ex eorum epistola apud Coustantium *col. 1245. et seq.*, Iddux Smirnenensis Episcopi ad eundem Sixtum III., qui eam memorat *ep. 9. n. 3. col. 1266.* apud Coustantium. De Gallicanis appellationibus celebre est testimonium S. Leonis M., qui *ep. 10. ed. Ballerin. t. 1. col. 634.* inquit, "à Gallicanis innumeris relationibus, esse consultam Sedem Apostolicam, & quemadmodum vetus consuetudo poscebat, per diversarum appellationem causarum, aut re tractata ab ea, aut confirmata fuisse iudicia." Mitto appellationes Chelidonii, Lupicini, Eutychetis, S. Flaviani, Theodoriti, Salomonis Presbyteri, Stephani Larissæi, Contumeliosi Episcopi Rejenensis, ceteras, quarum magnus est numerus, quæque ab iis, quos supra indica vi scriptoribus accurate describuntur. Consistam in appellationibus Honorati Archidiaconi Salonensis, Felicissimi, & Vicentii Diaconorum, Hadriani Episcopi Thebani, Joannis Presbyteri Isauriæ, Joannis Presbyteri Chalcedonensis, & Athanasii Monachi, Claudii Abbatis, Pauli Episcopi Africani, Florentii Episcopi Epidauri, Donati I conii Numidiæ, Januarii Malacæ, Alcisonis Corcyrensis, quarum appellationum omnium testis, est S. Gregorius M. *l. 1. Ep. 19. opp. 20. t. 2. col. 503. 504. 566., l. 3. Ep. 6. 7. 8. 9. et 53. col. 627. seq. et col. 662., l. 6. Ep. 14. 15. 16. 24. 63. col. 803. 804. 809. 838., l. 12. Ep. 8. col. 1186., l. 13. Ep. 45. col. 1250. seq., l. 14. Ep. 7. et 8. col. 1264. et 1266. ed. Paris. 1705.* Vide etiam Ferrandum *can. 59.* apud Justellum *Biblioth. jur. can. t. 1. p. 450. ed. Paris.*, & Capitularia Caroli M. *l. 7. c. 315.* apud Baluzium *Capitular. Reg. Fran. t. 1. col. 731. et c. 412. col. 745. ed. Ven. 1772.* Postremo rem concludam Gelasii I. verbis *Ep. 4. seu in Commonitor. ad Faustum Magistrum t. 5. Concil. col. 295. Collect. Labbæi cit. ed. Ven.* "nobis, inquit, op, ponunt canones, dum nesciunt, quid loquantur, contra quos hoc ipso venire se produnt, quod primæ sedi sana, rectaque suadenti parere fugiunt. Ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sedis examen voluere deferri; ab ipsa verò, nusquam prorsus appellari debere sanxerunt.

(3) Quæ de Primatus jure dicta sunt, ostendunt, ei prorsus hære jus appellationum; idque etiam confirmant exempla appellationum Sardicensi Concilio antiquiorum. Nam si jus hoc primum his canonibus statutum fuisset, nullæ ante eos occurrerent ad Apostolicam sedem appellationes. Hinc eas ex ipso jure Primatus repetunt S. Bonifacius I. *Ep. 14. ad Thessal. Epis. col. 1038.* apud Cou-

stantium, Agapitus *ep. 4. ad Justinianum Imperat.* apud Labbæum *Collect. Conc. t. 5. col. 942. ed. Ven.*, Agatho in Concilio Romano *ibid. t. 7. col. 606.*, Gelasius I. *in cit. Common. ad Faustum* apud Labbæum *t. 5. Conc. col. 297.*, Valentinianus III. *ep. ad Theodos. opp. S. Leon. p. 201. ed. Rom.*, & S. Bernardus *de considerat. ad Eugen. l. 3. c. 2. opp. t. 2. p. 370. ed. Ven. 1781.* Appellatur, inquit, de toto mundo ad te. Id quidem in testimonium singularis Primatus tui. Reliqui Patres, quos inter sunt S. Innocentius I. *ep. 2. ad Vittric. n. 6.* apud Coustantium *col. 749.*, Julius I. *Ep. I. ad Eusebian. n. 22.* apud eundem Coustantium *col. 386.*, Leo M. *ep. 10. ad Viennens. episc. c. 2. opp. t. 1. col. 634. ed. Ballerin.*, ceteri, quos mitto, nec nimius sim, hanc ajunt, perpetuo fuisse Ecclesiæ consuetudinem, ut ab omnibus Summus Pontifex appellaretur; quæ perpetua consuetudo tantum ad jus primatus referri potest. Ipse Quenellus, qui tanto studio appellationibus adversatur *Diss. 16. in S. Leon. §. 14. n. 4.* fateri vel invit debuit; "Gallicanos, cum appellationibus, ad ne reeperunt, respexisse ad Primatus Pontificis dignitatem, ac potentior, ut Irænaeus vocat principalitatem."

§. XXIX. Jus Patriarchicum inesse dicimus in Summo Pontifice, propterea quod lex Ecclesiæ quæ in Oriente inter ipsum, & Episcopos esse voluit Patriarchas, medium hunc gradum in Occidente non constituit; ideoque Pontifex Occidentis Patriarcha appellatur, quoniam eum quoque occupat in Occidente locum, qui in Oriente datus est certis Episcopis, quos Ecclesia ceteris in ea regione superiores fecit. Sed tum in Oriente, tum in Occidente Primas, & caput Ecclesiæ est; & jus annexum Potestati superiori, qualis est Primatus, ad inferiorem, quæ in illa inest, hoc est ad Patriarchatum, referri non potest. Simili modo si Princeps, qui summo potitur imperio, aut Ducis in bello, aut Judicis civilium controversiarum partes velit sustinere, quidquid in utroque munere gerit, non ex mera judicis, ducisve potestate gerit, sed ex potestate summi imperii, in qua utraque illa potestas insita & affixa est (1).

(1) Confer Heineccium *Elem. jur. natur. et gent. l. 2. c. 8. §. 156. et 157. et c. 9. §. 192. opp. t. 8. p. 213. et 229. ed. Neap. cit.*

§. XXX. Inter appellationes, quæ ex Oriente, quæ-

que ex Occidente ad Summum Pontificem interponuntur, hoc discrimen est, quod illæ, cum gradatim fiunt iudicium postulant Patriarcharum antequam Capituli, & Primatis iudicium subeant; hæ vero à Metropolitani statim ad hunc Primatem, & caput deferuntur. Sed utroque loco Primas est, qui appellatur, & qui iudicat. Si quid Pontifex ageret annexum soli Patriarchatu, non Primatu, id quidem ageret tamquam Patriarcha, non tamquam Primas; sed cum ipse habeat jus appellationum ex Primatu, non ex Patriarchatu, semper tamquam Primas appellationes recipit, quocumque ex loco procedant.

§. XXXI. Quod si jus appellationum oritur ex potestate, & jurisdictione, quæ in Primatu hæret, consequens est, ut Pontifex, cum ex ea potestate, & jurisdictione appellationes recipit, possit suo lubitu vel causas ipse cognoscere, vel iudices, qui eas cognoscant, constituere in loco unde appellatur. Ita in civili republica alterutrum facit Princeps arbitrato suo; quoniam jus appellationum adhæret in summa potestate, cum qua reipublicæ præpositus est. Alicubi quidem lex Ecclesiæ, aut consuetudo potest efficere, ut propter locorum longinquitatem, difficultatem rerum, aliasve causas ejusmodi dentur iudices in provincia, unde appellatio interposita est; verum neque Ecclesiæ lex, neque consuetudo potuit eripere Summo Pontifici potestatem, & jurisdictionem, quam à Christo accepit (1).

(1) Sane maxima pars appellationum, quas supra descripsi, pertinent ad iudicia, quæ à Summo Pontifice Romæ acta sunt; & Sardicensibus canonibus, uti ostendi loco superiore, diserte cautum est, ut Romæ causæ agerentur. Argumentum hoc, præter ceteros, solide, copioseque persequuntur Fratres Ballerini *cit. t. 2. Opp. S. Leonis col. 983.*, & Cl. Zaccaria *Anti-Febron. vindic. par. 3. Diss. 8. c. 6. p. 495. et seq.* Illud ridiculum, quod habet Dominicus Cavallarius *Instit. Jur. canon. par. 3. c. 28.* Is enim §. 4. "libens agnoscit, jus appellandi Romanam Sedem a synodorum inferiorum iudiciis, tamquam consecaneum, Primatus Romani Pontificis in universam Ecclesiam haberi posse; est enim Romanus Pontifex ceteris Episcopis superior; naturalis vero ratio dicit, ab inferioribus ad superiorem appellan-

dum." Tum §. 5. *et seq.* conatur ostendere, Romanos Pontifices eo jure usos non fuisse; postea Sardicensi Concilio eis dandi iudices facultatem fuisse concessam, hos canones serius fuisse receptos, denique per falsas Isidori decretales Summos Pontifices non tantum dandi iudices, sed etiam in iudicandi causis appellationum potestatem obtinuisse. Mitto omnia, quæ supra dixi, ac suis ipsis principiis Cavallarium urgeo. Si jus appellationum "consecaneum est Primatus Romani Pontificis in universam Ecclesiam, si ipse appellatur, quia ceteris Episcopis superior est, et naturalis ratio dicit, ab inferioribus ad superiorem appellandum," hoc est si jus appellationum originem habet à Jure Divino, à quo certe Primatus oritur, quid Summus Pontifex opus habuit canonibus Sardicensibus, aut falsis Isidori decretalibus? Non hæ decretales, neque illi canones dederunt jus appellationum, sed dedit ipse Christus, qui Primatum instituit. Mitto cetera, quæ Cavallarius cumulat contra jus appellationum, quod in ipso Primatu inesse demonstravimus. Nam ipsa sunt argumenta Bohemeri, Van-Espenii, Febronii, ceterorum, quos supra refutavimus, ut proinde eadem omnia quadrent etiam in Cavallarium, qui aliorum errores litteris consignavit. Simili plane de causa "in notis, ad titulum de Judiciaria Ecclesiæ potestate" separatim non refutavimus Cavallarium, qui *Inst. canon. par. 3. c. 2. et 3.* adversus iudiciariam in causis civilibus Ecclesiæ potestatem multa habet, quæ à Du-Pinio, Fevretio, Van-Espenio, ceterisque similibus desumpta sunt. Nam eorum ineptiis explosiis, atque reiectis, etiam Cavallario, cujus par omnino causa est, satisfactum arbitramur. Liceat mihi hoc loco, quoniam memoravi Isidori Mercatoris collectionem, cujus sæpe in his Institutionibus mentio occurrit, aliquid animadvertere, quod post editum tomum I. earumdem Institutionum, ubi de hac collectione disserui *p. 67. et seq.* intellexi ex Miss. epistola P. Burrieli data ad Franciscum Ravagum die 22. Decembris an. 1752., quam mihi legendum dedit V. Cl. Laurentius Hervas, qui etiam illius partem descripsit in opere, cui titulus *Storia della vita dell' Uomo t. 2. l. 4. c. 11. p. 191.* Tradit nimirum Burriellus, Isidorum usum præsertim fuisse Hispanica collectione canonum, cui multa addidit ingenio suo, multaque emendavit, atque detraxit, ut suum illud figmentum componeret, quod & ego observavi in *prolegomenis t. 1. c. 5. §. 6. p. 68. et seq.* Illud in primis monet ipse Burriellus, sese omnia Hispaniarum archiva diligentissime lustrasse, neque ullum unquam manuscriptum codicem ejus collectionis reperire potuisse; quod argumento est plane maximo, Hispanos, qui Isidorum conferentes cum ea collectione, quæ in omnium manibus versabatur, nullo negotio fraudem detegere potuissent. Isidori figmenta penitus ignorasse. Illam autem collectionem Gotico-Hispanicam describit Burriellus litteris ad Canonicum Petrum Tom. III.

de Castro datis die 30. Decembris an. 1754., quas equidem litteras apud eundem eruditum virum Laurentium Hervas legi. Scilicet ea continet canones XX. Nicænos; quos continuo sequuntur aliarum Græcarum Synodorum Canones in latinum sermonem conversi; sed hæc versio diversa est à Dionysiana, atque eadem magna ex parte est, quam dedit Isidorus Mercator, cujus nomine eam Harduinus edidit. Atque hæc causa est, propter quam multi in Galliis putaverint, Isidori collectionem in Hispaniis fuisse absolutam, quia nimirum Isidorus ex collectione Gotico-Hispanica fere integram Græcorum canonum versionem arripuit. Novum hinc argumentum educitur, ex quo patet, non modo nullas fuisse in hac Isidori collectione Pontificum Romanorum partes, sed ipsos etiam nullam ejus rationem habuisse; quam si habuissent, illam certe mississent ad Ecclesiam Hispanicam, quæ semper magnam habuit cum Romana Ecclesia conjunctionem. Sane pars altera collectionis Gotico-Hispanicæ constat ex Decretalibus Summorum Pontificum centum, ac duabus, iisque omnibus certæ fidei, quas sequitur Decretalis *de libris recipiendis*, & non recipiendis, unde Gratianus desumpsit *Can. Sancta Romana 3. Dist. 15.*, qui canon, uti testatur Burrielius *cit. Ep. ad Canon. de Castro*, in omnibus Codicibus non Gelasio, sed Hormisdæ tribuitur. Optandum maxime esset, ut præclara Hispanorum natio, quæ viris abundat ingenio, ac doctrina plenis, in lucem emitteret collectionem Gotico-Hispanicam, quam duabus illis litteris Burrielius memorat, quamque ipse illustravit; magnum exinde lumen acciperet ecclesiastica jurisprudentia, & multa forte occurrerent emendanda in operibus eorum, qui antiquas canonum collectiones ediderunt. Certe testatur Burrielius, multa se animadvertisse minus vere, & minus accurate scripta à Card. Aguirio, & à Cajetano Cennio, qui hæctenus visi sunt Hispanicæ Canonum collectiones omnium diligentissime expendisse.

TITULUS XVI.

De in integrum restitutione.

- | | |
|--|--|
| I. In integrum restitutio quid? | VII. Effectus restitutionis in integrum. |
| II. & III. Qui habeant beneficium restitutionis in integrum? | VIII. Supplicatio Principi oblata. |
| IV. Quibus in rebus detur? | IX. Confirmatio Apostolica. |
| V. & VI. Qui in integrum restituant? | X. Oris aperitio. |

§. I.

Qui appellationis remedio uti non potest, beneficium habet restitutionis in integrum, per quam omnia

in antiquum statum restituntur. Definitur autem in integrum restitutio à Paulo IC. (1) redintegrandæ rei, vel causæ actio (2). Datur hoc remedium extra ordinem, ut subsidio sit iis, quibus aliæ desunt actiones per quas jus suum consequantur. Quare cum actus ipso jure irritus est, aut cum aliud suppetit ordinarium civile remedium, in integrum restitutio dari non solet (3).

(1) *Recept. sentent. l. 1. tit. 7. §. 1.* apud Schultingium *Jurisprud. vet. Ante-Justinian. p. 233. ed. Lipsiæ 1737.*

(2) Actionis vocabulum generatim hic accipitur pro quovis juris remedio, quod quis vel intendit, vel à Magistratu conceditur, ut in *l. 37. ff. de Obligat. & action. Ab Isidoro Origin. l. 5. c. 25.* in integrum restitutio definitur, *causæ, vel rei reparatio.*

(3) *L. 17. ff. de Minor.*

§. II. Non temere, ac sine delectu, sed tantum justis de causis in integrum restitutio conceditur. Majores XXV. annis non restituuntur, nisi demonstrata causa læsionis, quæ culpa vacat: qualis est dolus alterius (1), causa metus, alienatio judicii mutandi causa facta (2), absentia, aut justus error (3); denique si qua alia iudici justa causa videatur (4). Minores annis XXV. propter lubricam ætatem, probata læsione, restituuntur (5); modo restitutio petatur intra quadriennium à tempore, quo minores esse desinunt.

(1) *Cap. 4. de In integr. restit., cap. 6. de his quæ vi metusve.*

(2) *L. 1. ff. de Alien. jud., c. 1. eod., c. 11. de jud.* Extat in Pandectis, atque in Decretalibus *titulus de Alienatione judicii mutandi causa facta.* Fit autem hæc alienatio, quoties pars altera, quæ litem habet, dolo malo jus suum in aliquem transfert, & facit commutationem, ut loquitur *c. 1. de Alienat. jud. mutand. caus.,* veluti si vendat, aut cedat potentioribus, ut adversario gravius negotium ingerat, atque ejus conditionem deteriore faciat.

(3) *L. 2. ff. de Restit. in integr., c. 4. eod.* Vide etiam Paulum *Recept. sentent. l. 1. tit. 7. §. 1.* apud Schultingium *l. & ed. cit. p. 233.*

(4) *L. 1. ff. Ex quib. caus. major., c. 4. de In integr. restit.*

(5) *L. 2. cod. de Filiisfam. min., c. 4. de In integr. restit.* Concessa autem in integrum restitutione minori, etiam ejus fidejussori succutitur, ut inquit Ulpianus in *l. 51. ff. de Procurat.* Consule Edmundum Merillium *Observ. l. 4. c. 10. p. 128. ed. Neap. 1720.*

de Castro datis die 30. Decembris an. 1754., quas equidem litteras apud eundem eruditum virum Laurentium Hervas legi. Scilicet ea continet canones XX. Nicænos; quos continuo sequuntur aliarum Græcarum Synodorum Canones in latinum sermonem conversi; sed hæc versio diversa est à Dionysiana, atque eadem magna ex parte est, quam dedit Isidorus Mercator, cujus nomine eam Harduinus edidit. Atque hæc causa est, propter quam multi in Galliis putaverint, Isidori collectionem in Hispaniis fuisse absolutam, quia nimirum Isidorus ex collectione Gotico-Hispanica fere integram Græcorum canonum versionem arripuit. Novum hinc argumentum educitur, ex quo patet, non modo nullas fuisse in hac Isidori collectione Pontificum Romanorum partes, sed ipsos etiam nullam ejus rationem habuisse; quam si habuissent, illam certe mississent ad Ecclesiam Hispanicam, quæ semper magnam habuit cum Romana Ecclesia conjunctionem. Sane pars altera collectionis Gotico-Hispanicæ constat ex Decretalibus Summorum Pontificum centum, ac duabus, iisque omnibus certæ fidei, quas sequitur Decretalis *de libris recipiendis*, & non recipiendis, unde Gratianus desumpsit *Can. Sancta Romana 3. Dist. 15.*, qui canon, uti testatur Burrielius *cit. Ep. ad Canon. de Castro*, in omnibus Codicibus non Gelasio, sed Hormisdæ tribuitur. Optandum maxime esset, ut præclara Hispanorum natio, quæ viris abundat ingenio, ac doctrina plenis, in lucem emitteret collectionem Gotico-Hispanicam, quam duabus illis litteris Burrielius memorat, quamque ipse illustravit; magnum exinde lumen acciperet ecclesiastica jurisprudentia, & multa forte occurrerent emendanda in operibus eorum, qui antiquas canonum collectiones ediderunt. Certe testatur Burrielius, multa se animadvertisse minus vere, & minus accurate scripta à Card. Aguirio, & à Cajetano Cennio, qui hæctenus visi sunt Hispanicæ Canonum collectiones omnium diligentissime expendisse.

TITULUS XVI.

De in integrum restitutione.

- | | |
|--|--|
| I. In integrum restitutio quid? | VII. Effectus restitutionis in integrum. |
| II. & III. Qui habeant beneficium restitutionis in integrum? | VIII. Supplicatio Principi oblata. |
| IV. Quibus in rebus detur? | IX. Confirmatio Apostolica. |
| V. & VI. Qui in integrum restituant? | X. Oris aperitio. |

§. I.

Qui appellationis remedio uti non potest, beneficium habet restitutionis in integrum, per quam omnia

in antiquum statum restituntur. Definitur autem in integrum restitutio à Paulo IC. (1) redintegrandæ rei, vel causæ actio (2). Datur hoc remedium extra ordinem, ut subsidio sit iis, quibus aliæ desunt actiones per quas jus suum consequantur. Quare cum actus ipso jure irritus est, aut cum aliud suppetit ordinarium civile remedium, in integrum restitutio dari non solet (3).

(1) *Recept. sentent. l. 1. tit. 7. §. 1.* apud Schultingium *Jurisprud. vet. Ante-Justinian. p. 233. ed. Lipsiæ 1737.*

(2) Actionis vocabulum generatim hic accipitur pro quovis juris remedio, quod quis vel intendit, vel à Magistratu conceditur, ut in *l. 37. ff. de Obligat. & action.* Ab Isidoro *Origin. l. 5. c. 25.* in integrum restitutio definitur, *causæ, vel rei reparatio.*

(3) *L. 17. ff. de Minor.*

§. II. Non temere, ac sine delectu, sed tantum justis de causis in integrum restitutio conceditur. Majores XXV. annis non restituuntur, nisi demonstrata causa læsionis, quæ culpa vacat: qualis est dolus alterius (1), causa metus, alienatio judicii mutandi causa facta (2), absentia, aut justus error (3); denique si qua alia iudici justa causa videatur (4). Minores annis XXV. propter lubricam ætatem, probata læsione, restituuntur (5); modo restitutio petatur intra quadriennium à tempore, quo minores esse desinunt.

(1) *Cap. 4. de In integr. restit., cap. 6. de his quæ vi metusve.*

(2) *L. 1. ff. de Alien. jud., c. 1. eod., c. 11. de jud.* Extat in Pandectis, atque in Decretalibus titulus *de Alienatione judicii mutandi causa facta.* Fit autem hæc alienatio, quoties pars altera, quæ litem habet, dolo malo jus suum in aliquem transfert, & facit commutationem, ut loquitur *c. 1. de Alienat. jud. mutand. caus.,* veluti si vendat, aut cedat potentioribus, ut adversario gravius negotium ingerat, atque ejus conditionem deteriore faciat.

(3) *L. 2. ff. de Restit. in integr., c. 4. eod.* Vide etiam Paulum *Recept. sentent. l. 1. tit. 7. §. 1.* apud Schultingium *l. & ed. cit. p. 233.*

(4) *L. 1. ff. Ex quib. caus. major., c. 4. de In integr. restit.*

(5) *L. 2. cod. de Filiisfam. min., c. 4. de In integr. restit.* Concessa autem in integrum restitutione minori, etiam ejus fidejussori succutitur, ut inquit Ulpianus in *l. 51. ff. de Procurat.* Consule Edmundum Merillium *Observ. l. 4. c. 10. p. 128. ed. Neap. 1720.*

§. III. Exemplo minorum, etiam Universitates habent in integrum restitutionem (1): similiter & Ecclesia eodem beneficio fruitur (2). Nomine autem Ecclesie Jurisconsultorum sententia, & usu fori omnia corpora ecclesiastica, monasteria, domus religiosæ, academie, hospitalia comprehenduntur. Restituitur Ecclesia, si detrimentum accepit, eaque restitutionem petat intra quadriennium, postquam illud pertulit; modo ab initio propter dolum, vim, metum, aut aliud justum impedimentum jus suum persequi non potuerit (3); & vero restituitur ubicumque sit læsa, etiam propter negligentiam Procuratoris, qui ejus jura, & documenta non protulit (4); contra confessionem sibi noxiam (5); contra lapsum fatalium (6); non solum contra laicum, sed etiam contra aliam Ecclesiam, quæ intulit detrimentum (7).

(1) *L. 4. cod. Ex quib. caus. major. in Integr. rest., l. 3. cod. de Jur. reipubl., l. 9. ff. de Appellat.*

(2) *Cap. 1. de In integr. restit., c. 2. eod. in 6., Clem. unic. eod.*

(3) *Cap. 1. de In integr. restit. in 6.*

(4) *Cap. 2. de In integr. restit.*

(5) *Cap. 2. eod. in 6.*

(6) *Cap. 3. de In integr. restit.*

(7) *Cap. 3. eod. At enim qui privilegium habet, eo uti non potest adversus illum, cui par est privilegium l. 12. §. 1. cod. Qui potior. in pignor. Verum id quidem est, si utraque Ecclesia de damno vitando agat; at si altera de damno vitando, altera de lucro captando agat, illam contra hanc restitui æquum est, uti similiter minor contra minorem restituitur l. 12. §. Item queritur ff. de Minor.*

§. IV. Datur in integrum restitutio etiam contra sententiam Principis (1), aut summi Pontificis (2), sed tantum uterque contra propriam sententiam, aut sui delegati restituit (3); datur præterea tam in judicio, quam extra judicium cum quis ex aliquo facto, aut contractu læsus est. Semel delegata non amplius conceditur, præterquam ad appellationem omissam; nisi deinceps nova prodierint monumenta, quorum gratia tribuenda videatur (4).

(1) *L. 1. & 2. cod. Si sap. restit. in integr. postul.*

(2) *Cap. 5. de In integr. restit.*

(3) *L. 18. ff. de Minor. 25. an., l. 3. cod. Si advers. rem jud.*

(4) *Cap. ult. de In integr. restit.*

§. V. Restituit autem Magistratus urbanus, vel provincialis, vel iudex in eam rem à Principe, vel à Magistratu datus (1). Municipalis Magistratus sine Principis mandato neminem restituere potest (2), quoniam non habet mixtum imperium, cujus præsertim est propria in integrum restitutio. Atque hi quidem concedunt in integrum restitutionem, quam ordinariam dicimus, quæ scilicet ab ipsa lege, atque intra certum tempus, puta intra quadriennium tribuitur. Nam extra ordinem, hoc est præter scripti Juris imperium, uti fit in transactionibus, & similibus, lapsoque tempore à lege constituto, solus Princeps restituit.

(1) Confer Cujacium in *cod. l. 4. tit. 46. opp. t. 10. col. 862. ed. cit.*

(2) *L. 26. ff. ad Municipal.,* Vide Scipionem Gentilem de *Jurisdic. l. 1. c. 32. opp. t. 3. p. 96. seq. ed. Neap. 1764.* Verum jure Codicis etiam Municipales Magistratus in integrum restituere posse, censet Oddas de *Restit. in integr. par. 1. qu. 32. art. 4.*

§. VI. Magistratus adversus suam, aut judicis inferioris, parisve potestatis sententiam restituit; inferior autem Magistratus contra superioris sententiam restituere non potest (1). Nostris moribus Iudex ordinarius, qui in Urbe principe jus reddit, quique ex omnibus provinciis appellatur, in integrum restituit adversus judicata Magistratum provincialium, & municipalium; sed contra ipsius judicatum à Principe in integrum restitutio conceditur. Alicubi mos est, ut propter incidencia in lite à iudice ordinario, cum vero agitur de præcipuo negotio, veluti de contractibus, transactionibus, hæreditatum aditionibus, aut repudiationibus, præscriptionibus, rebus judicatis, ceterisque similibus, non nisi à Principe, vel ab eo, cui data hæc potestas à Principe est, restitutio tribuatur (2).

(1) Consule Cujacium *l. c.*, & in *l. 16. ff. de Minor. 25. an. opp. t. 1. col. 868. ed. cit.*, & Donellum *de Jur. civil. l. 11. c. 14. §. 3. opp. t. 5. col. 1243. seq. ed. Lucae cit.*

(2) Vide Voetum in *Pandect. l. 4. tit. 1. n. 3. & 4.*

§. VII. Petita in integrum restitutione omnia in suo statu manere debent, donec res finita fuerit (1); & ideo latae sententiae executio suspenditur, perinde ac appellatio interposita fuisset (2). Ea vero inde impetrata omnia ad pristinum statum vocantur, laesio removetur, & quae sua sunt unusquisque recuperat (3). Nam restitutio prodest non tantum illi, qui eam impetrat, sed etiam illi, contra quem conceditur, quoniam utriusque suumtribuendum est. Sed qui rem recuperat, solvere debet impensas quas alter in rem fecit (4).

(1) *L. un. cod. in Integr. restit. postul. ne quid novi fiat.*

(2) *Cap. 6. de In integr. restit.*

(3) *L. 25. §. Restitutio ff. de Minor.*

(4) *Cap. 1. de In integr. restit., C. 11. de reb. eccles. alien.*

§. VIII. Etiam à supplicatione Principi oblata, quam & revisionem appellamus (1), adjuvantur ii, qui appellationis, remedio uti nequeunt. Quae supplicatio dici potest querela adversus molestiam, sive gravamen iudicis, à cuius sententia propter ejus excellentiam statuto, aut Principis constitutione appellare non licet (2). Ea vero si proponatur intra decem dies post latam sententiam; efficit, ut eadem sententia non aliter exitum habeat, nisi victor fidejussionem præbuerit tantum restituendi cum ultimis augmentis, quantum fuerit in condemnatione, si sententia revocetur (3). Elapso quoque decennio recte intra biennium hæc supplicatio proponitur; sed tunc nulla cautione opus est, ac sententia statim vim, & exitum habet (4).

(1) Multi supplicationem à revisione distinguunt, & hæc illi quidem affinem, non omnino similem faciunt. Confer Bendorum *de Revision. in proem. n. 18. & seq.*, & Hilligerum *ad Donellum de Jur. civil. l. 28. c. 6. §. 15. not. 22. t. 6. col. 418. & 419. ed. Lucae cit.*

(2) *L. un. cod. de Sentent. præf. prætor.*

(3) *Auth. Quæ supplicatio cod. de Precib. Imper. offeren.*, quæ Authentica sumpta est ex *Novell. 119. c. 5.* Vide Cujacium in *cod. de Sentent. Præf. Prætor. opp. t. 9. col. 989. ed. cit.* Sed jam plerisque in locis fori usu receptum est, ut supplicatio intra dies decem Principi oblata sententiæ executionem suspendat, neque ulla habeatur ratio cautionis *de restituendo*, quam forte victor emittere velit.

(4) Consule Voetum *ad Pandect. l. 49. tit. 2.*, qui ea de re copiose disputat.

§. IX. Quemadmodum vero qui causa cecidit, iudicium antea gestum infirmari postulat, ita qui superior discessit, illi vim majorem sæpe addendam curat, quod fit potissimum Apostolicæ Sedis Confirmatione. Agunt ea de re Decretales in titulo *de Confirmatione utili, vel inutili*. Apostolica hæc confirmatio, cum facta est causa cognita, præcedit omnem controversiam; adeo ut res à Summo Pontifice confirmata amplius in discrimen revocari non possit. Contra vero si edita est re non cognita, atque *in forma communi*, ut ajunt, ea quidem impedimento non est, quominus iudex rem noscat; quia confirmatio conditionem habet, modo justa sit sententia, de qua quærebatur (1).

(1) *Cap. 1. ibique Glossa, v. Confirmationem, & c. 2., & c. 7. de Confirmat. util. vel inutil., c. 5. de Concess. præben., c. 14. de Offic. & potest. delegat.*

§. X. In primis autem curandum est, ut à Pontificia confirmatione procul absit omne obreptionis, aut subreptionis vitium; scilicet ea non est impetranda aut falsa narrando, aut vera malitiose reticendo (1). Quod merito transfertur etiam ad cetera Apostolicæ Sedis mandata, decreta, confirmationes, quæ, cum in iis obreptio, aut subreptio inest, vim nullam habent. Hodie de vi, aut justitia privilegii, mandati, aut confirmationis Sedis Apostolicæ disputari non solet; nisi primum ab ipso Pontifice *oris*, ut vocant, *aperitio* fuerit impetrata.

(1) *Cap. 1. et 2. de Confirmat. util. vel inutil.*

De arbitris.

- | | |
|---|---|
| I. Per arbitros, & transactiones lites tolluntur. | dicare debeant; & quid agendum, si inter se dissentiant? |
| II. Qui arbiter? | X. Quando arbitri cogendi ad ferendum iudicium? |
| III. Arbiter vel necessarius, vel voluntarius. | XI. Quomodo ab arbitris iudicandum? |
| IV. Quibus in rebus necessarii arbitri assumantur? | XII. Quæ causæ rejiciant arbitrium? |
| V. Arbitri voluntarii nullam habent jurisdictionem. | XIII. Arbitri iudicium ad boni viri arbitrium quando redigatur? |
| VI. Sententia ab arbitrio lata quam vim habeat? | XIV. Quis arbitri executionem decernat? |
| VII. Qui arbitri esse possint? | XV. Quomodo exspirent arbitria? |
| VIII. Unus ne, an plures arbitri eligendi? | |
| IX. Quomodo plures arbitri ju- | |

§. I.

Forensem strepitum longasque, ac periculosas iudiciorum ambages declinaturi non raro controversias omnes arbitrorum fidei dijudicandas committimus, aut initis mutuo consensu pactis, & transactionibus sedamus, atque componimus. Itaque posteaquam de iudiciis actum est, aliqua etiam de arbitris, & aliqua item de pactis, & transactionibus addenda sunt.

§. II. Arbiter in libris juris civilis sæpe est iudex à Prætore datus (1); sed tamen distinguitur ab eo, quem proprie iudicem appellamus (2). Qui bonæ fidei iudiciis datur, arbiter, qui stricti juris, iudex est, uterque constituitur à Magistratu, qui dati ab se iudicis, aut arbitri sententiam exequitur (3). Nobis hoc loco arbiter est iudex ad cognoscendam, finiendamque controversiam litigantium voluntate constitutus, sive id ipsi legis imperio fecerint, sive sponte sua (4).

(1) L. 3. cod. Commun. divid.

(2) L. 7. ff. ad l. Jul. repet., l. 15. ff. de Re jud. §. 1. Inst. de Act.

(3) L. 15. cit. ff. de Re jud. Confer Brissonium de Verb. signific. v. Arbiter.

(4) Arbiter ab eo distinguitur, quem nos arbitratorem vocamus, quod quidem vocabulum Jus Civile ignoravit, rem tamen ipsam recte novit. Arbitrator autem dicitur, qui sine ulla iudicii forma ex æquo, & bono lites suo consilio, & auctoritate studet componere l. 14. §. Recepisse ff. de Recept. qui arbitr. recep., vel conventiones, aliaque ad finem bonum perducit, adhibeturque in contractibus, ut rerum pretia, mercedem operarum, lucrum, aut damnum, ceteraque similia boni viri arbitrio constituat l. 70. §. Gener. ff. de Jur. dot., l. 76. 77. 78. 79. ff. Pro socio, §. 1. Inst. de Locat., §. 2. Inst. de Empt., l. ult. cod. de Contrahen. empt. Confer Cujacium in l. 4. qu. Pauli l. 77. opp. t. 5. col. 966. seq.

§. III. Nam alii sunt arbitri, quod ipsi quidem litigantes sumunt, sed legis jussu, & alii sunt, quos ipsi suo arbitrio, ac libera voluntate constituunt; & hi voluntarii, illi vero necessarii appellantur (1). Arbitri necessarii veri iudices sunt, quoniam dantur à lege, vel Principe, vel Magistratu, qui eos eligere cogunt; ideoque habent jurisdictionem, eorumque sententia vim accipit rei iudicatæ, ab eaque appellatur (2). Retinent tamen nomen arbitratorum, quoniam mutuo partium consensu eliguntur, ut arbiter pro socio, tutelæ (3).

(1) Arbitri libera litigantium voluntate electi proprie compromissarii, legis autem imperio constituti iuris arbitri dicuntur. Atque hi quidem originem ducunt à iudicibus, qui olim dabantur in negotiis bonæ fidei partium voluntate electi l. 17. ff. de Jud., qui ex æquo, & bono arbitrari de lite poterant, & quorum in Jure Romano sæpe mentio est l. 7. ff. de Negot. gest. l. 1. ff. de Pact. dotal. l. 47. ff. Famil. ercisc. Quin etiam, hi dabantur ad articulos incidentes definiendos, veluti ad probandos fidejussores, à quibus etiam appellari poterat, cum instar iudicium pedaneorum essent l. 9. ff. Qui satisd. cogan.

(2) L. 9. ff. Qui satisd. cogan., l. 23. ff. de Appellat., c. 11. de Offic. deleg. in 6.

(3) Consule Cujacium in l. 16. cod. de Jud. opp. t. 9. col. 153. ed. cit.

§. IV. Plura autem negotia sunt, quæ leges ab his

arbitris expediri volunt. Ita jure civili si delegati judices suspecti habeantur, eligendi sunt arbitri, qui ipsam principem causam dijudicent (1); itemque jure canonico cum judices super revocatione Litterarum Apostolicarum inter se non consentiunt (2), aut cum datus judex suspectus est, arbitri constituuntur (3). In Africana Ecclesia eligi debebant arbitri, qui noscerent appellationes à sententia synodi provincialis (4); & nunc jure municipali quarumdam regionum sancitum est, ut eorum, qui inter se certo cognationis gradu conjunguntur, lites arbitrorum judicio committantur.

(1) L. 16. *cod. de Jud.*

(2) *Cap. 11. de Offic. et potest. delegat. in 6.*

(3) *Cap. 39. de Offic. et potest. deleg., c. 14. de Rescript., c. 41. §. 2., et c. 61. de Appellat., c. 4. de For. competen.*

(4) *Can. 96. cod. African. apud Dionysium Exiguum in Biblioth. Justelli t. 1. p. 382.*

§. V. Arbitri voluntarii nullam habent jurisdictionem, sed tantum notionem, nec proprie judices sunt, quos privatorum consensus facere non potest (1); sed tantum ex compromisso judicis partes suscipiunt (2). Compromissum est conventio, qua litigantes controversiam alicujus judicio subjiunt, spondentque, se arbitri sententiæ parituros (3). Accepta ab arbitro conventio *receptum* dicitur (4). Hoc autem promittunt litigantes, vel mutua stipulatione, vel nudo pacto, & interdum etiam pro eorum arbitrio adjecta pœna per quam ipsi firmiori vinculo obstringuntur.

(1) L. 3. *cod. de Jurisdic.*

(2) L. 14. §. 2. *ff. de Recept. arbitr. qui arbitr. recep.*

(3) L. 11. §. 2. *ff. cod., c. 10. de Arbitr.*

(4) L. 23. §. 2. *ff. cod., c. 4. de Arbitr.*

§. VI. Antiquo jure etiam jurisjurandi religione compromittentes suam obligabant fidem; tum id vetuit Justinianus (1); sed jure canonico recte emittitur jusjurandum, & emissum valet (2). Cum compromisso adjecta pœna est, quæ adjectur, & omittitur arbitrio li-

tigantium (3), tum civili, tum canonico jure locus est petitioni pœnæ, non exceptioni rei judicatæ, quam arbitrio minime parit (4); cum pœna est omissa, *incerti actio* à jure civili comparata est (5). Justiniani lege (6) si pacto sine pœna est *arbitri sententiæ stari*, & litigantes aut sententiam subscripserint, aut decem dierum silentio confirmaverint, reo pacti exceptio, actori in factum actio conceditur. Sed hodie sublatis jam civilis juris subtilitatibus, quodvis compromissum, etiam nudo pacto initum, actionem, & exceptionem parit. Nam passim recepta sententia est, etiam ex nudo pacto actionem, & exceptionem oriri; sive id ex jure canonico, aut potius ex ejus interpretatione in mores tractum fuerit, sive quod labentibus annis grave, & absurdum visum fuerit, etiam in nudis pactis fidem fallere (7).

(1) *Auth. Decernit cod. de Recept. & arbitr., Novell. 82. c. 11. §. 1.*

(2) *Cap. 2. de Arbitr.*

(3) L. 32. §. ult. *ff. de Recept., c. 9. de Arbitr.*

(4) L. 2. *ff. de Recept., c. 9. de Arbitr.*

(5) L. 32. §. ult. *ff. de Recept.*

(6) L. 5. *cod. de Recept. & arbitr.*

(7) Confer Gudelinum *de Jur. novissim. l. 3. c. 5. n. 8. & seq.*, Vinnium *de Pactis c. 7.*, Voetium *ad Pandect. l. 2. tit. 14. n. 9.*, Grotium *Manud. ad jurispr. Holland. l. 3. c. 1.*

§. VII. Omnes, qui judices, ii ferme arbitri esse possunt, sive sint privati homines, sive magistratus (1), judicesve ordinarii, aut delegati (2). Quin etiam ab hoc officio non repelluntur infames, et libertini (3), filii quoque causam patris cognoscere non prohibentur (4). Haud tamen arbitri constitui possunt servi, pupilli, furiosi, amentes, et similes (5), minores annis viginti (6), itemque ex jure civili mulieres (7); quamquam eis jus canonicum arbitrium permittat, si lege, aut moribus ordinariam habeant jurisdictionem (8). Laici quoque in rebus spiritualibus arbitri esse nequeunt (9), nisi cum Episcopi auctoritate clericis sint adjuncti, aut jussi à Summo Pontifice arbitrium susceperint (10); denique

excommunicati vitandi, quorum societatem refugimus, arbitri munere fungi non possunt.

- (1) *L. 3. & 4. ff. de Recept. arbit. qui arbit.*
 (2) Inquit Ulpianus in *L. 9. ff. eod.* non posse judicem arbitrium recipere ejus rei, de qua judex est. Sed civili juri à Canonico derogatum plerique sentiunt. Ut sit, certe jure Canonico tum ordinarii, tum delegati judices arbitri esse possunt, uti patet ex *C. 5. 7. 10. de Arbitris, & c. 14. de Præsumpt.*
 (3) *L. 7. ff. de Recept. arbit. qui arbit., can. 2. §. cognitores c. 3. 9. 7.*
 (4) *L. 6. ff. eod.*
 (5) *L. 9. ff. de Recept. arbit. qui arbit. recept.*
 (6) *L. 46. ff. eod.* Late ea de re disputat Voetus *ad Pandect. l. 4. tit. 8. n. 7.*
 (7) *L. ult. Cod. de Recept. & arbit.*
 (8) *Cap. 4. de Arbitr.* Cujus historiam tradit Mantique *Annal. Cisterc. t. 3. an. 204. c. 5.* Confer etiam Cujacium *Observ. l. 13. c. 23. opp. t. 3. col. 348. ed. cit.*
 (9) *Cap. 8. de Arbitris.*
 (10) *Cap. 9. eod.*

§. VIII. Tam unus, quam plures arbitri constitui possunt, iique tum pares, tum impares numero; licet satius sit impares numero eligere, ut hoc modo, si dissentiant, ratum firmum habeatur quod à pluribus definitum fuerit (1). Nam scitum est, quod cum omnium, qui judices dati sunt, sententiæ inter se non conveniunt, litem finit judicium, quod plures numero ediderunt; cum autem cuncti sunt opinione discordes, præfertur sententia ejus, qui minorem summam constituit, quoniam summa minor in majori continetur, ideoque omnes in eam consenserunt (2).

- (1) *Cap. 1. de Arbitris.*
 (2) *Cap. 1. eod. in 6., L. 32. §. Si plures ff. de Recept. arbit. qui arbit.*

§. IX. Jure civili, cum plures arbitri electi sunt, omnes conjunctim judicare debent; nisi cautum nominatum sit ut uno absente, reliqui negotium expediant (1). At jure canonico si unus citatus, nec impeditus adesse non lit recte præsentis controversiam finiunt (2); quod rectis-

sime sancitum est, ut lites exitum habeant celeriore. Quod si duo arbitri constituti sint, iique inter se in judicando dissentiant, secundum jus civile tertius sumitur in compromisso designatus; sed eo non designato, solvitur compromissum, quoniam in hoc tertio eligendo arbitri dissentire possunt (3). Sed hodie semper duobus arbitris, quorum est dissimile judicium, integrum est tertium, etiam non nominatum, sumere, qui litem finiat; modo litigantes expresse non contradicant (4); quod juris canonici disciplinæ consentaneum est (5).

- (1) *L. 19. §. Item, & L. 20. & 21. ff. de Recept. arbit.*
 (2) *Cap. 2. de Arbitris in 6.*
 (3) *L. 19. §. Si in duos ff. de Recept. arbit.*
 (4) Arbitris dissentientibus posse litigantes à compromisso resilire certum est, cum id eis à lege permittatur. Itaque si litigantes testationibus suis denuncient, ne tertius eligatur, aut ne sententiam dicat, non intelligo, quomodo hic tertius, in quem nunquam litigantes consenserunt, arbiter efficiatur; cum nemo sine partium voluntate satis idoneus arbiter esse possit. Consule Voetum *ad Pandect. l. 4. tit. 8. n. 13.*
 (5) *Cap. 61. de Appellat.*

§. X. Arbitri judicium sponte suscipiunt, quoniam, ut eleganter inquit Ulpianus (1), hæc res libera, et soluta est, et extra necessitatem jurisdictionis posita. Sed quod initio voluntarium erat, fit postea necessarium; quoniam qui arbitrium susceperunt, videntur suam obligasse fidem, quam eos liberare oportet. Itaque arbitri semel suscepto munere omnino fungi debent, et repugnantes coguntur imperio magistratus (2); nisi justam habeant causam, propter quam sui officii partibus non satisfacere impune possint. Ita si litigantes arbitrium infama-verint, aut eo spreto et contempto ad alium arbitrum (3) iverint, si graves inter ipsos inimicitiae ortæ sint, impune arbitrium adjicitur; similiter adversa valetudo, necessaria profectio, munus reipublicæ, aliaque similia justam præbent abjiciendi, aut saltem differendi arbitrii causam (3).

- (1) *L. 3. §. 1. de Recept. arbit.*
 (2) *L. 3. §. 1. cit., & L. 22. ff. eod.*

(3) Confer Huberum *Prælect. ad pand. l. 4. tit. 8. n. 7.*, & Heineccium *eod. loc. §. 540. opp. t. 2. p. 135. ed. Neap. 1769.*

§. XI. Pendet autem ex indole præsertim, et ratione compromissi, quo modo, quove ordine procedere, quam potestatem habere, quam contra non habere, quot numero esse, intra quod tempus, et quibus de rebus arbitri judicare debeant (1). Generatim ferenda est ab arbitris sententia loco, in quem compromissum fuit (2); die non feriato (3); tempore convento, nisi litigantes nullum tempus definiverint, vel ejus prorogandi arbitris dederint facultatem, vel arbitri jurent, sibi nondum liquere (4); partibus præsentibus publicanda est (5), nisi aliud populorum moribus receptum sit; denique ferenda est de negotio, quod datum fuit, non de alio (6); et si plura negotia commissa sunt, de omnibus est judicandum (7). Possunt quoque arbitri alios eligere, qui controversiam definiant cum hanc potestatem à litigantibus acceperunt (8), non item cum ea de re nihil actum est (9).

(1) Confer *Cap. 1. et 12. de Arbitris.*

(2) *L. 27. §. Si arbiter ff. de Recept. qui arbitr. recep.*

(3) *L. 2. & 7. Cod., & L. 41. ff. de Recept. qui arbitr.*

(4) *L. 14. l. 30. l. 38. l. 55. ff. de Recept. qui arbitr. recep.*

(5) *L. 32. §. Si quis ff. eod.*

(6) *L. 37. §. de Officio ff. eod.*

(7) Id vero plenum compromissum appellatur *L. 25., & l. 27. §. Plenum ff. eod.*

(8) *Cap. 13. de arbitris.*

(9) *L. 37. §. Quæsitum ff. de Recept. qui arbitr. recep.*

§. XII. Non in omnibus tamen causis arbitrii adhiberi possunt, sed in iis tantum, quæ privati arbitrii sunt; quoniam per simplicem arbitri notionem expediri non possunt, quæ ad jus publicum pertinent, et publicam auctoritatem desiderant. Ergo rejiciunt arbitrium causæ restitutionis in integrum, criminales, in quibus criminaliter agitur, item causæ status, scilicet ingenuitatis, natalium, libertatis (1), actiones populares, et famosæ (2), similiter causæ matrimoniales (3);

quippe quæ omnes vires superant privatæ potestatis. Etiam causæ exemptionum, quod in iis agitur de jure Summi Pontificis, per compromissum nosci, expediri que non possunt (4).

(1) *L. 37. §. Julianus de Recept. qui arbitr. recep., l. ult. cod. Ubi et apud quem cognosc. restit. in integ., c. 9. de In Integr. restit.*

(2) *L. 37. §. Julianus ff. de Recept. qui arbitr. recep.*

(3) *Cap. penult. de In Integr. restit.* Verum sponsalia de futuro non rejiciunt compromissum, quoniam ea mutuo consensu dissolvuntur *Cap. 2. de Sponsal.*

(4) *Cap. 5. de Arbitris.*

§. XIII. Arbitrii pronuntiatio sententia proprie non est, sed à jurisconsultis arbitrium (1), passim vero fori usu laudum vocatur (2). Ab eo non datur appellatio, quoniam absurdum esset diuturna lite vexare eos, qui ad arbitros iverunt, ut se à litium ambagibus, et impensis liberarent; arguere vero semetipsum debet qui compromisit, si minus æquum judicem elegit (3). Verum ut sententiæ ab arbitro prolata iniquitas, atque error emendetur, passim in foro receptum est, ut illa ad arbitrium boni viri redigatur. Quam reductionem intra decem dies postulat, qui causa cecidit, atque ita vim, et cursum sententiæ suspendit (4). Magnam autem hæc reductio cum appellatione affinitatem habet, ac per eam negotia arbitris antea commissa ad ordinarium judicem deferuntur.

(1) *L. 9. ff. Qui satisd. cog.*

(2) Inferiori latinatis ævo *judicare dictum est laudare.* In *l. 2. de Feudis c. 20.* scriptum est: *laudatum sive scio,* hoc est *judicatum.* Consule Hotomannum *de verb. Feudal.* Turnebus *Advers. l. 14. c. 12.* vehementer objurgat jurisconsultos, quod barbaro *laudi* vocabulo utantur, cum arbitri sententia *arbitrium* latine dicantur. Verum hoc quidem est, quod Turnebus dicit de barbarie vocabuli *laudi* sed elegantiores jurisconsulti *arbitrii* verbo usi sunt, & ita sane loquitur *Cajus cit. l. 9. ff. Qui satisd. cog.*

(3) *L. 32. §. Stari ff. de Recept. qui arbitr.*

(4) Confer Voetum in *Pandect. l. 4. tit. 8. n. 25. et seqq.*

§. XIV. Ceterum cum arbitri voluntarii nullam ha-

beant jurisdictionem, eorum arbitrium vim, et exitum non habet nisi præsto sit auctoritas Magistratus, seu Judicis ordinarii, cujus imperio arbitri executio perficitur. Hoc autem imperium ad illud exequendum non accomodat Magistratus, nisi primum re cognita intelligat, dignum revera esse arbitri judicium, quod à litigantibus observetur.

§. XV. Expirant arbitria mutuo consensu, morte compromittentium, nisi etiam heredum facta sit mentio (1), uno alterove ex arbitris mortuo (2), nisi cautum compromisso sit, ut uno ex arbitris vita functo reliqui judicent (3), lata sententia, interitu rei, de qua litigatur lapsa tempore constituto, nisi illud justis de causis, uti demonstratum supra est, prorogatum fuerit.

(1) *Cap. 10. et ult. de Arbitr., L. 32. §. Si heredis ff. de Recept. arbitr.*

(2) *Cap. 50. de Testibus.*

(3) *Cap. 42. de Offic. et potest. delegat.*

TITULUS XVIII.

De pactis & transactionibus.

- | | |
|--|---|
| I. Quid pactum? | VI. Ut ea valeat, quæ requirantur. |
| II. Pacti liberatorii exempla. | VII. Effectus transactionis. |
| III. Pacta Sacris Canonibus non probata. | VIII. Qui transigere possint? |
| IV. Pacta observanda. | IX. Quibus de rebus transactio fieri nequeat? |
| V. Transactio quid? | |

§. I.

Non solum arbitris, sed etiam pacto, et transactione lites finire possunt. Pactum ab Ulpiano definitur (1) duorum, vel plurium in idem placitum consensus, patetque latissime in jure de pactis disputatio. Nos hoc titulo non de pactis universe agimus, sed illud tantum persequimur genus pactorum, quibus lis extinguitur, et quæ vulgo *liberatoria pacta* appellantur.

(1) *L. 1. ff. de Pactis.*

§. II. Pacti liberatorii in jure civili multa exempla sunt (1), atque illud prodest ad exceptionem, quæ vel pacti conventi exceptio, vel exceptio doli dicitur, quoniam dolo agit, qui contra pacti fidem agit (2). Jure quoque canonico cautum, et provisum est, ut pacta diligenter observentur, adhibita etiam, ubi opus fuerit, judicis auctoritate (3); modo pactum honestum, licitum, possibile sit (4), jus tertii non lædat (5), fiatque ab iis, qui paciscendi obtinent potestatem.

(1) „Si paciscar, ne judicati, vel incensarum ædium agatur, pactum valet. Si paciscar, ne operis novi nunciationem exequar... si ex re familiari operis novi nunciatio sit facta, liceat pacisci.“ Sunt hæc liberatorii pacti exempla, quæ proponit Ulpianus in *L. Jurisgentium 7. §. Si paciscar ff. de Pactis*. Simile est exemplum Pauli in *L. 27. §. Si cum mihi ff. eod.* cujus hæc verba sunt: „si cum mihi decem deberes, pepigero, ne à te viginti petam, in decem tibi prodesse pacti conventi, vel doli exceptionem placet.“

(2) *Doli exceptionem subsidium esse pacti exceptionis* inquit Ulpianus *L. 10. §. Plerumque ff. de Pactis*.

(3) *Cap. 1. & 3. de Pactis.*

(4) *Cap. 4. §. ult. eod.*

(5) *Cap. 7. eod., c. 2. eod. in 6.*

§. III. Pacta quæ sacris canonibus nominatim improbantur, sunt pactum de beneficio ecclesiastico pecunia, aut alia re pretio æstimari solita resignando (1); de concedenda ecclesia ea lege, ut post obitum provisi alius succedat (2), de solvenda graviori pensione, ut quis facilius ecclesiam obtineat (3); pactum quo monachi aliis sua bona locant, ut hi aut decimas sibi solvant, aut apud eosdem eligant sepulturam in perniciem ecclesiæ parochialis (4).

(1) *Cap. 4. de Pactis.*

(2) *Cap. 5. eod.*

(3) *Cap. 6. eod.*

(4) *Cap. 7. eod.*

§. IV. Cetera pacta, quæ non bonis moribus adversantur, non res impossibiles, turpesve continent, non in animæ detrimentum vergunt, postremo, quibus nihil

beant jurisdictionem, eorum arbitrium vim, et exitum non habet nisi præsto sit auctoritas Magistratus, seu Judicis ordinarii, cujus imperio arbitri executio perficitur. Hoc autem imperium ad illud exequendum non accomodat Magistratus, nisi primum re cognita intelligat, dignum revera esse arbitri judicium, quod à litigantibus observetur.

§. XV. Expirant arbitria mutuo consensu, morte compromittentium, nisi etiam heredum facta sit mentio (1), uno alterove ex arbitris mortuo (2), nisi cautum compromisso sit, ut uno ex arbitris vita functo reliqui judicent (3), lata sententia, interitu rei, de qua litigatur lapsa tempore constituto, nisi illud justis de causis, uti demonstratum supra est, prorogatum fuerit.

(1) *Cap. 10. et ult. de Arbitr., L. 32. §. Si heredis ff. de Recept. arbitr.*

(2) *Cap. 50. de Testibus.*

(3) *Cap. 42. de Offic. et potest. delegat.*

TITULUS XVIII.

De pactis & transactionibus.

- | | |
|--|---|
| I. Quid pactum? | VI. Ut ea valeat, quæ requirantur. |
| II. Pacti liberatorii exempla. | VII. Effectus transactionis. |
| III. Pacta Sacris Canonibus non probata. | VIII. Qui transigere possint? |
| IV. Pacta observanda. | IX. Quibus de rebus transactio fieri nequeat? |
| V. Transactio quid? | |

§. I.

Non solum arbitris, sed etiam pacto, et transactione lites finire possunt. Pactum ab Ulpiano definitur (1) duorum, vel plurium in idem placitum consensus, patetque latissime in jure de pactis disputatio. Nos hoc titulo non de pactis universe agimus, sed illud tantum persequimur genus pactorum, quibus lis extinguitur, et quæ vulgo *liberatoria pacta* appellantur.

(1) *L. 1. ff. de Pactis.*

§. II. Pacti liberatorii in jure civili multa exempla sunt (1), atque illud prodest ad exceptionem, quæ vel pacti conventi exceptio, vel exceptio doli dicitur, quoniam dolo agit, qui contra pacti fidem agit (2). Jure quoque canonico cautum, et provisum est, ut pacta diligenter observentur, adhibita etiam, ubi opus fuerit, judicis auctoritate (3); modo pactum honestum, licitum, possibile sit (4), jus tertii non lædat (5), fiatque ab iis, qui paciscendi obtinent potestatem.

(1) „Si paciscar, ne judicati, vel incesarum ædium agatur, pactum valet. Si paciscar, ne operis novi nunciationem exequar... si ex re familiari operis novi nunciatio sit facta, liceat pacisci.“ Sunt hæc liberatorii pacti exempla, quæ proponit Ulpianus in *L. Jurisgentium 7. §. Si paciscar ff. de Pactis*. Simile est exemplum Pauli in *L. 27. §. Si cum mihi ff. eod.* cujus hæc verba sunt: „si cum mihi decem deberes, pepigero, ne à te viginti petam, in decem tibi prodesse pacti conventi, vel doli exceptionem placet.“

(2) *Doli exceptionem subsidium esse pacti exceptionis* inquit Ulpianus *L. 10. §. Plerumque ff. de Pactis*.

(3) *Cap. 1. & 3. de Pactis.*

(4) *Cap. 4. §. ult. eod.*

(5) *Cap. 7. eod., c. 2. eod. in 6.*

§. III. Pacta quæ sacris canonibus nominatim improbantur, sunt pactum de beneficio ecclesiastico pecunia, aut alia re pretio æstimari solita resignando (1); de concedenda ecclesia ea lege, ut post obitum provisi alius succedat (2), de solvenda graviori pensione, ut quis facilius ecclesiam obtineat (3); pactum quo monachi aliis sua bona locant, ut hi aut decimas sibi solvant, aut apud eosdem eligant sepulturam in perniciem ecclesiæ parochialis (4).

(1) *Cap. 4. de Pactis.*

(2) *Cap. 5. eod.*

(3) *Cap. 6. eod.*

(4) *Cap. 7. eod.*

§. IV. Cetera pacta, quæ non bonis moribus adversantur, non res impossibiles, turpesve continent, non in animæ detrimentum vergunt, postremo, quibus nihil

jure obstat, custodienda, observandaque diligenter sunt. Hinc privilegiis etiam, quæ privatim sua, et propria sunt, abdicare se unusquisque potest (1); valetque pactum juratum, quo mulier, cum nubit, accepta dote promittit, se nihil amplius ex paterna hereditate petituram. (2).

(1) *Cap. 1. de Pactis in 6.*

(2) *Cap. 2. de Pactis in 6.*

§. V. Sed litium dirimendarum causa plerumque utimur transactione, quæ species quædam est pacti, et interdum etiam pacti nomine appellatur (1). Proprie transactio inicitur de re dubia, ac lite incerta (2); atque aliquid datur, aut promittitur, ut litigantium alter litem deserat (3). Pactum autem pertinet ad res certas, atque, ut plurimum, nihil accepto, aut promisso conficitur.

(1) *L. 28. §. 2. ff. de Pactis, l. 1. cod. eod., l. 4. ff. de Jur. fisc.*

(2) Transactionis, et pacti discrimen eleganter expressit Ulpianus in *l. 1. ff. de Transact.* his verbis: „Qui transigit quasi de re dubia, & lite incerta, neque finita transigit; qui vero paciscitur donationis causa, rem certam, et in dubitatam liberalitate remitti.“

(3) *L. 38. Cod. de Transact.* Atque id quidem adeo late patere complures putant, ut eam statuunt interpretationis regulam, si quando in libris juris pactum re aliqua data, aut promissa, aut retenta fieri dicitur, ut in *L. 28. ff. de Pactis, l. 1. cod. de Pactis, l. 4. ff. de Jur. fisc.*, semper pactam pro transactione accipiendum esse. Sed qui ita sentiunt, vehementer errant. Transactio quidem nunquam est gratuita, sed pactum, et gratuito fit, ut in *L. 1. ff. de Transact.*, & eum pretio, atque aliquo dato, ut in *l. 41. ff. de Pact.*, & in *l. 6. §. Si quis, & §. Qui jussu ff. de His qui notan. infam.* Non igitur in *l. 1. ff. de Transact.* illa est adhibenda, quæ vulgo adhibetur, verbor. interpunctio, qui paciscitur, donationis causa rem certam, &c., sed legendum est, ut Græci, & horum exemplo Dionysius Gothofredus legunt: qui paciscitur donationis causa, rem certam &c., quemadmodum in *l. 28. §. Si filius ff. de Pactis* scriptum est: si donandi causa pactus sit.

§. VI. Porro hæc duo in transactione omnino sunt necessaria, ut scilicet detur aliquid, aut aliquid promittatur, utque de re dubia fiat. Nam promisso, datove

nihil, itemque de re certa transactio fieri non potest (1). Hinc etiam post sententiam recte transigimus, quia adhuc incertus est litis exitus, sed non etiam post rem judicatam, et cum procul est omnis litis redintegrandæ metus (2). Sed quemadmodum jure Romano transactio super re judicata firmabatur, cum per Aquilianam stipulationem, et acceptilationem jus ex re judicata quæsitum ipso jure perimebatur (3), et gratuitum probabatur super re judicata pactum, tamquam liberatorium, et donationis causa conceptum (4), ita moribus receptum est, valere transactiones, quæ super negotio ex re judicata certo initæ sunt (5).

(1) *L. 38. cod. de Trans.*

(2) *L. 32. cod. eod.* Verum ad transactionem recte ineundam satis esse litis metum, scriptum est in *l. 2. cod. eod.*

(3) *L. 32. Cod. de Trans.*

(4) *L. 7. §. Si paciscar ff. de Pactis, Paulus Recept. sentent. l. 1. tit. 1. §. 5. ibique Schultingius in Not. n. 13. p. 220. ed. Lips. 1737.*

(5) Videndus Groenewegen ad *l. 7. §. 1. ff. de Trans. n. 2.*

§. VII. Transactionis magnus in jure favor, et auctoritas est. Nam ea mutæ transigentium renunciationis vim habet; quo fit, ut omnia eorum jura tollantur (1), pariatque litis finitæ exceptionem (2), initaque bona fide, atque ex non falsis instrumentis, ne si nova quidem deinceps prodeant monumenta, è medio tollenda sit, nisi primum in integrum restitutio impetrata fuerit (3). Jure civili tum nudo pacto, tum subjecta pacto convento Aquiliana stipulatione transactio perficitur (4). Cum pacto facta est, actio exceptione submovetur (5), cum Aquiliana stipulatio est adhibita, actio ipso jure tollitur (6). Sed canones non laborant de ista nimis attenuata diligentia juris civilis, et Aquiliana etiam stipulatione neglecta, obligationes quoquo modo contractas transactione omnino perimi volunt (7).

(1) *Cap. 1. de Trans.*

(2) *Cap. 1. de Litis contes. in 6.*

(3) *L. 10. 19. 42. Cod. de Trans.*

- (4) *L. 2. & 15. ff. de Trans.*
 (5) *L. 15. cod. eod.*
 (6) *L. 3. et 4. cod. eod.*
 (7) *Cap. 1. de Trans. ibique Gonzalez n. 15.*

§. VIII. Transigere omnes possunt, qui pacisci, et alienare; nam transactio alienatio est. Hinc minores, pupilli, amentes, ceteri similes, qui res suas alienare nequeunt, etiam transigere prohibentur; et Prælati, qui sine certis solemnitatibus res Ecclesiæ alienare non possunt, easdem quoque solemnitates in transactione servare debent (1). Quod dicendum generatim est de omnibus, qui res habent ad Ecclesiæ patrimonium pertinentes, uti sunt beneficia (2), decimæ (3), cetera similia, de quibus si fiat transactio sine debitis solemnitatibus, obligare quidem poterit, qui eam absolvit (4), successores vero non obligat, neque aliquid Ecclesiæ rebus infert detrimenti (5).

- (1) *Cap. 2. & 3. de Trans.*
 (2) *Cap. 7. eod.*
 (3) *Cap. 2. eod.*
 (4) *Cap. 5. eod.*
 (5) *Cap. 8. eod.*

§. IX. Sed neque de rebus omnibus transigere fas est. Nam Jus Canonicum transactionem fieri vetat de ecclesiasticis beneficiis, in quibus omnis non gratuita pactio turpis habetur, planeque rejicitur (1), sed tamen in iis admittitur amicabile compositio (2); item de jure patronatus, quod accepta pecunia in alium conferri non potest (3). Sponsalia de futuro transactionem non respuunt; quoniam mutuo consensu dissolvi possunt (4); sed de matrimonii sacramento omnis plane transactio, aut pactio irrita est (5).

- (1) *Cap. 4. de Pactis, cap. 4. de Trans.*
 (2) Ita si duo inter se de beneficio litigent, recte fit amicabile compositio, per quam alter nullo accepto pretio, vel re temporali suo se jure sponte abdicat *cap. 7. de Trans.*
 (3) *Cap. 9. eod.*
 (4) *Cap. 2. de Sponsal.*
 (5) *Cap. ult. de Trans.*

RECENSIO

TITULORUM TOMI TERTII.

TITULUS I.

De judiciaria Ecclesiæ potestate. pag. 1

TITULUS II.

De judiciis, & eorum divisione. 28

TITULUS III.

De procuratoribus. 32

TITULUS IV.

De foro competenti. 37

TITULUS V.

De libelli oblatione, deque in jus vocando. 56

TITULUS VI.

De Dolo & contumacia. 67

TITULUS VII.

De litis contestatione. 73

TITULUS VIII.

De juramento calumniæ. 76

TITULUS IX.

De probationibus. 80

- (4) *L. 2. & 15. ff. de Trans.*
 (5) *L. 15. cod. eod.*
 (6) *L. 3. et 4. cod. eod.*
 (7) *Cap. 1. de Trans. ibique Gonzalez n. 15.*

§. VIII. Transigere omnes possunt, qui pacisci, et alienare; nam transactio alienatio est. Hinc minores, pupilli, amentes, ceteri similes, qui res suas alienare nequeunt, etiam transigere prohibentur; et Prælati, qui sine certis solemnitatibus res Ecclesiæ alienare non possunt, easdem quoque solemnitates in transactione servare debent (1). Quod dicendum generatim est de omnibus, qui res habent ad Ecclesiæ patrimonium pertinentes, uti sunt beneficia (2), decimæ (3), cetera similia, de quibus si fiat transactio sine debitis solemnitatibus, obligare quidem poterit, qui eam absolvit (4), successores vero non obligat, neque aliquid Ecclesiæ rebus infert detrimenti (5).

- (1) *Cap. 2. & 3. de Trans.*
 (2) *Cap. 7. eod.*
 (3) *Cap. 2. eod.*
 (4) *Cap. 5. eod.*
 (5) *Cap. 8. eod.*

§. IX. Sed neque de rebus omnibus transigere fas est. Nam Jus Canonicum transactionem fieri vetat de ecclesiasticis beneficiis, in quibus omnis non gratuita pactio turpis habetur, planeque rejicitur (1), sed tamen in iis admittitur amicabile compositio (2); item de jure patronatus, quod accepta pecunia in alium conferri non potest (3). Sponsalia de futuro transactionem non respuunt; quoniam mutuo consensu dissolvi possunt (4); sed de matrimonii sacramento omnis plane transactio, aut pactio irrita est (5).

- (1) *Cap. 4. de Pactis, cap. 4. de Trans.*
 (2) Ita si duo inter se de beneficio litigent, recte fit amicabile compositio, per quam alter nullo accepto pretio, vel re temporali suo se jure sponte abdicat *cap. 7. de Trans.*
 (3) *Cap. 9. eod.*
 (4) *Cap. 2. de Sponsal.*
 (5) *Cap. ult. de Trans.*

RECENSIO

TITULORUM TOMI TERTII.

TITULUS I.

De judiciaria Ecclesiæ potestate. pag. 1

TITULUS II.

De judiciis, & eorum divisione. 28

TITULUS III.

De procuratoribus. 32

TITULUS IV.

De foro competenti. 37

TITULUS V.

De libelli oblatione, deque in jus vocando. 56

TITULUS VI.

De Dolo & contumacia. 67

TITULUS VII.

De litis contestatione. 73

TITULUS VIII.

De juramento calumniæ. 76

TITULUS IX.

De probationibus. 80

TITULUS X.

De exceptionibus, & replicationibus. 105

TITULUS XI.

De ordine cognitionum. 112

TITULUS XII.

De mutuis petitionibus. 120

TITULUS XIII.

De dilationibus. 122

TITULUS XIV.

De sententia, & re judicata. 224

TITULUS XV.

De appellationibus. 141

TITULUS XVI.

De in integrum restitutione. 170

TITULUS XVII.

De arbitris. 176

TITULUS XVIII.

De pactis, & transactionibus. 184

FINIS TOMI TERTII.

JOANNIS DEVOTI,

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

EPISCOPI ANANIENSIS,

INSTITUTIONUM

CANONICARUM.

LIBRI IV.

TOMUS QUARTUS.

EDITIO NOVA, ETIAM IPSIS ROMANIS EDITIONIBUS
REVERA CORRECTIOR, ATQUE EMENDATIOR.

MATRITI: MDCCCL.

EXCUDERAT RAYMUNDUS RUIZ.

Superiorum Facultate.

*Se hallará en las Librerías de Fernandez, frente
San Felipe el Real, y de Calleja, calle
de Majaderitos.*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE MÉXICO
DIRECCION GENERAL DE BIBLIOTECAS

PIO SEXTO,

P. O. M.

JOANNES EPISCOPUS ANANIENSIS,

FELICITATE M.

Quartus hic liber, PIE PONTIFEX OPTIME MAXIME, sinem faciet *Canonicarum Institutionum*. Est autem liber hic de *judiciis criminalibus*; quoniam *civilia* persequutus sum libro superiore. In *initio paulo accuratius agendum* putavi de *Ecclesiae in coercendis criminibus potestate*; quo loco *refutavi non modo Bohemerum, Thomasiuum, Pfaffium, ceteros Protestantes, sed etiam Van-Espenium, & refractarios quosdam scriptores, qui illam in discrimen revocare conati sunt inanibus quibusdam ratiunculis, quas non quaerendae, sed opprimendae veritatis gratia excogitare potuerunt. Ego facile intelligo, quomobrem aliqui Protestantes (non enim omnium ex eo grege hominum eadem sententia est) qui Ecclesiam merum collegium esse arbitrantur, omnem ei adimant criminalem potestatem, quam totam adscribunt civili Reipublicae, cui subjiciunt Ecclesiam; sed certe intelligere non possum, quomodo, ii qui se catholicos profitentur, & Ecclesiam veram, perfectamque rempublicam agnoscunt, potestatem detrahant, quae in primis est hujus verae, & perfectae reipublicae propria. An Paulus, cum virgam minatur Corinthiis, cum negat se parciturum repugnantibus imperio suo, si ad eos venire cogatur, cum acceptam à Christo potestatem ostendit, per quam ulcisci possit omnem inobedientiam, & se durius acturum profitetur adversus eos, qui sibi non pareant, cum accusationes contra Presbyterum Episcopi judicio committi, non declarat aperte, quae à Christo in puniendis maleficiis Ecclesiae rectoribus potestas*
Tom. IV. Bb

data sit? Apostolorum successores Episcopi, cum de criminibus judicaverunt, eorumque reos vinculis, verberibus, exilio, ceterisque pœnis coercuerunt, an alienam exercuerunt jurisdictionem, non propriam, & affixam magistratui, quem in Ecclesia gerebant? His ego, ac similibus monumentis, quæ in notis collegi, ne textum producerem ultra fines Institutionum, filumque orationis rumperem, demonstravi potestatem Ecclesiæ in criminibus coercendis; adjecique præterea testimonia non modo Patrum, & Conciliorum, sed etiam Principum, qui plus semel hanc eandem potestatem agnoverunt, suisque legibus comprobaverunt. Hac autem probe stabilita, & fixa potestate, consequens est, ut recte Ecclesia judicet, semperque judicavit de criminibus, quorum ejus est proprium judicium, sive ob rem ipsam, sive ob personas, à quibus ea patrata sunt, quæque ecclesiasticæ potestati subsunt, recteque pœnas aptas, & idoneas cuique crimini constituerit. Quare titulis, qui sequuntur, universum genus criminum, quæ ecclesiastica, quæque mixta dicuntur (nam civilium criminum tractatio propria est eorum, qui scribunt de jure civili) pœnasque omnes, quibus puniuntur sotes, explicavi. Singulis quibusque locis legentium oculis subjecta esse volui jura Sedis Apostolicæ: quod in primis faciendum intellexi, non tam pro Episcopi munere, quo tuo beneficio fungor quam pro fide Catholica, in qua Dei beneficio perpetuo vixi, & in qua omnem quæ jam mihi restat, vitam acturum confido. Quid enim Catholico Scriptori, in primis autem Episcopo, magis conveniens esse potest, quam jura ostendere, atque tueri Summi Pontificis, hoc est Capitis sui, per quod efficitur Ecclesiæ unitas, sine qua vera Christi Ecclesia haberi non potest? Qua in re mihi bilem, & stomachum movent aliqui, qui priores quidem libros Institutionum mearum laude dignos existimarunt, sed reprehenderunt studium in Sedem Apostolicam; ac mihi Romæ scribenti ignoscendum putarunt, quod multa, ut ajunt, præter animi sententiam scripto mandaverim. Ego procul absum à laudibus, quibus ipsi me ornare voluerunt, & nihil om-

nino in me inesse sentio doctrinæ, ingenii, nitoris; sed certe in omnium conspectu profiteor, me unam sequutum fuisse veritatem, & nihil dedisse Sedi Apostolicæ, quod non ei jure debitum esse intelligerem. Tute ipse, Sapientissime Pontifex, cui propter exquisitam doctrinam, & excellens ingenium explorata sunt omnia, mihi iudex, & testis es, me nihil ingenio meo litteris consignasse, sed omnia sumpsisse ex Patribus, ex Conciliis, ex perpetua Ecclesiæ disciplina. Quid igitur meam imminuere conantur fidem malevoli vituperatores, quasi aliud scripserim, aliud animo firmum habeam? Mearum sententiarum reprehensores convellant monumenta, quibus eæ nituntur, ostendant me Sedi Apostolicæ dedisse, quæ non dabant Patres, Concilia, totius Ecclesiæ consensus, cetera suis quæque locis indicata; quod si præstare non possunt, comprimant inanes voces, quibus non meam, sed suam ipsi produnt causam, juraque Sedis Apostolicæ mecum agnoscant, & fateantur.

Sed jam his missis, quorum ego rationem plane nullam habeo, ad eos venio pietate, ac doctrina præstantes viros, cum quibus vera mihi in his, quæ scripsi, sententiarum conspiratio, consensusque est, quique hos labores meos non tam verbis, quam facto probare voluerunt. Ex eorum genere sunt complures doctissimi Episcopi, qui adolescentibus, quos in seminariis educant in spem Cleri, Institutiones meas publice tradendas curarunt; ac præterea Vir Clarissimus, cujus plura sunt scripta, quæ in manibus hominum versantur, quique in optima, quam evulgavit, studiorum methodo tantum tribuit Institutionibus meis, gratia, & benevolentia in me sua, non merito aliquo meo, ut eas docendæ, erudendæque juventuti omnium aptissimas judicet. Quibus ego viris tantas habeo gratias, quantas habere maximas possum; non tam quod tenues labores meos gravissimo judicio probarunt, quam quod excitatis adolescentibus ad studia Canonica Jurisprudentiæ, quod ego scribendo conatus sum, eorum opera, & auctoritate jam videor efficere, atque assequi potuisse.

Tibi vero quas agam, & habebo gratias, d decus,

tutela, columnen laborum, studiorumque meorum, Optime, Sapientissimeque Pontifex, quo auspice, & approbatore hæ Institutiones initium, cursum, exitum habuerunt, iterumque in vulgus eduntur? Tu omnes earum libros in amplissimo tuo nomine apparere sivisti; quod quidem beneficio quid ego majus, atque præstantius desiderare potuissem? Effecisti tu tamen excellenti hæc, & præclara natura tua, ut in eo esset augendi locus, quod mihi jampridem cumulatum esse videbatur. Nam in maximis occupationibus, quibus à sacro, & civili, quod utrumque incredibili sapientia, & virtute, ac summo omnium bono regis, imperio distineris, honore affecisti maximo, ac singulari Institutiones meas, ut eas legeres, atque etiam non improbares. Quibus ego immortalibus beneficiis tuis quam parem reperire orationem potero? Et tamen tantis his beneficiis affectus alia adhuc postulare audeo: tu vero pro benignitate tua singulari, ac prope divina efficies, ut non frustra postulaverim, & simul dabis hanc veniam, ut quoniam tibi referri gratia non potest, quanta debetur, habeatur tamen quantam maximam animus meus capere potest. Scilicet absolutis Institutionibus rem canonicam universam fusius, & uberius pertractandam adgrediar; qua de re multa jam retuli in commentarium meum, teque rogavi, ut ex archivis educi juberet vetusta quedam, quæ nunc in tenebris latent, monumenta, quibus historia præsertim Canonice Jurisprudentiæ quam maxime illustrari, ornarique videtur posse. Hoc quoque opus ut in tuo nomine apparere patiaris rogo; nam nihil mihi gloriosius, nihil illustrius potest accidere, quam mea scripta commendare nomine Pii Sexti, cujus in omnium oculis, atque ore sunt laudes, & cujus memoriam excipient omnes anni consequentes. Interim pedibus advolutus tuis oro, obtestorque te, ut me patrocinio, cui me totum commendo, summo, & excelso digneris tuo, mihi que Apostolicam benedictionem impartias.

APPROBATIONES

secundæ editioni redditæ.

Prodit tandem in lusem volumen quartum, idemque ultimum Institutionum Canoniarum Joannis Devoti Episcopi Ananiensis multo auctius, atque emendatius. Innumerae profecto in dies exeunt Juris Ecclesiastici Institutiones, nec deerit fortasse qui supervacaneum à viro clarissimo laborem in hisce libris conscribendis, nedum poliendis, fuisse susceptum putet: at si innumera illa volumina excutias, ex iisque secernas, vel imperitorum hominum ineptias, vel plena veneno, fallacisque delitescantium Ecclesie hostium deliramenta, vix aliqua invenies, ex quibus nonnullam rei canonice notitia sine periculo haurire fas sit. Gratia itaque maximæ præstantissimo Praesuli habendæ sunt, qui quatuor hisce voluminibus ea cumulatissime præstitit adolescentibus adjumenta, quibus in Ecclesiastici Juris penetralia deduci tutissime, expediteque possint. Quod ad me attinet, expendi diligenter novissima celebratissimi operis additamenta; eaque mihi, si quidquam in istis rebus intelligo, digna plane auctore suo, studiosaeque juventuti perutilia visa sunt, ideoque quamecitius evulganda.

Dabam Romæ IV. Nonas Januarias anni MDCCXCVI.

D. Coppola Proton. Apostolicus, & S. Rit. C.
Secretarius.

Judicio, quod secundo, ac tertio de opere Canoniarum Institutionum Cl. V. Joannis Devoti Episcopi Ananiensis tulli nunc quarto confirmo: præclarum illud, egregiumque ita esse, ut si eorum venia, quorum potestas est, denuo auctore ab ipso emendatum vulgetur typis, & rerum Ecclesiasticarum studiosis utile, & tenebrosis hisce temporibus futurum quam maxime opportunum existimem.

Dabam Romae ex Collegio Germanico II. Nonas Januarias 1794.

J. Castillioneus Proton. Apost. Poenit. Litterarum Corrector, Congr. Immunit. Ecclesiast. & Indicis Consult. atque Boni Regiminis à Secretis.

Superiori anno tertius prodit è typis Institutionum Canoniarum Reverendissimi Episcopi Ananiensis liber de civilibus judiciis. Quartum de judiciis criminalibus, si per eos, ad quos pertinet, potestas fiat, quantotius evulgari, nihil est, quod prohibeat; & quarto hoc volumine aureum institutionum opus absolutum est. Id igitur unum nunc optandum restat, ut Cl. Vir majus illud opus, quo fusius res canonica universa, & uberius illustranda est, patiat exire in lucem: quod si fecerit, & is fidem suam, quam jamdiu obstrinxit, liberabit; & nihil nobis erit amplius, quod in hoc studiorum genere desideremus.

Romae ex Aedibus Magnae Curiae Inocentianae Kalendis Februarii MDCCXCIV.

N. Riganti Majoris Praesidentiae Abbr. & A. in Civilibus Locumtenens.

Antequam dicant boni filii: concupiscentiam habemus dissolvi, & esse cum Christo: multi prius, tanquam mali servi, & quodammodo improbi fugitivi, ad Dominum suum temporalium flagellorum verberare revocantur. S. AUGUSTINUS Ep. 185. ad Bonifacium c. 6. opp. tom. 2. col. 652. ed. Maurin. Venet. 1729.

Si vult haereticus non esse, neque audire, non isti, aut illi satisfaciat. . . Festinet pro omnibus Sedi Romanae satisfacere; haec enim satisfacta communiter ubique omnes piam, & orthodoxum praedicabunt. S. MAXIMUS MARTYR Ep. ad Petrum Illustr. opp. t. 2. pag. 76. edit. Combefis. Paris. 1675.

LIBER IV.

TITULUS I.

De Ecclesiae in coercendis criminibus potestate.

- I. Poenarum finis, & earum infligendarum potestas.
- II. Ecclesia poenas irrogat in foro interiori, & exteriori.
- III. Poenarum infligendarum potestatem Ecclesia à Christo accepit, eaque Apostoli usi sunt.
- IV. Episcopi, etiam ethnicis dominantibus, hanc potestatem exercuerunt.
- V. Data Ecclesiae pace, ejus potestas etiam Imperatorum legibus confirmata est.
- VI. Ecclesia quomodo in Clericos, & quomodo in laicos animadvertat?
- VII. Civilium, & Ecclesiasticarum poenarum finis, & ratio.
- VIII. Ecclesiae poenae spirituales, & temporales.
- IX. Judicia criminalia Ecclesiae in Clericos, & in Laicos.
- X. Quomodo Clerici ab Ecclesia puniantur?
- XI. Quomodo Clerici ab Ecclesia laicae Potestatis coercitioni subjiciantur?
- XII. Partes ecclesiasticae, & civilis potestatis.
- XIII. Potestas Ecclesiae in personas clericorum.

§. I.

Malos male habendos, & eum, qui malum fecit, malum ferre debere, non solum civilis, sed etiam divini, ac naturalis juris docet auctoritas. Nam hoc modo, & ceteri à crimine deterrentur, & civium incolumitati consulitur, & damnum, atque injuriam, quam quis suo scelere naturae intulit, religioni, reipublicae, quantum fieri potest, ipse emendat, & corrigit. Quare crimina sequuntur poenae, quibus improbi coercentur, salusque, & tranquillitas reipublicae conservatur, easque infligit, cui publicae salutis, & tranquillitatis cura, ac summa potestas commissa est. Non enim par in parem habet imperium, & jurisdictionem, per quam poenam irroget; ac si laedens à laeso punitur, non poena haec est, sed vindicta, si à tertio, non poena, sed alia laesio, & injuria est. Neutrum vero fieri sinunt leges, quibus civiles hominum societates gubernantur (1).

Dabam Romae ex Collegio Germanico II. Nonas Januarias 1794.

J. Castillioneus Proton. Apost. Poenit. Litterarum Corrector, Congr. Immunit. Ecclesiast. & Indicis Consult. atque Boni Regiminis à Secretis.

Superiori anno tertius prodit è typis Institutionum Canoniarum Reverendissimi Episcopi Ananiensis liber de civilibus judiciis. Quartum de judiciis criminalibus, si per eos, ad quos pertinet, potestas fiat, quantotius evulgari, nihil est, quod prohibeat; & quarto hoc volumine aureum institutionum opus absolutum est. Id igitur unum nunc optandum restat, ut Cl. Vir majus illud opus, quo fusius res canonica universa, & uberius illustranda est, patiat exire in lucem: quod si fecerit, & is fidem suam, quam jamdiu obstrinxit, liberabit; & nihil nobis erit amplius, quod in hoc studiorum genere desideremus.

Romae ex Aedibus Magnae Curiae Inocentianae Kalendis Februarii MDCCXCIV.

N. Riganti Majoris Praesidentiae Abbr. & A. in Civilibus Locumtenens.

Antequam dicant boni filii: concupiscentiam habemus dissolvi, & esse cum Christo: multi prius, tanquam mali servi, & quodammodo improbi fugitivi, ad Dominum suum temporalium flagellorum verberare revocantur. S. AUGUSTINUS Ep. 185. ad Bonifacium c. 6. opp. tom. 2. col. 652. ed. Maurin. Venet. 1729.

Si vult haereticus non esse, neque audire, non isti, aut illi satisfaciat. . . . Festinet pro omnibus Sedi Romanae satisfacere; haec enim satisfacta communiter ubique omnes piam, & orthodoxum praedicabunt. S. MAXIMUS MARTYR Ep. ad Petrum Illustr. opp. t. 2. pag. 76. edit. Combefis. Paris. 1675.

LIBER IV.

TITULUS I.

De Ecclesiae in coercendis criminibus potestate.

- I. Poenarum finis, & earum infligendarum potestas.
- II. Ecclesia poenas irrogat in foro interiori, & exteriori.
- III. Poenarum infligendarum potestatem Ecclesia à Christo accepit, eaque Apostoli usi sunt.
- IV. Episcopi, etiam ethnicis dominantibus, hanc potestatem exercuerunt.
- V. Data Ecclesiae pace, ejus potestas etiam Imperatorum legibus confirmata est.
- VI. Ecclesia quomodo in Clericos, & quomodo in laicos animadvertat?
- VII. Civilium, & Ecclesiasticarum poenarum finis, & ratio.
- VIII. Ecclesiae poenae spirituales, & temporales.
- IX. Judicia criminalia Ecclesiae in Clericos, & in Laicos.
- X. Quomodo Clerici ab Ecclesia puniantur?
- XI. Quomodo Clerici ab Ecclesia laicae Potestatis coercitioni subjiciantur?
- XII. Partes ecclesiasticae, & civilis potestatis.
- XIII. Potestas Ecclesiae in personas clericorum.

§. I.

Malos male habendos, & eum, qui malum fecit, malum ferre debere, non solum civilis, sed etiam divini, ac naturalis juris docet auctoritas. Nam hoc modo, & ceteri à crimine deterrentur, & civium incolumitati consulitur, & damnum, atque injuriam, quam quis suo scelere naturae intulit, religioni, reipublicae, quantum fieri potest, ipse emendat, & corrigit. Quare crimina sequuntur poenae, quibus improbi coercentur, salusque, & tranquillitas reipublicae conservatur, easque infligit, cui publicae salutis, & tranquillitatis cura, ac summa potestas commissa est. Non enim par in parem habet imperium, & jurisdictionem, per quam poenam irroget; ac si laedens à laeso punitur, non poena haec est, sed vindicta, si à tertio, non poena, sed alia laesio, & injuria est. Neutrum vero fieri sinunt leges, quibus civiles hominum societates gubernantur (1).

(1) Puffendorfius *de Jur. nat. & gent.* l. 8. c. 3. §. 4. n. 3., & Heineccius *Elem. jur. nat. et gent.* l. 2. c. 8. §. 159. opp. t. 8. p. 214. ed. Neap. 1775.

§. II. Utraque potestas civilis, & ecclesiastica propriam habet, atque ab altera distinctam rempublicam, utraque suum habet imperium, & jurisdictionem, subditos, ex quibus respublica efficitur, res, quæ ad eam pertinent, magistratus, quorum cura, administratione, auctoritate cuncta geruntur (1). Quare utraque punit maleficia; sed civili potestati unum est forum, idque exterius, ecclesiasticæ duplex, alterum interius, exterius alterum (2). Interioris fori potestatem Christus Ecclesiæ dedit his verbis (3): *quorum remisistis peccata, remittuntur eis: quorum retinueritis, retenta sunt*; potestatem fori exterioris his verbis expressit (4): *si peccaverit in te frater tuus &c. dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus*. Quibus quidem verbis sacri interdicti, sive anathematis pœnam, qua nulla gravior in Ecclesia coercitio est, contineri Patres docent.

(1) Confer quæ dixi in *Prolegomenis* c. 1. §. 6., et c. 2. t. 1. p. 6. et 16., et l. 3. tit. 1. t. 3. p. 2. et seq.

(2) *Nihil dubitandum est*, inquit Synodus Cameracensis tit. 14. c. 1. apud Labbeum t. 20. *Conc. ed. Ven. col.* 1411., "duplex esse forum ecclesiasticum à Christo nomine clavium nobis insinuatum; alterum sacramenti pœnitentiæ, quod ad conscientiam spectat, in quo reus non nisi ex propria confessione solvitur, & ligatur; alterum vero jurisdictionis, & regiminis externi, in quo reus non solum ex propria confessione, sed etiam per testes vincitur, & judicatur." Mitto cetera testimonia quæ superiori loco descripsi.

(3) Joannes XX. 23.

(4) Matth. XVIII. 15. et seq. Huc etiam spectat illud Christi apud Lucam X. 16. *qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit*, quibus verbis jubendi, & coercendi potestas Apostolis tribuitur, atque in ipsum Christum contumax pronuntiatur, qui illorum mandatis non obtemperaverit. Pertinet etiam ad hunc locum potestas *pascendi*, hoc est regendi, ut ostendi in *Prolegomenis* c. 2. §. 18. not. 3. t. 1. p. 18., agnos, & oves, nimirum & pastores, & oves, ut observat S. Ambrosius l. 10. in *Lucam* n. 175. & seq. opp. t. 4. p. 265. seq. ed. Venet. 1781., & S. Bernardus *de Consider.* l. 2. c. 8. opp. t. 1. col. 428. ed. Mabillonii Paris. 1719., quam Christus contulit in Petrum, quem Ecclesiæ caput constituit, quemque omnibus dignitate, & jurisdictione præesse voluit.

Præclare Bossuetius in sermone, quem *de Veritate Ecclesiæ* V. Idus Novembris an. 1681. ad Collegas habuit, qui ad Comitia convenerant opp. t. 7. p. 473. ed. *Argentinae* 1752. "C'est à Pierre, inquit, qu'il est ordonné... de patre, & de gouverner tout, & les brebis, & les peuples, & les meres, & les pasteurs memes. Pasteur à l'égard des peuples, & brebis à l'égard de Pierre." Par est ratio potestatis clavium, quæ primum uni Petro, cui omnes Christus subesse jussit, data est Matthæus XVI. 18. & 19., deinde & Petro, & ceteris Apostolis Matthæus XVIII. 18. Nihilotamen minus Ecclesiæ in coercendis criminibus potestati adversantur recentiores Protestantes, qui cum Ecclesiam non veram, perfectamque rempublicam, sive, ut inquirunt, *stationem*, sed Collegium esse defendant, ei licere negant in reos criminum pœnis animadvertere. Ex eorum numero Bohemerus *Jur. Eccles. Protest.* l. 5. tit. 37. §. 16., Pfaffius *de Orig. jur. eccles.* p. 205. Ecclesiam nullam propriam habere censent potestatem criminum constitutis pœnis coercendorum; quod si qua ei facultas est animadvertendi in illos, qui societatem perturbant, eam totam repetunt ex pacto vel expresso, vel tacito, quo quis in Collegium receptus est. Hinc si quid vitii in pœnarum *conventionalium* irrogatione inesse videatur, rem omnem subjiciendam esse putant judicio civilis potestatis, cui collegium subest. Eadem est sententia Christiani Thomasi in *Dissert. de For. compet. cler.*, Moshemii, ceterorum Protestantium, qui Puffendorffii errorem sequuti Ecclesiam merum collegium faciunt; quem quidem errorem refutavi in *Prolegomenis* c. 1. §. 6. & seq. t. 1. p. 6. & seq., & ante me multo uberius, & luculentius refutavit doctissimus Mamachius *Ep. 2. ad Febronium* §. 6. & 7. p. 207. & seq. t. 1. Protestantibus prævit vetusta, eaque deterrima secta Catharorum, seu Puritanorum, qui ipsa Apostolorum ætate omni non solum ecclesiasticæ, sed etiam civili potestati obsistebant. Horum errores, ut observat Petavius *de Hierarch. eccles. in Præf. n. 3. p. 52. t. 6. ed. Ven. 1757.*, instaurare visus est Salmasius, qui cum laicos omnes sacerdotes faciat, consequens est, ut nulla ab Episcopo pœna infligi possit, neque ejus jurisdictio in coercendis criminibus sita sit. Inquit enim, Episcopos initio non fuisse magistratus, neque eos habere potestatem, & jurisdictionem, qua imperent, & iavitos, ac repugnantes ad parendum cogant. Catharos sequuti sunt alii hæretici in primis vero Marsilius Patavinus, & Joannes Jandunus, qui siæ Principis venia Ecclesiam pœnis coercere neminem posse existimabant. Horum errores condemnavit Joannes XXII. in *Const. Licet juxta doctrinam* apud Raynaldum *ad an.* 1327. n. 28. & seq. t. 24. *Anal. p.* 347. ed. *Lucæ*. Sed eos tamen in medium revocare ausus est Spalatensis Apostata *de Republ.* l. 5. c. 1. 2. 3. Joannes Morinus *de Admin. sacram. pœnit.* l. 1. c. 10. Ecclesiam usque ad XI. aut XII. sæculum tantum interioris fori judicio, & potestate crimina coercuisse putat, atque ad hoc tantum forum universam ipsius jurisdictionem referendam esse contendit. Cum Morino sentiunt Van-Espenius *Jur. eccles. part. 3. tit. 4. c. 1.*, Giannonius *Histor. civil. t. 1. l. 2. c. ult.*, Auctor libelli Ticini editi *an.* 1783. "Del diritto d' imporre gl' impedimenti dirimenti Tom. IV. Cc

4
 nel matrimonio, è di dispensarne t. 2. p. 125. Cavallarius *Inst. Jur. can. par. 3. c. 4.* Verum non his omnibus eadem prorsus sententia est. Sunt enim qui sæculo XI., sunt qui serius, aut citius interius forum ab exteriori distingui coepisse arbitrantur; adeo incertum, controversumque est his magistris, & effectoribus epocharum, quod ipsis certum, atque exploratum esse deberet. Sed potestatem, quam habet Ecclesia, cogen- di invitos, & repugnantes, late explicarunt, ac vindicarunt Gersonius de *Potest. Eccles. consid. 4. t. 2. opp. col. 230. ed. Antwerp. 1706.*, Hervanus, Petrus de Alliaco, Joannes Major, qui omnes de *Potestate Ecclesie tractatus* ediderunt, item Almaynus de *Auctor. Eccles. cap. 2. coroll. 3. & de Potest. eccles. & laic. qu. 3. cap. 2.* Adversus Salmasium solide, graviterque disputat Petavius de *Hierarch. Eccles. l. 3. c. 8. & seqq. opp. t. 6. pag. 150. & seq. ed. Ven. 1757.* Quæ Morinus falso statuit, quæque ejus exemplo litteris consignarunt Van Espenius, Litta, ceteri refutatæ sunt l. 3. tit. 1. fere per tot. Denique, ne omnes singillatim enumerem, de Ecclesie potestate copiose egerunt Dadinus Altaserra *Eccles. jurisd. vind. adver. Feuret.*, Hallier de *Hierarch. Eccles. l. 4. art. 7. §. 1. & seq. p. 419. ed. Paris. 1656.*, Franciscus à Victoria in duabus relectionibus de *Potest. Eccles.*, Zacharias Boverius *Adversus de Dominis censur. parenet. de Rep. Eccles. par. 2. cens. in l. 1. c. 2. p. 127. & seq. ed. Mediolan. 1611.* Et novissime Cl. Franciscus Antonius Zaccaria in Dissertatione 3. de *Disciplina*, cui titulus "Comandi chi puo, ubbidisca chi dee" Faventia edita p. 152. seq. Videndus est etiam Petit-Piedus "Traité du droit, & des prerogatives des Ecclesiastiques dans l'administration de la justice seculiere." Quin saniores quoque Protestantes Ecclesiam in coer- cendis criminibus potestatem habere non inficiantur, atque eorum è nume- ro sunt Basnagius *Annal. Eccles. t. 2. Dissert. 4. de Eccles. tribum. §. 1. p. 491. ed. Rotterdam 1706.*, Beveregius *Prolegom. ad synod. seu Pan- dectas Canonum n. 2. seq. t. 1. p. 1. seq. ed. Oxonii 1672.*

§. III. Atque hanc quidem à Christo acceptam potesta- tem infligendi pœnas tum in interiori, tum in exteriori fo- ro Apostoli & verbis, & factis ostenderunt. Præsertim Paulus, cujus plura extant scripta, quam aliorum Apostolorum, in Paulum, atque Alexandrum (1), itemque in Corinthium incestus in novercam reum animadvertit (2), quem postea, cum resipuisset, pœna solvit, atque ecclesie communioni restituit; *Virgam* minatur (3), negat se parciturum, si ve- nire cogatur (4), acceptam à Christo potestatem ostendit, per quam *ulcisci* possit omnem inobedientiam, & se durius acturum profitetur adversus eos, qui sibi non obediunt (5). Ipse Paulus Episcopum docet, quemadmodum accipere de- beat accusationes, quæ contra Presbyterum deferuntur (6).

- (1) I. ad *Timot. I. 20.*, et II. ad *Timot. IV. 15.*
- (2) I. ad *Corint. I. 5. et seq.*, et II. ad *Corint. II. 6. et seq.*
- (3) I. ad *Corint. IV. 21.*
- (4) II. ad *Corint. XIII. 2.*
- (5) II. ad *Corint. X. 6. et seq.* II. ad *Thessalonic. III. 14.* Confer quæ dixi l. 3. tit. 1. §. 10. et seq. t. 3. p. 11. et seq.
- (6) I. ad *Timot. V. 10.*

§. IV. Exemplo Apostolorum Episcopi eandem sem- per, quoties opus fuit, potestatem exercuerunt. Quod non solum Constantino Imperatore, & quarto post Christum na- tum sæculo, quo tempore Christiana religio in Imperio do- minari coepit, sed etiam prioribus sæculis factum est. Nam eo temporis intervallo Victor Summus Pontifex in Theo- dorum Byzantinum Coriarium animadvertit, & coercuit Asianos, qui ipsa luna XIV., Hebræorum more, pascha celebrabant. Similiter à Presbyteratus gradu dejectus, ac censurarum pœnis affectus est Marcio; Paulus Samosate- nus de Episcopatu dimotus, atque ab Ecclesia ejectus; sum- pta pœna de Novato, & Felicissimo, de Basilide Asturi- censi, & Martiale Emeritensi, de Origine, de ceteris, qui in religionem peccaverant. Atque hi quidem omnes non pœnas sua sponte susceperunt, sed eas Ecclesie lege, & imperio sustinere coacti sunt (1).

(1) Quam ægre tulerit depositionis sententiam Marcio, & quantum laborarit; ut gradum suum recuperare posset, narrat S. Epiphanius *Hæ- res. 22. vel 42. n. 1. p. 302. t. 1. ed. Colonia 1682.* Paulus Samosa- tenus tam audacter, & pertinaciter restitit sententiae depositionis, quæ adversus eum lata fuerat, ut Christiani Antistites rogarint ipsum Au- relianum Imperatorem, qui eum ex domo Episcopali per vim expel- leret. Imperator autem, licet ethnicus, sententiam tulit, qualem Chris- tianus Imperator ferre potuisset; nam legem dicit, ut domus trade- retur iis, quibus illam Christianæ Religionis Antistites, & Romanus Episcopus concedendam indicarent; quæ cuncta constant ex Eusebio *Histor. eccles. l. 7. c. 30. p. 364. ed. Valesii Cantabrig. 1720.* Theodoro *Hæret. fabul. l. 2. c. 8. p. 223. t. 4. opp. ed. Paris, 1642.* Similiter quam ægre Novatus, & Felicissimus, itemque Basi- lides Asturicensis, & Martialis Emeritensis contra se latam sententiam tulerint, quantumcumque laborarint, ut ejus vim declinare possent, os- tendunt S. Cornelius *Ep. ad S. Cyprianum*, quæ inter Cypriani epis- tolas est 50., ac Cyprianus *Ep. 52. ad Cornel. & ep. 59. p. 236. 237. & 265. ed. Amstelædami 1700.* Origines autem de se ipso pe-

monstrat, quam ægro, & invito animo Demetrii Episcopi sententiæ parere debuerit in *Præfat. t. 6. in Joan. t. 4. opp. p. 101. ed. Paris. 1759.*, qua de re vide etiam *Constantium in Ep. Roman. Pontif. col. 115. & seq.*, Confer præterea eundem Cyprianum *ep. 3. ad Rogatiam. p. 172.*, et *ep. 43. ad Plebem p. 227.* unde intelligis, quemadmodum Episcopi punire sote possint. Mitto cetera, ne longus sim.

§. V. Data Christianis s pace, non solum suo jure, sed etiam legibus Imperatorum (1), Ecclesia de criminibus judicavit. Atque hæc quidem judicia non tantum erant de criminibus in religionem (2), sed & omnes comprehendebant causas, in quibus Clerici aliquo in rempublicam crimine arguebantur (3). Potestatem illam cognoscendi puniendique crimina in religionem à Christo nominatim accepit Ecclesia, in quam ipse contulit clavium potestatem, & cujus unius esse voluit curare omnia, quæ ad res sacras, aut divinas pertinent. Quare quisquis inter Ecclesiæ filios per Baptismum cooptatus in ea peccat, quæ unius Ecclesiæ gubernio, curæ, judicio commissa sunt, is omnino illius potestatem, & animadversionem subire debet, ac si ejus decreto non steterit, Christi jussu, tamquam ethnicus, & publicanus habendus est (4): nimirum ei sacris est interdendum, & communione Christianorum.

(1) Vide Constantini constitutionem *Extravag. cod. Theod. de episc. judic.*, de qua late egi *l. 3. t. 1. §. 22. not. 4. t. 3. p. 29. et seq.*, Item *L. 12. 41. 47. cod. Theod. episc. Eccles.*, et *Cleric. Justiniani Novellam 83.*, *Capitularia Caroli M. l. 5. cap. 398. et 390. l. 7. C. 347. et 436. t. 1. col. 604. 606. 735. 750. ed. Baluzii Ven. 1772.*, & alibi passim.

(2) De rebus, quæ ad religionem pertinent, omne judicium unius Ecclesiæ esse, nulla est, & nulla unquam fuit inter catholicos controversia. Nam tota hæc potestas, & gubernatio uni Ecclesiæ à Christo data nominatim est; & huc spectant Concilia quavis ætate habita ad fidem, ac disciplinam stabiliendam, hæreticosque condemnandos, huc similiter constitutiones, quas Romani Pontifices, quoties opus fuit, ediderunt. Confer doctissimum Mamachium *ad Auctorem op. Quid est Papa? ep. 3. t. 1. p. 237. seq.*, & confer etiam quæ ipse scripsi *l. 3. tit. 1. §. 8. tom 3. p. 55. et seq.*

(3) Auctor *constit. Apostolic. l. 2. c. 47.*, Canon Apostolorum 66. apud *Cotelerium PP. Apostolic. t. 1. p. 257. et 451. ed. Amstelæd. 1724.*, Concilium Eliberitanum *can. 74.*, ibique *Albaspinæus in Not. p. 184. ed. Neap. 1770.*, Antiochenum *can. 12. 14. 15. apud Labbæum concil. t. 2. col. 595. ed. Ven. Carthaginense III. can. 9.*

& Carthaginense III. *can. 2. eod. t. 2. col. 1401. et 1454. Toletanum III. can. 13. t. 6. col. 700.*, Matisconense an. 580. *can. 8. et 32. t. 6. col. 662. et seq. ejud. collect. Labbæi.* Confer etiam *Optatum Milevitanum l. 1. contr. Parmenian. n. 22. et 23. p. 22. 23. ed. Antwerp. 1702.*, *Rufinum Histor. l. 10. seu 1. C. 2. col. 217. ed. Vallarsii Veron. 1745.*, qui refert ea de re præclaram Constantini Imperatoris sententiam; *Luciferum Calaritanum l. 1. pro S. Athanas. adv. Constantium in Biblioth. PP. t. 4. p. 184. lit. G. ed. Lugdun. 1677.* *Constantinum Imp. ep. ad Pop. Alexandr. apud Athanasium Apol. 2. contr. Arian. n. 62. opp. t. 1. p. 142. ed. Patavii 1777.*, *Ambrosium in Act. conc. Aquilejen. opp. Ambros. t. 5. p. 511. ed. Ven. 1781.*, et *ep. 21. ad Valentinian.*, *ep. 56. ad Theophil. t. 6. p. 52. et p. 184.*, *Martinum apud Sulpitium Histor. l. 2. C. 50. t. 2. p. 263. ed. Veron. 1754.*, *Gregorium M. ep. 56. ad Joannem ep. l. 2. opp. t. 2. c. 667. ed. Paris. 1705.*, et in *can. 39. et 40. caus. 11. qu. 1.*, *Hilariūm ad Constant. l. 1. n. 1. col. 535. t. 2. opp. ed. Veron. 1730.* *Athanasium in Hist. Arianor. ad Mon. n. 52. opp. t. 1. p. 297. ed. Patav. 1777.*, *Osius ad Imper. Constant. apud Athanasium Hist. Arian. ad Monach. t. 1. p. 293. ed. Patav. cit.*, *Libellium ep. ad Euseb. apud Constantium epist. Pont. Roman. col. 431.*, et in *Dialog. cum Constantio apud eundem n. 1. col. 434.*, Ipsi etiam Ariani Principes hanc Ecclesiæ jurisdictionem in causis civilibus, & criminalibus agnoverunt. Nam *Theodoricus Gothorum Rex calumniatores Augustani Episcopi*, quoniam erant clerici, ad *Mediolanensem Episcopum* judicandos misit apud *Cassiodorum l. 1. t. 1. ep. 9. p. 7. ed. Rotomagi 1679.* Romanosque clericos actione tum civili tum criminali apud *Romanum Pontificem*, vel *judicem ab eo datum pulsari* voluit *Athalaricus apud eundem Cassiodorum l. 8. t. 1. ep. 24. p. 136. ed. cit.* Quod si aliquando clerici apud laicos *judices propter crimen accusati sunt*, id quidem *injuria*, ac *per vim factum est*; qui etiam interdum clerici à laica potestate *auxilium petierunt*, non ut ipsa *judicium ferret*, sed ut alienam temeritatem vi adhibita *coerceret*, atque ut repugnantes ad *parendum Ecclesiæ sententiis cogeret*. *Constantinus Imperator exilio mulctavit S. Athanasium propterea quod eum ecclesiastico judicio damnatum putavit*, cui se parere oportere intellexit, sicuti testatur *Sozomenus Histor. eccles. l. 2. c. 28. p. 84. ed. Valesii Cantabrig. 1720.* Verum ipse ecclesiastico *judicio habito Antiochiæ, Romæ, Sardiciæ absolutus fuit*, quod ipse *Athanasius Apolog. contr. Arian. in princ. opp. t. 1. p. 97. et 98. ed. Patavii cit.* satis esse docet, ut omnis *controversia plane finita habeatur*. Crimen autem *Athanasio* objectum non *ecclesiasticum*, sed *læsæ majestatis erat*, in quod præ ceteris Imperator *animadvertendum putarat*. Non esse longum in recensendis *exemplis*, quorum *ecclesiasticæ historiæ plenæ sunt*. Tantum *indica- bo judicium*, quod *sanctissimi Episcopi dederunt de Itacito*, qui *acus- sationes adversus Priscillianum, & Instantium ad laicum Principem de- tolerant*. Porro eum gravissime *improbarunt S. Martinus Turonensis*

qui cum eo, ejusque sociis nunquam communicare voluit, ut testatur Severus Sulpicius *l. 2. n. 50. t. 2. p. 263. et Dial. 3. n. 12. t. 1. opp. p. 140. ed. Veron. 1754.* Similiter Theognostus, alique sanctissimi Episcopi ea de causa ab ejus communione divisi sunt, uti patet ex eodem Sulpicio *t. 1. l. c.*, & S. Ambrosio *Ep. 24. n. 12. opp. t. 6. p. 80. ed. Maurin. Ven. 1781.*, qui sese abstinuisse testatur à communione Episcoporum, qui cum Itacianis communicabant; idem quoque judicium fuit S. Siricii Pontificis, uti patet ex Concilio Taurinensi *can. 6. t. 2. col. 1386. collect. Labbæi*; & vero Itacius, quod Priscillianum accusaverat, exul, & ecclesiasticæ communionis expers decessit, sicuti narrat S. Isidorus *de Vir. illustr. c. 15. p. 781. ed. Paris. 1601.*

(4) Matthæus XVIII. 15. & seq. Ceterum Ecclesiæ in coercendis criminibus tum interioris, tum exterioris fori potestatem testatissimam faciunt Patres universi, præter ceteros autem Auctor *Const. Apostolic. l. 2. cap. 11. 12. 37. 42. 47. seq. apud Cotelierium PP. Apostol. t. 1. p. 220. 222. 250. 254. 257. ed. Amstelædami 1724.*, Cyprianus *ep. 52. ad Cornel.*, & *ep. 3. ad Rogatian. p. 238. & 172. ed. Amstelædami 1700.*, Gregorius Thaumaturgus *ep. canon. can. 5. 8. & 9. p. 49. & seq. ed. Paris. 1621.*, unde patet, alias de iis, qui sponte crimine essent confessi, & alias de iis, qui essent convicti, poenas sumptas fuisse; Innocentius I. *ep. 6. ad Exuper. Tolosan. n. 10. apud Coustantium ep. Roman. Pontif. col. 794.*, qui poenas constituit adversum adulterum, "cujus flagitium detegatur, qui probatione cessante, vindictæ rationem jubet conquiescere, qui conceptis verbis nominat uxores adulteras apud Sacerdotes delatas, hoc est accusatas." Omnia hæc, ut quisquis facile intelligit, non nisi ad exterioris fori judicium referri possunt. Idem quoque confirmant Augustinus *Serm. 351. de Penitent. c. 3. opp. t. 5. col. 1359. ed. Maurin. Ven. 1731.*, Cæsarius Arelatensis in *Append. serm. Augustin. serm. 289. De castitate n. 5. opp. t. 5. par. 2. col. 482. ed. cit. Joannes Chrysostomus Hom. 22. in 2. ad Corinth. opp. t. 10. p. 589. ed. Montfauconii Paris.*, Theophylactus *Comment. in Ep. II. ad Corinth. c. 10. vers. 8. p. 402. ed. Londini 1636.*, Oecumenius *eod. loc. t. 7. p. 710. ed. Paris. 1631.* Id postremo addam, criminalia judicia in foro exteriori apud Episcopos eodem fere ritu, quem Lex Romana constituerat, expediri consuevisse. Generatim in omnibus judiciis ecclesiasticis, uti supra animadverti, cunctæ non adhibebantur solemnitates civilium judiciorum; sed sæpe etiam hæc solemnitates, saltem quæ præcipuæ erant, observatæ diligenter sunt. Id ex collatione Juris civilis cum ecclesiastica historia manifestum est. Jure civili accusatio instituitur libello, cujus formula extat in *l. 3. ff. de Accusat.*, quique actis inseritur. Accusatorium libellum Eusebius Dorilæi Episcopus adversus Eutychem Presbyterum, & Archimandritam proponit, ut eum hæreseos accuset, eumque relegi vult, & inferri monumentis actorum, sicuti patet ex Concilio Constantinopolitano S. Flaviani Patriarchæ *Act. 1. & 2. t. 4. concil. col. 930. & 935. collect. Labbæi.* Quod etiam in Concilio Chalcedonensi *Act. 3. dict. t. 4. col.*

1267. adversus Dioscorum Theodorus præstat; quin & alia ecclesiastica judicia per libellum instituta demonstravi *l. 3. tit. 5. §. 1. not. 4. p. 73.* Jus civile accusatoris inscriptionem, & subscriptionem postulat. Inscriptione accusator ostendit, se Titium ex. gr. ex una, alterave lege reum deferre, eumque se reum demonstraturum profiteretur *d. l. 3. & l. 2. cod. de Exhib. reis.*, subscriptione vel ipse per se, vel per alium, eum litteras nescit, declarat, suas se implevisse partes, sequæ obstringit reciproci poena, si falso ab se hominem accusatum pateat *cit. l. 2. Eusebius cit. act. 1. & 2. col. 931. 934. & 935.* paratum sese exhibet convincere Eutychem falso habere catholicum nomen, libellum sua manu subscribit, & *act. 5. & 7. col. 991. et 1010.* non obscure significat, vereri se, ne per fraudem Eutychem poenam talionis perferat, quem metum Flavianus depellit. Ita in Chalcedonensi Concilio *act. 3. t. 4. col. 1267.* Paschasinus S. Leonis Papæ Legatus de Theodoro Diacono Dioscori accusatore dicit hæc: "Si confidit probare ea, quæ ingerit. . . , proprio ore confiteatur, si non vult regularem adversus se converti sententiam." Ex Jure civili reo libellus est offerendus, ut rem omnem noscat, eique ad deliberandum temporis spatium conceditur *Novel. 53. c. 3.* Idipsum cum Eutyche factum est *act. 1. et 3., aliisque actionibus col. 935. 979. seq.* Jus Civile in judiciis notarios adhiberi, cunctaque in acta referri jubet. Utrumque in causa Eutychem Constantinopolitani Concilii Patres fecisse, constat ex *act. 2. et 3. col. 938. 974. 978. 979. 982.*, idque etiam in Chalcedonensi Concilio gestum est *act. 3. col. 1290. et 1294.* Quæ de interrogandis testibus à Jure civili sunt constituta, ea fere omnia in eadem synodo Flavianus observavit *act. 3. col. 978.* Jure civili reus per apparitorem ter in judicium vocatur, atque in eum etiam manus injiciuntur, cum gravior est causa, quæ poenam postulet asperiores *arg. l. 1. ff. An per al. caus. appell. red. pos. Dioscorum, Eutychem, atque alios semel, iterum, ac tertio vocatos constat ex actis Concilii Constantinopolitani S. Flaviani, Chalcedonensis, aliorumque complurium, ex quibus etiam patet, Episcopos per Episcopos saltem duos, clericum per clericos, laicum per laicos vocari consuevisse. Vide Christianum Lupum *Diss. in Conc. Ephes. cap. 3. et Append. ad Ephesin. latrocin. act. 3. opp. t. 2. p. 9. et 213. ed. Ven. 1724.* Interdum, quod ecclesiasticæ lenitatis est proprium, quartam etiam citationem Synodi emitti voluerunt, & vero eandem in causa Nestorii emisit Synodus Ephesina *act. 1. t. 3. Concil. col. 1006. collect. cit. Eusebius accusatum reum ad Concilium invitum duci postulat act. 3. col. 986.*, quamquam eam vim adhiberi tunc Flavianus noluit. Jure Romano cum nuncius rei copiam habere nequit, decretum citationis denunciare in faciem debet; atque id revera cum Eutyche factum patet ex *act. 3. col. 983.* Secundum Jus civile regulariter in causa criminali frustra procurator constituitur *l. pen. §. ult. ff. de Publ. jud. l. 1. ff. an per alium.* Eutyches ad synodum vocatus Abrahamium, aliosque misit, qui suam agerent causam, ac pro se responderent; at S. Flavianus *act. 4. col. 990.* his Abrahamium verbis alloquitur: quo-*

mado, rogo te, est possibile, altero-accusato, pro eo aliterum dicere? Romanorum legibus statutum erat, ut reus ab accusatore, & iudice interrogaretur *l. 6. §. 1. ff. de Cust. reor.* Eutychem in Concilio Constantinopolitano Eusebius accusator, & Flavianus Concilii Præses interrogant *act. 7. col. 1010. seq. Loqui nisi interrogato testi non licebat ex jure civili Romanorum, uti tradit Asconius Pedianus in Verrin. 3.* Theophilus, & Memas Presbyteri, qui Eutychem ad synodum vocaverant, instante Eusebio, ac jubente Flaviano, multa contra Eutychem testantur, interroganti autem Flaviano, cur non ea pridem in medium protulissent, respondent *act. 6. col. 1902., minime interrogati superfluum putavimus hæc dicere.* Antequam, sententia feratur ex jure Romanorum proponitur terminus peremptorius, intra quem reus venire in iudicium debet, eoque non veniente sententia, in contumacem emittitur. Similem Eutychi terminum proposuerunt Constantinopolitani Concilii Patres, eoque elapso, *privabitur omnino, inquit act. 5. col. 998., & presbyteri dignitate, & alienabitur præesse monasterio.* Accusationem descre-re ex jure civili crimen est, quod extra ordinem punitur *l. 2. cod. ad S. C. Turpil. S. Gregorius M. in can. 6. caus. 2. qu. 3.* Paulum Diaconum, quod ab Episcopi accusatione destiterat, criminis reum iudicari, quamquam ei peculiare ob causas, quas memorant Romani Correctore, veniam tribuat. Damnari absentem leges Romanorum vetant *l. 5. ff. de pæn., l. 1. ff. de Requir. vel abs., l. 6. cod. de Accusat.* Iudicium, quod a synodo Tyria contra S. Athanasium latum fuerat, multis quidem de causis irritum habitum est, sed ea præsertim de causa, quod contra absentem jus dictum fuerat, uti patet ex rescripto Julii I. nomine evulgatum, quod extat in Athanasii operibus *t. 2. p. 603., ed. Patav. 1777.,* atque ex epistola synodica PP. Alexandrinorum *t. 2. Concil. col. 575. Collect. cit.* Contumaces etiam absentes recte damnari statutum est *l. 5. ff. de Pænis, et l. 10. ff. de Public. judic.* Nestorium, qui ad Synodum vocatus non venerat, depositionis poenæ ab Ephesinis Patribus subjectum fuisse, tradit S. Cyrillus *Ep. ad Cler. et Pop. Alexandr. in t. 1. Conc. col. 1102. cit. collect.* Similiter Dioscorus a Chalcedonensi Concilio *act. 3. t. 4. Concil. col. 1302.* absens damnatus est, postquam tertio inutiliter vocatus fuerat. Juris civilis disciplina ita fert, ut reo insinuetur sententia, qua cognita ipse appellare possit. Sententia in Ephesino Concilio adversus Nestorium lata insinuata ei est per litteras synodales, quarum epigraphe hæc est: *Synodus Nestorio novo Judæ.* Postremo quæ a jure civili de probationibus ab actore, de exceptionibus a reo proponendis, de concedendis utrique idoneis dilationibus sunt constituta, ea fere omnia in ecclesiasticis quoque judiciis observata fuisse, ex Conciliorum actis manifestum est. Placuit conferre Jus civile cum ecclesiasticis judiciis, ut clarior sit error illorum, qui Ecclesiam exterius forum habuisse inficiantur.

§. VI. Potestas animadvertendi in crimina clericorum oritur ex imperio, & jurisdictione, quam Ecclesia, tam-

quam perfecta, ac distincta respublica, in suos subditos habet. Nam cui summa potestas, & jurisdictio commissa est, cui jus est imperandi, l. gesque ferendi, ei quoque jus competit puniendi fontes, qui legibus non obtemperant, statumque reipublicæ pervertunt (1). Omnes, qui baptismum susceperunt, proprie Ecclesiæ subditi sunt; sed tamen ita fert imperii, & sacerdotii concordia, ut laici tantum in rebus sacris, atque divinis, clerici autem in rebus omnibus Ecclesiæ subjiciantur; quoniam hi magistratus habent, & officia ecclesiastica, & proprie conficiunt ecclesiasticam rempublicam, sive administrationem, & potestatem, quam a civili distinguimus (2).

(1) Puffendorffius & Heineccius *l. c.*

(2) Laicos aliquot jam usque ab antiquis temporibus clericis infestos fuisse, tradit Bonifacius VIII. in *c. 3. de Immunit. Eccles.* Eum reprehendit Cavallarius *Inst. Jur. Canon. par. 3. c. 25. §. 2. not. 2.,* quasi id minus vere dictum sit, quoniam ait initio magnam inter clericos, & laicos fuisse concordiam, ac tantum post editas Isidori decretales dissidia erupisse. Sed falso, & immerito Cavallarius Bonifacium accusat. Nolo longus esse in recensendis exemplis, quorum historia plene sunt. Tantum indicabo, quod Hilarius Pictaviensis Episcopus narrat evenisse ætate sua, quæ in IV. sæculum incidit. Ipse scilicet *ad Constant. August. l. 1. n. 1. opp. t. 2. p. 535. ed. Veron. 1730.* Constantium rogat, ut suis quoque legibus personalem Clericorum immunitatem confirmet, "neque posthac (laici), præsumant, atque usurpent, & putent se causas cognoscere clericorum, & innocentes homines variis afflictationibus, minis, violentia, terroribus frangere, atque vexare."

§. VII. Jamvero civilium, & ecclesiasticarum poenarum non idem plane finis, neque eadem prorsus ratio est. Ecclesia, quam charitas exercet, duo tantum habet proposita, primum, ut peccator redeat ad bonam frugem, alterum, ut ceteri exemplo poenæ a crimine deterreantur (1). Civilis potestas in irrogandis poenis læsi quoque dignitatem tuetur, & publicam ultionem persequitur. Ecclesiasticarum poenarum summus est gradus eos, qui gravissime peccarunt, è republica expellere; civilis potestas progreditur etiam ad poenas, per quas sanguis effunditur, aut fontes morte multantur.

(1) Præclare Augustinus *Epist. 185. ad Bonifac. n. 7. opp. t. 2. Tom. IV.*

col. 653. ed. Ven. cit. "Multi, inquit, per illas correcti sunt, & quotidie corriguntur; & se esse correctos, atque ab illa furiosa pernicie liberatos gratias agunt. Et qui oderant, diligunt, molestasque sibi fuisse, saluberrimas leges, quantum in insania detestabantur, tantum recepta sanitate gratulantur, & in residuos, cum quibus fuerant perituri, jam simili dilectione nobiscum, ut pariter instemus, ne illi pareant, excitantur." Deinde multis ostendit, utile prorsus esse homines peccatorum meta ad veritatem ducere, ac quasi compellere: „multis enim, ait, profuit prius timore, vel dolore cogi, ut postea possent doceri, aut quod jam verbis didicerant, opere sectari. Denique habet hæc: Antequam dicant boni filii; concupiscentiam habemus dissolvi, & esse cum Christo; multi prius, tamquam mali servi, & quodammodo improbi fugitivi ad Dominum suum temporalium flagellorum verberere re, vocantur." Ad hæc postrema Augustini verba diligenter advertant velim, qui Ecclesiam temporales infligendi poenas potestatem habere inficiantur.

§. VIII. Et quoniam Ecclesiæ potestas duplex est, altera tota spiritualis à Christo separatim data, quæ tum in interiori, tum in exteriori foro exercetur, altera, quam ipsa habet communem cum omni perfecta, ac distincta reipublica, & quæ temporalis dicitur; sequitur, ut duplex etiam sit genus poenarum, quæ ab ipsa irrogantur. Aliæ scilicet spirituales sunt, quæ animum affligunt, & aliæ temporales, quæ corpus castigant. Spirituales poenas infligendi jus est in omnes, qui per baptismum inter Ecclesiæ filios cooptati sunt, quique in religionem peccant; temporales quoque poenas in omnes constituit Ecclesia, sed in laicos, & clericos ratione dispari.

§. IX. Laici, qui tamquam Christiani, Ecclesiæ, tamquam civilis reipublicæ cives, hujus imperio parere debent, Ecclesiæ coercionem subsunt in iis criminibus, quorum iudicium ad Ecclesiam pertinet; in ceteris à civilibus magistratibus judicandi sunt. In hos quoque utitur Ecclesia poenis temporalibus, ut eam habeat, quam habere opus est, rationem criminum, & reus respiscat, neque omnes indiscriminatim subjiciantur poenis spiritualibus, quæ gravissimæ sunt. Clericorum crimina omnia coercet Ecclesia, sive ecclesiastica, sive civilia sint. Hæc quidem propter rem ipsam non sebesent Ecclesiæ potestati; sed ei tamen subiecta fiunt propter jus in personas, quarum crimina coer-

cenda sunt à reipublica, in qua versantur, & cui subjiciuntur.

§. X. At clerici civilis quoque reipublicæ cives habendi sunt, neque eos Ecclesia ita in reipublicam suam cooptavit, ut ipsi impune contemnerent, ac perverterent jura civitatis. Ergo Ecclesia curat, ut hæc jura sarta tecta serventur, poenasque repetit à clerico, qui ea violare ausus est. In quibus sane poenis suam quoque, cum est opus, partem, & potestatem civili reipublicæ relinquit. Scilicet quamdiu ipsa habet poenas delicto pares, easdem ipsa imponit eo jure, quod omnis reipublica habet in cives suos, & clericum criminosum plectit exilio (1), verberibus (2), multa pecuniaria (3), carceribus (4), ceterisque poenis, quibus hoc agitur, ut peccator emendetur, ac ceteri exemplo poenæ sese à crimine absterneant (5).

(1) *Hi, qui adversa eis molliuntur*, inquit Concilium Romanum sub Symmacho P. an. 503. apud Labbazum t. 5. concil. col. 504. "icet à SS. PP. statutum est (quibus ex verbis constat vetustam tunc fuisse, eam disciplinam), & hodie Synodali, & Apostolica auctoritate firmatur, penitus abjiciantur, & exilio, suis omnibus sublatis, perpetuo tradantur." Ante hanc Romanam Synodum eandem exilii poenam ab Ecclesiastico Magistratu irrogatam memorat Eusebius Dorilæi Episcopus in concilio Constantinopolitano sancti Faviani act. 7. col. 1010. t. 4. ejusd. collect., & ejus quoque mentio est in Concilio Aurelianensi IV. can. 29. t. 5. concil. col. 1369., & Toletano XII. can. 10. t. 7. col. 1443., itemque apud S. Gregorium M. ep. 71. lib. 11. ad Arsemium Subdiacon. opp. t. 2. col. 1172. ed. Maurin. Paris. 1706., et in cau. 23. dist. 63. in can. 9. c. 3. q. 4., et in can. 3. c. 3. q. 5.

(2) "Tantum scelerum, inquit S. Augustinus ep. 133. n. 2. ad Marcellin. Tribun. opp. t. 2. col. 396. ed. Maurin. Ven. 1729. confessio, nempe... virgarum verberibus erusti, qui modus coercionis, & à magistris liberalium artium, & ab ipsis parentibus, & sæpe etiam in iudiciis solet ab Episcopis adhiberi." De S. Cæsario Arelatensi narrat Cyprianus ejus discipulus in ejus vita apud Surium ad diem 27. August. t. 4. p. 927. ed. Coloniae Agrippinæ 1583. eum diligenter observasse: "ut nemo ex illis, qui ipsi parebant, si pro sua culpa flagellandi essent, amplius triginta novem ictibus ferirentur, ita tamen ut si quis in gravi culpa esset deprehensus, permetteret, ut post dies paucos vapularet iterum." Idem poenæ genus memorant etiam S. Gregorius M. l. 4. ep. 27. ad Januar. et l. 9. ep. 65. ad eumd. op. t. 2. col. 707. et 982. ed. cit. et l. 11. ep. 71. ad Anthem. Subdiacon. col. 1177. Cassianus l. 4. Instit. c. 16. p. 58. ed. Francof. 1622., Palladius Hist. Lausiæ.

c. 6. p. 908 in *Bibl. PP. Græco-Lat. t. 2. ed. Ducæi Paris 1624*. Concilium Agathense *can. 38 et 41. apud Labbæum t. 5. concil. col. 527. et 528. Narbonense sub Reccaredo can. 13. t. 6. col. 728.*, Epaonense *can. 13. t. 5. col. 713.*, Matisconense I. *can. 8. t. 6. col. 660.*

(3) Multas pecuniarias ab Ecclesia constitutas fuisse, ostendit concilium Carthaginense V. *an. 399. vel 400. can. 2. apud Labbæum t. 2. concil. col. 1454.*, & S. Gregorius M. *ep. 26. l. 4. ad Januar. t. 2. col. 704. ed. cit.* Eadem quoque multa paganos Calamenses plectendos censebat Augustinus *ep. 104. opp. t. 2. col. 379. ed. Maurin. Ven. 1759.*

(4) De Ecclesiæ decanicis, sive carceribus egi l. 3. tit. 1. §. 21. not. 1. p. 23. Carceris autem loco sæpe clericus in monasterium detrudebatur. Si *Episcopus*, inquit Concilium Agathense, (aliis autem Epaonense) *can. 50. apud Labbæum t. 5. Conc. col. 529.* "Presbyter, vel Diaconus capitale crimen commiserit, aut chartam falsaverit, aut testimonium falsum dixerit, ab officii honore depositus in monasterium retrudatur, & ibi, quamdiu vixerit, laicam communionem accipiat." Confer etiam Concilium Matisconense I. c. 5. apud Labbæum t. 6. col. 659., Hispalense *can. 3. eod. loc. t. 6. col. 1314.*, & Epaonense *can. 22. t. 5. col. 714.* S. Gregorius M. *ep. 4. l. 10. ad Sab. Subdiacon. t. 2. col. 1044.* "reum in districtam custodiam redigi jubet; & ideo, inquit, quia tanti facinoris iniquitas districta, atque subtili investigatione quaerenda, atque plectenda est, hæc tibi auctoritate præcipimus, ut vigilantissimo studio, & diligenti omnino cura perquiras, & si quæ indicia apprehendere hujus rei potueris, eum in custodiam districtam, quousque nobis renunties, redigas, ut qualiter immanissimum facinus discuti debeat, ac puniri, deliberare possimus."

(5) Quid sibi velit Ecclesia in Corporalibus infligendis pœnis, egregie præter ceteros explicat S. Gregorius M. *ep. 27. l. 4. ad Januar. t. 2. col. 707.* "Paulum vero clericum, inquit, qui sæpe dicitur in maleficiis deprehensus, qui despecto habitu suo ad laicam reversus vitam in Africam fugerat, si ita est, corporali prius proveniente vindicta, providimus in pœnitentiam dari quatenus, & secundum Apostolicam sententiam, ex carnis afflictione spiritus salvus fiat." Quo loco Gregorius memorat & corporalem vindictam & pœnitentiam, quam utramque distinguit, & utramque adversus criminis illum clericum constitui jubet. Ad corporales pœnas referendæ sunt etiam publicæ pœnitentiæ, jam ab initio Ecclesiæ institutæ, uti constat ex Tertulliano *Apolog. c. 39. & l. de Pudicit. c. 5.*, & l. de Pœnit. c. 9. p. 31. 558. 127. ed. Paris. 1675. & S. Iræneo *Contr. hæres. l. 1. c. 13. n. 5. & 6. p. 63. & 65. t. 1. opp. ed. Venet. 1734.*, lateque ostendunt Massuetus in *Irenæ. Diss. 3. art. 7. n. 74. & 75. p. 126. seq. t. 2. opp. Irenæ.*, & Albaspinæus *Observ. l. 2. Observ. 22. p. 113. ed. Neap. 1770.* quamquam serius constitutæ videantur solemnes illæ Stationes, de quibus disserui l. 2. tit. 2. sect. 4. §. 72. p. 129. seq. Nam pœnitentes cilicio operiebantur, sibi crines tondebant, jejuniis corpus cruciabant, flexis genibus stabant, sese à balneis, convivii, matrimonii usu abstinabant, aliisque subiciebantur pœnis, quas nemo inficiabatur fuisse, pœnas, quæ corpus castigabant. Hæ quidem omnes eo spectabant, ut

criminosus emendaretur, atque ad bonam frugem rediret; sed hic idem omnium ecclesiasticarum pœnarum finis est. Atque in his quidem pœnis, ut inquit Augustinus *ep. 185. ad Bonif. c. 6. opp. t. 2. col. 652. ed. Venet. 1730.* "cur non cogeret Ecclesia perditos Filios, ut redirent, si perditii filii coegerunt alios, ut perirent?" Porro si Ecclesia semper constituit pœnas, quæ corpus castigarent, manifestum est, ei jus esse corporales pœnas infligendi. Si eas ipsa constituit tum in interiori, tum in exteriori foro, dubitari non potest, quin ejus potestas exterius quoque forum attingat. Denique si eadem Ecclesia his pœnis animadvertit, etiam ethnicis dominantibus, cum scilicet à laico Principe nulla hujusmodi facultas concedi potuit, facile intelligitur, eam suo jure hanc potestatem, non cujusquam beneficio, ac privilegio obtinuisse. Certe quod à Petro gestum est adversus Ananiam, & Saphiram, à Paulo adversus Elimam magum, & adversus blasphemum, est quidem contra ordinem factum, sed tamen ostendit Ecclesiæ potestatem corporales quoque pœnas infligendi. Apposite Auctor incertus, sed antiquus sub nomine Augustini in l. *Contr. Fulgent. Donatist. c. 23. t. 9. col. 11. in Append. opp. S. Aug. ed. Venet. 1733.* "Non enim, inquit, malos persequi peccatum est; nam & sanctos, & sanctum sanctorum Dominum malos legimus persecutos. Dæmones namque persecutionem Domini non ferentes clamabant: quis nobis, & tibi filii Dei venisti perdere nos? Et Paulus Elimam magum ultimus est excitate, & blasphemum hominem tradidit Satanæ, & Petrus Ananiam, & Saphiram ejus uxorem mendaces occidit, & Simonem magum tandem persecutus est, donec morte perimeret. Sed & David in persona Christi clamat, & dicit: persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar, donec deficiant. Affligam illos, nec poterunt stare."

§. XI. Sed cum criminis magnitudo pœnas postulat asperiores, quæ modum superant ecclesiasticæ coercitionis, Ecclesia non illud suscipit rei patrocinium, quod in civilis reipublicæ detrimentum redundaret. Quare clericum flagitiosum de gradu dimovet, atque ab se ejicit, & subdit civili potestati, quæ de eo pœnas sumit, quas aptas, & idoneas judicat. Verum non pro quovis crimine clericus de gradu dimovendus, atque ex ecclesiastica republica expellendus est. Non enim omnia crimina paria sunt, & iniquum atque absurdum esset parem levioribus, & parem item immanioribus criminibus pœnam constituere. Si ejectio clerici à republica ecclesiastica pœna est gravissima omnium, quas Ecclesia adhibet, ac tantum atrocioribus criminibus reservata, non eadem certe pœna plectendus est clericus, qui levius deliquit. Quare is quidem afficiendus est pœna; sed cum crimen tam grave non sit, ut pœna perducenda videatur ad summum gradum, qui ei jus eri-

pit civis reipublicæ ecclesiasticæ, puniendus est à republica, ad quam pertinet, & cujus imperio subjicitur.

§. XII. Atque hæc semper fuit ecclesiasticæ, & civilis reipublicæ concordia; utraque suam semper habuit in coercendis criminibus potestatem, neque unquam altera alteram perturbavit, aut fecit, quod crimen aliquod inultum impunitumque dimitteretur. Civilis respublica habet res, ac personas suas, & suas item res, ac personas habet respublica ecclesiastica, quæ sine illis vera, ac perfecta respublica haberi non posset. Laici omnes pertinent ad civilem rempublicam, clerici ad ecclesiasticam, quoniam hi sunt cives, ex quibus hæc duæ respublicæ efficiuntur. Civilis reipublicæ propria sunt omnia civilia negotia; quidquid res sacras, aut divinas respicit tantum ecclesiæ subest potestati.

§. XIII. Verum negotia, quæ sua indole, & natura propria essent civilis reipublicæ, sæpe fiunt subjecta reipublicæ ecclesiasticæ, quoniam ei subsunt personæ, quarum ea negotia sunt. Nemo enim alicujus negotium expedire cum imperio, & jurisdictione potest, nisi in personam habeat potestatem. Ita crimina, quæ propter naturam suam à civili republica noscenda, puniendaque essent, Ecclesiæ animadversioni subjiciuntur, quia patrata sunt à clericis, qui ecclesiæ potestati, imperioque subsunt. At quod facit Ecclesiæ, ut propter jus in personas animadvertat etiam in crimina, quorum sua non esset coercitio, id civilis respublica efficere non potest, ut propter jus in personas laicorum judicet etiam de criminibus, quæ ab iis in sacra, divinaque admissa sunt. Nam harum rerum cognitio, & animadversio est supra jura meræ reipublicæ, earumque judicium, & potestas à Christo tam in Clericos, quam in laicos uni Ecclesiæ data est.

TITULUS II.

De delictis, et eorum divisione.

- | | |
|--|--|
| I. Quid delictum, quid peccatum? | IV. Civilia. |
| II. Peccatum unius Ecclesiæ potestati subjectum. | V. Mixta. |
| III. Delicta ecclesiastica. | VI. Cui mixtorum criminum judicium competat? |

Criminalium judiciorum materia in delictis est posita. Est autem delictum, seu crimen (1) libera, & voluntaria actio, vel omissio contraria legibus, pœnaque coercenda. In omni delicto inest etiam peccatum, quod est quævis improba divini, aut humani juris violatio; quoniam Deus homines parere jussit non tantum legibus ab se, aut ab ecclesia latis, sed etiam legibus, quas civilis potestas constitueret, quæque divinis, aut ecclesiasticis mandatis non adversarentur. Contra non omnia peccata sunt item crimina, quia non omnia redundant in detrimentum societatis, ideoque divinæ ultioni reservantur, neque humanis legibus coercentur. (2).

(1) Romani Jurisconsulti privata delicta à publicis Criminibus distinguebant; horum accusationes cuivis è populo à lege committebantur; illa autem non nisi privatis partium querellis in judicium deferebantur. Sed jam ab omnibus utrumque vocabulum promiscue usurpatur. Alia, quibus item delicata appellatur, nomina describit Renazzius *Inst. crimin. l. i. c. i. §. 4.*

(2) S. Augustinus in *Can. i. dist. 81.* peccatum à crimine ita distinguit exponens illud Apostoli, oportet Episcopum ordinandum sine crimine esse: "Non ait enim Apostolus, inquit, si quis sine peccato est; hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur. Sed ait: si quis sine crimine est, sicut est homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, sacrilegium, et cetera hujusmodi. Crimen est peccatum grave accusatione, et damnatione dignissimum, & S. Thomas lect. 2. comm. in Ep. ad Titum. Aliud inquit, est crimen, & aliud est peccatum. Peccatum dicitur quodcumque sive magnum, sive parvum, sive occultum. Crimen autem magnum, & infame.

§. II. Quidquid in crimine peccatum est, cujusvis illud naturæ sit, unius Ecclesiæ potestati subjicitur, quoniam ei tantum Christus retinendi, ac remittendi peccata facultatem attribuit. Quare crimina, quorum coercitio pertinet ad civilem rempublicam, subsunt Ecclesiæ judicio propter peccatum; & hoc quidem judicium exercet Ecclesia in foro pœnitentiæ, in quo pœnæ sacerdotis arbitrio imponuntur. Quin etiam publica peccata publicis quoque afficiuntur ab Ecclesia pœnis, ut ita publicæ offensionis satisfiat (1). Multa tamen scelera sunt, in quibus Ecclesia tam de crimine, quam de peccato judicat, & in quæ tum exterioris, tum interioris fori potestatem exercet.

pit civis reipublicæ ecclesiasticæ, puniendus est à republica, ad quam pertinet, & cujus imperio subjicitur.

§. XII. Atque hæc semper fuit ecclesiasticæ, & civilis reipublicæ concordia; utraque suam semper habuit in coercendis criminibus potestatem, neque unquam altera alteram perturbavit, aut fecit, quod crimen aliquod inultum impunitumque dimitteretur. Civilis respublica habet res, ac personas suas, & suas item res, ac personas habet respublica ecclesiastica, quæ sine illis vera, ac perfecta respublica haberi non posset. Laici omnes pertinent ad civilem rempublicam, clerici ad ecclesiasticam, quoniam hi sunt cives, ex quibus hæc duæ respublicæ efficiuntur. Civilis reipublicæ propria sunt omnia civilia negotia; quidquid res sacras, aut divinas respicit tantum ecclesiæ subest potestati.

§. XIII. Verum negotia, quæ sua indole, & natura propria essent civilis reipublicæ, sæpe fiunt subjecta reipublicæ ecclesiasticæ, quoniam ei subsunt personæ, quarum ea negotia sunt. Nemo enim alicujus negotium expedire cum imperio, & jurisdictione potest, nisi in personam habeat potestatem. Ita crimina, quæ propter naturam suam à civili republica noscenda, puniendaque essent, Ecclesiæ animadversioni subjiciuntur, quia patrata sunt à clericis, qui ecclesiæ potestati, imperioque subsunt. At quod facit Ecclesiæ, ut propter jus in personas animadvertat etiam in crimina, quorum sua non esset coercitio, id civilis respublica efficere non potest, ut propter jus in personas laicorum judicet etiam de criminibus, quæ ab iis in sacra, divinaque admissa sunt. Nam harum rerum cognitio, & animadversio est supra jura meræ reipublicæ, earumque judicium, & potestas à Christo tam in Clericos, quam in laicos uni Ecclesiæ data est.

TITULUS II.

De delictis, et eorum divisione.

- | | |
|--|--|
| I. Quid delictum, quid peccatum? | IV. Civilia. |
| II. Peccatum unius Ecclesiæ potestati subjectum. | V. Mixta. |
| III. Delicta ecclesiastica. | VI. Cui mixtorum criminum judicium competat? |

Criminalium judiciorum materia in delictis est posita. Est autem delictum, seu crimen (1) libera, & voluntaria actio, vel omissio contraria legibus, pœnaque coercenda. In omni delicto inest etiam peccatum, quod est quævis improba divini, aut humani juris violatio; quoniam Deus homines parere jussit non tantum legibus ab se, aut ab ecclesia latis, sed etiam legibus, quas civilis potestas constitueret, quæque divinis, aut ecclesiasticis mandatis non adversarentur. Contra non omnia peccata sunt item crimina, quia non omnia redundant in detrimentum societatis, ideoque divinæ ultioni reservantur, neque humanis legibus coercentur. (2).

(1) Romani Jurisconsulti privata delicta à publicis Criminibus distinguebant; horum accusationes cuivis è populo à lege committebantur; illa autem non nisi privatis partium querellis in judicium deferebantur. Sed jam ab omnibus utrumque vocabulum promiscue usurpatur. Alia, quibus item delicata appellatur, nomina describit Renazzius *Inst. crimin. l. i. c. i. §. 4.*

(2) S. Augustinus in *Can. i. dist. 81.* peccatum à crimine ita distinguit exponens illud Apostoli, oportet Episcopum ordinandum sine crimine esse: "Non ait enim Apostolus, inquit, si quis sine peccato est; hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur. Sed ait: si quis sine crimine est, sicut est homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, sacrilegium, et cetera hujusmodi. Crimen est peccatum grave accusatione, et damnatione dignissimum, & S. Thomas lect. 2. comm. in Ep. ad Titum. Aliud inquit, est crimen, & aliud est peccatum. Peccatum dicitur quodcumque sive magnum, sive parvum, sive occultum. Crimen autem magnum, & infame.

§. II. Quidquid in crimine peccatum est, cujusvis illud naturæ sit, unius Ecclesiæ potestati subjicitur, quoniam ei tantum Christus retinendi, ac remittendi peccata facultatem attribuit. Quare crimina, quorum coercitio pertinet ad civilem rempublicam, subsunt Ecclesiæ judicio propter peccatum; & hoc quidem judicium exercet Ecclesiæ in foro pœnitentiæ, in quo pœnæ sacerdotis arbitrio imponuntur. Quin etiam publica peccata publicis quoque afficiuntur ab Ecclesiæ pœnis, ut ita publicæ offensionis satisfiat (1). Multa tamen scelera sunt, in quibus Ecclesiæ tam de crimine, quam de peccato judicat, & in quæ tum exterioris, tum interioris fori potestatem exercet.

(1) Concilium Tridentinum *Ses. 24. de Reform. c. 28.*

§. III. Nam crimina vel mere ecclesiastica, vel civilia, vel mixta dicuntur. Ecclesiastica sunt, quæ directe contra fidem, & religionem, resque omnes divinas, & sacras admittuntur. Hujusmodi sunt apostasia, hæresis, schisma, simonia, profanatio sacramentorum, fractio sigilli sacramentalis, omissio paschalis communionis, aliaque præterea, si quæ sunt generis ejusdem. Omnia hæc crimina subsunt Ecclesie coercitioni, sive à clericis, sive à laicis patrata fuerint.

§. IV. Civilia sunt, quæ directe lædunt civilem rempublicam, neque aliquid habent spirituale, præter criminis in foro interno absolutionem, & poenitentiam, qualia sunt homicidium, furtum, rapina, falsum, calumnia, cetera similia. Horum facinorum coercitio pertinet ad civilem rempublicam, eaque tantum cum à clericis admissa sunt, propter jus, quod ecclesia habet in personas, ad ecclesiasticum forum deferuntur. Nos de his criminibus non agemus, quoniam eorum tractatio propria est eorum, qui jus civilis reipublicæ persequuntur.

§. V. Mixta demum crimina sunt, quæ simul & religionem lædunt, & civili reipublicæ damnum, atque injuriam inferunt. Huc spectant sacrilegium, perjurium, blasphemia non hæreticalis, sortilegium, delicta venerea, crimen usurarum, similia. Obnoxia sunt hæc crimina tum Ecclesie, tum civilis reipublicæ coercitioni, quoniam jura utriusque violant, & utraque in his criminibus partem suam curare, & tueri debet. Quare Ecclesia poenas sumit de iis, quæ ad religionem, civilis Respublica de is quæ ad læsam hominum societatem pertinet. Ita sane hæc crimina mixta dicenda sunt, quia subsunt utriusque animadversioni; non quod sine discrimine ad alterutrum forum deferri possint, ab eoque noscantur, cui primum res omnis commissa fuit. Nam si tantum alterutra potestas in hæc crimina inquireret, jus alienum invaderet, eaque cognosceret, quæ suæ potestati, & imperio subjecta non sunt.

§. VI. Sed alicubi in hæc crimina animadversio committitur mixtis tribunalibus, quæ scilicet ex Magistratibus ecclesiasticis, laicisque constat; alicubi mos est, ut mix-

tas has causas definiat unus iudex, sive ille laicus, sive ecclesiasticus sit, qui scilicet prior negotium occupavit. Verum id factum fuit tacito, aut expresso convento, & cum legitima auctoritate; ne qua rerum confusio oriretur, si reus unius criminis duplex iudicium, & duplicem poenam perferre cogeretur. Ecclesia igitur sibi uni reservavit interioris fori iudicium, potestatem autem fori exterioris etiam civili reipublicæ permissit, si ipsa primum de his criminibus iudicium institueret.

TITULUS III.

De Apostasia.

- | | |
|---|---|
| I. Apostasia quid? | cederent? |
| II. & III. Ex Apostatis alii ad Judæos, alii ad Ethnicos transibant. Illorum triplex genus. | VIII. Apostatarum poenæ. |
| IV. Ex illis, qui ad Ethnicos abibant, alii Turificati, alii Sacrificati, alii Libellatici. | IX. Regulares deserentes institutum suum Apostatæ; & poenæ in eos constitutæ. |
| V. & VI. Libellaticorum multæ species. | X. Episcopi officium in Apostatas Regulares. |
| VII. Qui proxime ad Apostatas accederent? | XI. Clerici quomodo Apostatæ fiant, & quibus poenis subjiciantur? |

§. I.

Apostasia græcum est nomen, quod latine significat defectionem, & apostatæ sunt, qui penitus à christiana religione per baptismum suscepta defecerunt. Ut vero quis apostata habeatur, sufficit, quod Christianam religionem deseruerit, quamquam ad aliam non transierit. Nam & ii, qui abjecta christiana religione athei facti sunt, apostatæ habentur, quamquam nulla ipsis religio sit, quam sequantur. Latiore sensu inter apostatas recensebantur etiam Catechumeni, qui catechesim deserentes ad Deorum templa transibant (1), quamquam baptizatorum apostasia deterior, quam catechumenorum haberetur. Certe ii, quos manuum impositione, certisque precibus inter catechumenos Ecclesia retulerat, generale Christianorum nomen obtinebant (2), &

in multis quidem rebus tamquam christiani censebantur.

(1) *L. 2. Cod. Theod. de Apostas.*

(2) Confer *Canonem 39. Concilii Eliberitani, can. 7. Concilii Constantinopolitani I., & can. 95. Concilii Trullani, quorum omnium feci mentionem lib. 2. tit. 2. sect. 1. §. 30. not. 2. p. 48.*

§. II. prioribus Ecclesiae sæculis ex apostatis alii erant, qui Judæorum, & alii, qui ethnicorum sacra amplectebantur. Illorum triplex erat genus. Unum eorum, qui prorsus abjecta christiana religione ad Judaicam accedebant, & hi proprie apostatae erant, ex quorum numero fuit Aquila, interpret Bibliorum, qui cum ab Ecclesia ejectus fuisset propter studium astrologiae, ad Hebræos migravit, & novam Bibliorum versionem Christianis infensissimam divulgavit (1). Plures quoque hujusmodi erant ætate Barchochabæ, qui multos Christianos Christum ejurare, & maledictis insectari coegit (1).

(1) Epiphanius *de Pond. & mens. n. 15. t. 2. p. 171. ed. Colonia 1682.*

(2) Justinus Mar. *Apolog. 1. n. 31. p. 62. ed. Paris. 1742.*

§. III. Alterum genus erat eorum, qui Christianam religionem non penitus abjiciebant, sed cum ea Judaicam commiscebant, atque ita novam quamdam religionem efficiebant. Hujusmodi erant Cælicolæ, qui circumcisionem cum baptismo conjungebant, in quos gravissime civilibus quoque legibus animadvertitur (1). Alii denique erant, qui non prorsus ad Judaicam religionem transibant, neque aliquod ejus dogma amplectebantur, sed in remotioribus quibusdam ritibus, & consuetudinibus Judæis adhærebant, atque ita, horum more, in Sabbato otiantur, cum iis cibum sumebant, vel jejunabant, eosque consulebant ad recipienda philacteria, & amuleta pro morbis depellendis (2), quam artem Judæi sese ex commentitiis quibusdam Salomonis libris accepisse ferebant.

(1) *L. 43. Cod. Theodos. de Hæret.* Ad genus horum apostatarum spectant Cerinthiani, Ebionæi, Nazaræi, Elcesæi, Samsæi, quos memorat Augustinus *de Hæres. c. 8. 9. 10. 32. opp. t. 8. col. 7. & 11. ed. Venet. 1733.*, similiter ii, qui se Hypsistatios vocabant, de quibus agit Gre-

gorius Nazianzenus *Orat. 19. in Funer. patr. n. 5. opp. t. 1. p. 289. ed. Colonia 1690.*

(2) Canon Apostolorum 62. ad 70. apud Cotelierium *PP. Apostolic. t. 1. p. 451. ed. Amstelædami 1724.* Concilium Laodicenum *can. 29. & 37. apud Labbæum t. 1. Conc. col. 1535. & 1538.* Eliberitanum *can. 49. & 50. t. 1. col. 998.*, Agathense *can. 40. t. 5. col. 528.*, Veneticum *can. 12. t. 5. col. 81.*, Epaonense *can. 15. t. 5. col. 713.* Matisconense I. *can. 15. t. 6. col. 66.*, Arvernense *can. 6. t. 5. col. 950.*, Aurelianense III. *can. 13. t. 5. col. 278. ed. Ven.*, Chrysostomus *Orat. 1. contra Judæos n. 1. opp. t. 1. p. 588.*, *Orat. 3. In eos qui pascha jejun. per totum pag. 606.*, & *Orat. 2. In eos qui cum Judæis jejun. p. 601. ed. Mont-fauconii Paris.*

(3) Confer Josephum *Antiquit. l. 8. c. 2. p. 419. ed. Havercampi Amstelædam. 1726.*, & Originem *Tract. 17. in Matth. opp. t. 3. p. 767. ed. Paris. 1740.*

§. IV. Ex illis, qui ad ethnicos abibant, alii sponte sua, & alii vi, ac pœnarum metu perterriti Christianam religionem deserebant. Hi proprie lapsi dicebantur, & eorum alii erant *Thurificati*, alii *Sacrificati*, alii *Libellatici* (1). *Thurificati* dicebantur, qui thus idolis adoleverant; *sacrificati*, qui immundis sacrificiis ora maculaverant (2), hoc est in templo præsertim carnes comederant hostiarum, quæ Diis immolatae fuerant, quod idololatriæ argumentum erat. Sed non eadem prorsus erat omnium *thurificatorum*, & *sacrificatorum* ratio. Nam gravius censebatur crimen eorum, qui læti, ac pretiosis induti vestibus, primoque impetu fracti, quam eorum, qui mœsti, ac longioribus victi tormentis Christum deseruissent.

(1) Horum crebra mentio est apud Cyprianum ut *in ep. 20. ad 15. ad Cler. Roman. & ep. 55. ad 52. ad Antonian. p. 199. & 241. ed. Amstelædami 1700.*

(2) Ita loquitur Cyprianus *cit. ep. ad Cler. Roman.*

§. V. *Libellatici* erant, qui nec thure, nec sacrificio à Christo deficiebant, sed tamen religionem ejurabant libellis, quos vel ethnicis magistratibus dabant, vel ab iis accipiebant, ne publice sacrificia facere cogentur. Triplex eorum genus fuisse, plerique sentiunt (1). Alii nimirum magistratibus se non esse Christianos diserte affirmabant, religionem suam verbis, scriptove negantes, atque



agentes, se paratos esse ad sacrificium faciendum, cum à magistratu vocarentur (2). Alii nec Christum ejurabant, neque ipsi libellum dabant, sed vel amicum ethnicum, vel servum mittebant, ut idolis hostiam immolaret, vel fidem abnegaret, atque ita libellum à magistratu impetrarent; quasi ipsi fecissent, quod ab aliis factum fuerat. Hos Ecclesia comparabat prioribus libellaticis, qui per se ipsos crimen admiserant (3).

(1) Baronius *ad an. 253. n. 18. & seq. t. 2. p. 580. ed. Lucæ* unum tantum libellaticorum genus facit; sed alia plerisque viris doctis, qui triplex illorum genus distinguunt, sententia est. Confer *Albaspinzum Observ. l. 1. cap. 21. p. 54. ed. Neap. 1770.*, & *Binghamum Origin. eccles. l. 16. c. 4. §. 6. t. 7. p. 202. & seq. ed. Hala Magdeburg. 1761.*

(2) Cyprianus *de Lapsis p. 95. ed. cit.* hos eodem loco habet, atque illos, qui revera sacrificium fecerant. Vide etiam *Epistolam Cleri Romani ad Cyprianum inter Cyprian. Ep. 30. p. 210.*

(3) Confer *laudatam epistolam Cleri Romani ad Cyprianum. Canones Petri Alexandrini can. 6. apud Beveregium Pandect. canon. t. 2. p. 12. edit. Oxonii* hos quoque libellaticos memorant, iisque poenam imponunt, sed tamen discrimen constituunt inter dominum, qui servum miserat; interque ipsum servum, qui jussus rem illam egerat.

§. VI. Denique alii erant, qui cum magistratus iram pecunia, & muneribus extinguere posse intelligerent, ipsum adibant, & se Christianos esse, neque idolis thus adolere, aut hostiam immolare posse aperte profitebantur, sed tamen data pecunia libellum immunitatis impetrabant. Hi non erant proprie apostasiæ rei, sed culpa non vacabant, quod in libello diceretur, eos jussu magistratus sacrificium fecisse (1). Ab his non procul aberant, qui se amentes fingebant, ut sacrificium declinarent, quique ad aram ipsam accedentes sese epilepticos esse simulabant, ne sacrificare cogerentur. Hujus criminis rei poenam ferebant simulationis indignæ homine Christiano, qui turpi animi abiectione videtur prodere religionem, quam præferre debet (2).

(1) Confer *Cyprianum Ep. 55. ad Anton. p. 245. ed. cit.*

(2) Vide *Petrum Alexandrinum can. 5. p. 12. l. c.* Ad hunc autem locum referenda est *Consuetudo Inter omnigenas 89. Benedicti XIV. t. 1. ejus Bullar. p. 183. ed. Ven. edita adversus eos, qui Christia-*

nam fidem in corde retinent sed tamen eam prodere videntur externis quibusdam ritibus, per quos infideles distinguuntur. Plures enim Christiani in Turcarum imperio vitam agentes religionem simulabant, atque ut Turcæ viderentur, eorumque juribus ac privilegiis frui possent, eorum templa frequentabant, ecclesiasticum jejuniū cum esu carniū violabant, matrimonia coram eorum iudice, quem appellant *Cadi*, celebrabant. Sancivit Pontifex, ne quis tale aliquid faciat, ut Turcæ habeatur; secus ei tum in vita, tum in morte sacramenta denegari voluit. Similiter in regionibus Albanicæ aliqui Christiani, ut multa onera, & incommoda declinarent, nomen aliquod suscipiebant, quod proprium Turcarum est, & quo Turcæ à ceteris distinguuntur. Id etiam fieri vetuit ipse Benedictus XIV. *Const. Quod provinciale concilium 37. p. 135. t. 4. ejus Bullar.*, quia tametsi fides animo retineatur, illa tamen "fieri nequeunt sine Mahumetis errorum simulatione, sinceritati Christianæ, contrariæ, quæ mendacium in re gravissima continet, & virtutem fidei, dei negationem, maxima cum Dei injuria, proximi que scandalo includit." Quæsitum quoque est, num ii, qui ad Turcas desciverunt, ac postea redierunt ad Christianam religionem, non solum Christianis, sed etiam Turcis præsentibus publice, & expresse apostasiam ejurare debeant; & responsum est à Congregatione Sac. Inquisitionis apud Card. Albittium *de Incostant. in fia. c. 8. n. 29.* eos "non teneri ad abjurandam, apostasiam publice coram infidelibus, sed sufficere, ut eam abjurent, in balneo coram fidelibus abstinendo ab actibus infidelitatis, ac deponendo habitum infidelium, quatenus sit protestativus falsæ religionis." Confer *Benedictum XIV. de Synod. dioces. c. 20. n. 8. et seq.*

§. VII. Proxime ad apostatas accedebant, & tamquam religionis, proditores habebantur, qui superstitiosos ethnicorum ritus adjuvabant, vel imitabantur. Hujusmodi erant ii, qui sacrificantium coronam gestabant (1), & qui Flaminis, hoc est ethnici sacerdotis munus suscepissent; quoniam Flaminis erat populo exhibere ludos, & spectacula, quæ plena superstitionis erant, atque in honorem Deorum edebantur. Similiter scenici, histriones, aurigæ, qui currus in publicis spectaculis agitabant, qui victimas, aut thus pro sacrificio vendebant, idolorum artifices, qui Deorum aras ædificabant, vel ornabant, idololatriæ favere, adjuutoresque esse videbantur (2).

(1) Confer *Concilium Eliberitanum can. 55. ibique Albaspinzum in Not. p. 180. ed. Neap. 1770.*

(2) Late de his omnibus agunt *Binghamus Orig. eccles. l. 16. c. 4. §. 8. et seq. t. 7. p. 206. et seq. ed. cit.*, & *Selvagius Antiq. Christian. l. 4. c. 3. §. 3. seq.*

§. VIII. Ex veteri disciplina apostatæ, qui vere idolatriæ rei erant, non solum ab Ecclesia ejiciebantur, sed etiam in quibusdam Ecclesiis excluderentur à venia, & absolutione, quam tantum in vitæ exitu impetrabant (1). Quin alicubi ea erat disciplinæ severitas, ut etiam in exitu vitæ reconciliatio, denegaretur idolatriæ reis, quibus spes omnis in una Dei misericordia relinquebatur. Sed postea dari cœpit venia, etiam antequam mortis periculum immineret; atque iis imposita pœnitentia, quæ brevior, aut longior erat pro gravitate criminis, & adjunctis, quæ illud comitabantur.

(1) Confer quæ ea de re dixi l. 2. sect. 4. §. 87. et not. 6. 7. 8. p. 151. et seq.

§. IX. Apostatæ dicuntur etiam Regulares, qui temere deserunt institutum, cui se solemnibus emissis votis addixerant, & clerici, qui à clericali statu deficiunt (1). Qui regulare institutum deseruerunt statim arcentur à sacris, & communione Christianorum (2), præsertim si habitum etiam dimiserint (3), amittunt privilegia instituti, unde discesserunt (4), susceptorum ordinum munera exercere prohibentur (5). Sunt & aliæ pœnæ adversus apostatas inductæ peculiaribus institutis, & legibus Ordinum Regularium, quales sunt carceris, jejunii, similes; præterea neque ipsi alios eligere ad prælaturas, neque ab aliis eligi possunt.

(1) Concilium Chalcedonense can. 7. apud Labbæum t. 4. col. 1683. ed. Venet. "Eos, inquit, qui in clero semel ordinati sunt, & iidem monachos, statui non nec ad militarem expeditionem, nec ad sæcularem dignitatem posse venire. Qui autem hoc audent, & non pœnitentia ducti ad id revertuntur, quod propter Deum prius elegerant, anathematizari." Similia habent S. Leo M. ep. 167. ad Rustic. resp. 14. opp. t. 1. col. 1426. ed. Ballerin. Ven., S. Augustinus in Psal. 83. n. 4. col. 101. & in Psal. 99. n. 12. col. 383. opp. t. 6. ed. Ven. 1761., Concilium Arelatense II, in can. ult. dist. 50. Toletanum VI. in can. 2. c. 20. q. 3. Turonense in cap. 3. Ne cleric. vel monach., & Alexander III. in cap. 1. de Apostat. Ille autem revera apostata habetur, qui regulare institutum temere deserit, certoque, ac deliberato animo ab eo discedendi; non item qui cum legitima venia discedit, aut qui non prorsus regularis vitæ propositum abiecit. Plures hinc oriuntur quæstiones de iis, qui à religione discesserunt, sed tamen habitum adhuc retinent, item-

que de iis, qui sine venia superioris institutum suum deseruerunt, ut laxiorem, arctioremve regulam amplectantur. De his omnibus agit Theophilus Raynaudus de Apostas. à relig. ordin. opp. t. 17. p. 5. & seq. Verum congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum an. 1624. sancivit: "ut fugitivi, & apostatæ, sive habitum regularem deserant, sive non, possint, ac debeant ab Episcopo loci, ubi moram trahunt, in carceres conjici, ac superioribus regularibus consignari, secundum regularia instituta puniendi." Ex quo patet apostatas habendos esse regulares, qui venia à superiore non impetrata à claustris discesserunt, atque extra ea temere vagantur, sive habitum gerant, sive deseruerint, sive redeundi ad religionem animum habeant, sive prorsus abjecerint. Quin etiam, ut animadverti l. 1. tit. 9. §. 15. p. 415. à Concilio Tridentino c. 4. & 19. de Regular sess. 25., & à Benedicto XIV. Const. Si datam 47. p. 237. t. 1. ejus Bullar. ed. Ven. 1754. sancitum est, ut tamquam apostatæ habeantur Regulares, qui suo arbitrio habitum deserunt, atque à claustris monasterii discedunt, ut professionis nullitatem proponant, aut eant ad sui Ordinis superiores. Eodemque habentur loco, qui post unicam de nullitate professionis latam sententiam, etiam non interposita appellatione, habitum abjecerunt, quoniam hoc negotium duabus saltem sententiis expediendum est. Benedictus XIV. Const. Si datam 47. §. Quemadmodum, t. 2. ejus Bullar. p. 238. ed. Rom. seu Ven. 1754. Pertinet etiam ad hunc locum Constitutio Licet sacra 112. Benedicti XIII. t. 12 Bullarii p. 70. & Constitutio Pastor bonus 95. §. 33. Benedicti XIV. t. 1. ejus Bullar. p. 198. ed. Ven. Consule Benedictum XIV. de Synod. dioces. l. 13. c. 11. n. 14. & Girardum Expos. jur. pontif. par. 2. sect. 157. p. 1029, ubi etiam habes constitutiones eadem de re editas à Sixto V., & à Clemente VIII.

(2) Cap. 2. Ne cleric. vel monach. in 6.

(3) Regularem, qui religionem deseruit, non tamen habitum dimisit, haberi quidem ut apostatam, & fugitivum, sed non ipso facto in pœnam excommunicationis incidere, præter ceteros, tradit Pirhingius Jur. canon. l. 3. tit. 50. §. 7.

(4) Concilium Tridentinum sess. 25. de Regul. c. 19.

(5) C. 6 de Apostat.

§. X. Episcopus in carceres conjiciendos curat apostatas, qui in sua diœcesi commorantur, eosque, ut meritè plectantur pœnis, tradit regularibus superioribus (1); sed hi quoque debent eosdem perquirere, ac dare operam diligentem, ut redeant ad bonam frugem, ac per canonicas pœnitentias crimen expiare possint (2). At illud in primis Episcopi est apostatam monere, ut sua sponte redeat ad religionem, unde discessit; quod cum ipse præstiterit, & apostata monitis obtemperaverit, Regulares superiores ab

Episcopo rogati, jussique à Sede Apostolica abstinere se debent à pœnis asperioribus, quæ sunt in apostatas constitutæ (3). Sæpe etiam Sedes Apostolica spatium temporis elargitur, quo apostatæ resipiscant, & eos ad se ultro venientes recipit, pœnasque temperat, quibus in illos jure animadvertere oporteret (4).

(1) Confer decretum editum à Congregatione Concilii die 21 Septembr. an. 1624., & approbatum ab Urbano VIII. §. 4., ac vide etiam Giralduum *Exposit. Jur. Pontific. par. 1. l. 3. tit. 31. sect. 536. p. 348.*

(2) *Cap. 24. de Regular. Veritas autem hæc est regula, & Gregorio IX antiquior, sicuti ostendit Hæstiensis Disquisit. monastic. par. 2. l. 8. tract. 4. disq. 8.*

(3) Consule Benedictum XIV. *de Synod. dioces. l. 13. c. 11. n. 11. & 12.* Quin etiam anno jubilæi Regulares apostatæ, qui sponte redeunt ad Religionem, quam deseruerunt cunctis soluti pœnis à Sede Apostolica veniam impetrant, modo à Regulari Superiore absolutionem petant, & culpam fateantur suam, atque emendationem polliceantur. Benedictus XIV. *Const. Pastoris 25. §. 1. t. 3. ejus Bullar. p. 150. ed. cit.*

(4) Benedictus XIV. *Const. Pastor bonus 95. §. 33. t. 1. ejus Bullar. p. 198. ed. cit.*

§. XI. Clerici etiam, qui suo relicto ordine, & habito à clericalis vitæ instituto deficiunt, & quod laicorum est proprium, vitæ genus suscipiunt, inter apostatas recensentur (1). Hi plectuntur pœna excommunicationis (2), fiunt infames (3), & irregulares (4), amittunt privilegia clericalia (5), & frustra moniti ab Episcopo in carceres conjiciendi sunt (6).

(1) Minores clerici, qui beneficium non habent, apostatæ non fiunt, ut omnes sentiunt; quoniam suo lubitu clericalis vitæ institutum deserere, & nuptias inire possunt. Sed num clerici minores, qui beneficium habent, incidant in apostasiam saltem latius acceptam, disputant Pirhingius *Jus canon. l. 5. tit. 9. n. 4.* & Schmier *par. 2. de Dilict. c. 3. n. 73.*

(2) Quæ excommunicatio lata sententiæ est, si clericus apostata matrimonium contraxerit *Clem. unic. de consanguinit.* Atque hæc quidem pœna contra apostatas, qui clericatum, aut regulare institutum deseruerunt, sane vetus est, eaque jam constituta à Concilio Chalcedonensi, *can. 7.*, quem describit Gratianus *can. 3. caus. 20. q. 3.*

(3) *Can. 23. caus. 2. q. 7., et can. 2. caus. 3. q. 4.*

(4) Irregularitas hæc oritur ex infamia, nisi apostata matrimonium

contraxerit, quia tunc ob bigamiam similitudinariam irregularis fiet *c. 4. & 7. de Bigam. non ordin.*

(5) *C. 3. & 25. de Senten. excom.*

(6) *C. 5. de Apostat.*

TITULUS IV.

De hæresi.

I. Hæresis quid?

II. Catholicæ Ecclesiæ fidem sequi omnes debent.

III. ad VI. Judicium Ecclesiæ, & Summi Pontificis in rebus fidei. Utrumque errori subesse non potest.

VII. Hæreticus etiam qui sciens prudens in fide dubitat.

VIII. Suspectus de hæresi.

IX. Hæreticorum pœnæ ab Ecclesiâ constitutæ.

X. Pœnæ in clericos qui in hæresim incidunt.

XI. Pœnæ inductæ à Jure civili.

XII. Hæretici ad Catholicam Ecclesiâ redeuntes.

XIII. Antiqua de his Ecclesiæ disciplina.

§. I.

Hæresis Græcis, Latinis est *secta*, atque apud eos hoc vocabulum, tam in bonam, quam in malam partem accipitur. Sed antiquissima ecclesiasticorum scriptorum consuetudine vox hæc male sonat, & significat voluntarium errorem intellectus Christiani hominis in fide cum pertinacia voluntatis. Ergo non omnis error statim aliquem hæreticum facit; sed tantum qui in fide, & qui cum voluntate pertinacia conjunctus est (1).

(1) Hunc sane spectat illud Augustini: "errore possum sed hæreticus non ero;" quia scilicet pertinax in errore non ero, sed eum cognitum statim abjiciam, meque in ecclesiæ sinum conjiciam.

§. II. Fides, quam omnes sequi debemus, est fides, quam sequitur Ecclesia catholica, quamque ipsa omnibus credendam proponit. Nam ei creditum est doctrinæ depositum, & ideo quidquid ipsa probat probandum omnibus est, rejiciendum vero quidquid eadem rejicit (1). Sæpe novi exoriuntur errores, qui fidem infuscant, atque homines abstrahere à veritate possent, nisi præsto esset

Episcopo rogati, jussique à Sede Apostolica abstinere se debent à pœnis asperioribus, quæ sunt in apostatas constitutæ (3). Sæpe etiam Sedes Apostolica spatium temporis elargitur, quo apostatæ resipiscant, & eos ad se ultro venientes recipit, pœnasque temperat, quibus in illos jure animadvertere oporteret (4).

(1) Confer decretum editum à Congregatione Concilii die 21 Septembr. an. 1624., & approbatum ab Urbano VIII. §. 4., ac vide etiam Giralduum *Exposit. Jur. Pontific. par. 1. l. 3. tit. 31. sect. 536. p. 348.*

(2) *Cap. 24. de Regular. Veritas autem hæc est regula, & Gregorio IX antiquior, sicut ostendit Hæstiensis Disquisit. monastic. par. 2. l. 8. tract. 4. disq. 8.*

(3) Consule Benedictum XIV. *de Synod. diocæs. l. 13. c. 11. n. 11. & 12.* Quin etiam anno jubilæi Regulares apostatæ, qui sponte redeunt ad Religionem, quam deseruerunt cunctis soluti pœnis à Sede Apostolica veniam impetrant, modo à Regulari Superiore absolutionem petant, & culpam fateantur suam, atque emendationem polliceantur. Benedictus XIV. *Const. Pastoris 25. §. 1. t. 3. ejus Bullar. p. 150. ed. cit.*

(4) Benedictus XIV. *Const. Pastor bonus 95. §. 33. t. 1. ejus Bullar. p. 198. ed. cit.*

§. XI. Clerici etiam, qui suo relicto ordine, & habito à clericalis vitæ instituto deficiunt, & quod laicorum est proprium, vitæ genus suscipiunt, inter apostatas recensentur (1). Hi plectuntur pœna excommunicationis (2), fiunt infames (3), & irregulares (4), amittunt privilegia clericalia (5), & frustra moniti ab Episcopo in carceres conjiciendi sunt (6).

(1) Minores clerici, qui beneficium non habent, apostatæ non fiunt, ut omnes sentiunt; quoniam suo lubitu clericalis vitæ institutum deserere, & nuptias inire possunt. Sed num clerici minores, qui beneficium habent, incidant in apostasiam saltem latius acceptam, disputant Pirhingius *Jus canon. l. 5. tit. 9. n. 4.* & Schmier *par. 2. de Dilict. c. 3. n. 73.*

(2) Quæ excommunicatio lata sententiæ est, si clericus apostata matrimonium contraxerit *Clem. unic. de consanguinit.* Atque hæc quidem pœna contra apostatas, qui clericatum, aut regulare institutum deseruerunt, sane vetus est, eaque jam constituta à Concilio Chalcedonensi, *can. 7.*, quem describit Gratianus *can. 3. caus. 20. q. 3.*

(3) *Can. 23. caus. 2. q. 7., et can. 2. caus. 3. q. 4.*

(4) Irregularitas hæc oritur ex infamia, nisi apostata matrimonium

contraxerit, quia tunc ob bigamiam similitudinariam irregularis fiet *c. 4. & 7. de Bigam. non ordin.*

(5) *C. 3. & 25. de Senten. excom.*

(6) *C. 5. de Apostat.*

TITULUS IV.

De hæresi.

I. Hæresis quid?

II. Catholicæ Ecclesiæ fidem sequi omnes debent.

III. ad VI. Judicium Ecclesiæ, & Summi Pontificis in rebus fidei. Utrumque errori subesse non potest.

VII. Hæreticus etiam qui sciens prudens in fide dubitat.

VIII. Suspectus de hæresi.

IX. Hæreticorum pœnæ ab Ecclesiâ constitutæ.

X. Pœnæ in clericos qui in hæresim incidunt.

XI. Pœnæ inductæ à Jure civili.

XII. Hæretici ad Catholicam Ecclesiâ redeuntes.

XIII. Antiqua de his Ecclesiæ disciplina.

§. I.

Hæresis Græcis, Latinis est *secta*, atque apud eos hoc vocabulum, tam in bonam, quam in malam partem accipitur. Sed antiquissima ecclesiasticorum scriptorum consuetudine vox hæc male sonat, & significat voluntarium errorem intellectus Christiani hominis in fide cum pertinacia voluntatis. Ergo non omnis error statim aliquem hæreticum facit; sed tantum qui in fide, & qui cum voluntate pertinacia conjunctus est (1).

(1) Hunc sane spectat illud Augustini: "errore possum sed hæreticus non ero;" quia scilicet pertinax in errore non ero, sed eum cognitum statim abjiciam, meque in ecclesiæ sinum conjiciam.

§. II. Fides, quam omnes sequi debemus, est fides, quam sequitur Ecclesia catholica, quamque ipsa omnibus credendam proponit. Nam ei creditum est doctrinæ depositum, & ideo quidquid ipsa probat probandum omnibus est, rejiciendum vero quidquid eadem rejicit (1). Sæpe novi exoriuntur errores, qui fidem infuscant, atque homines abstrahere à veritate possent, nisi præsto esset

certum, fixumque iudicium, quod fallere, & falli nequit, & cui tuto adhærere possumus. Quare hoc iudicium reddidit Ecclesia, quæ cum errorem aliquem tamquam hæreticum condemnavit, quisquis ejus sententiæ obfirmato in errore animo resistit, hæreticus est (2).

(1) Ut quis hæreticus sit, necesse est, quod resistat fidei dogmati ab Ecclesia recepto. Ex quo efficitur, ut hæreticus haberi non possit, qui opinionem sequitur, de quibus nondum ab Ecclesia iudicium latum est.

(3) Iudicium Ecclesiæ intelligitur iudicium Episcoporum, qui cum unitatis centro, hoc est cum Summo Pontifice consentiunt. Nam hi Ecclesiam efficiunt quam *docentem*, aut *regentem* appellamus, & quidquid ab ipsis aut de fide, aut de moribus definitum est apud omnes veritatis loco esse debet. Sed qui ægre ferunt Ecclesiæ iudicium, quod suis erroribus adversarium maxime esse sentiunt, eo rem adducere conantur, ut vix unquam certum, atque exploratum Ecclesiæ iudicium esse possit. Mitto antiquiores hæreticos Montanum, Donatistas, Nestorium, Iconomacos, Wiclefium, Lutherum, aliosque similes. Nostræ ætatis sectarii potissimum sequuntur Joannem du Verger, hominem satis notum nomine Abbatis S. Cyrani; quem ex testimonio S. Vicentii à Paula, & Cisterciensis Abbatis Joannis Jovaud de priores Ecclesiæ defectum, & contemptum Concilii Tridentini, quod ipse Scholasticorum cœtum appellabat, pietatis simulatione omnibus persuadere voluisse constat. Hi nimirum sunt verissimi hostes Ecclesiæ, licet in externa ejus communionem vivant, quorum animis alte hærent errores, quos litteris mandarunt Jansenius, & Quesnellus, quosque Sedes Apostolica, & consensus totius Catholice Ecclesiæ condemnavit. Audent hi homines ab hoc iudicio provocare, sed ne Ecclesiæ auctoritati, & doctrinæ impudenter obsistere videantur, ea diverticula quærunt, ut non illud esse videatur certum, fallique nescium Ecclesiæ iudicium quod catholicis omnibus revera est. Primum igitur Romanæ Ecclesiæ auctoritatem in discrimen revocant; deinde vero sic statuunt, Ecclesiam quidem in Synodo congregatam errori haud subesse, non item Ecclesiam per totum orbem diffusam, atque dispersam, nisi unanimitate consensus, idemque absolute sit. De his duobus paulo post dicam; nunc cetera prosequar, quæ sunt hujusmodi. Inquiunt videlicet in paucis, si ipsi opprimantur, residere veritatem, eosque hæreticos haberi non posse quamquam numero pauci obsistant ceteris, qui cum Summo Pontifice conjuncti sunt audiendam esse vocem plebis, quæ cum Pastoris voce consentiat, ut Ecclesiæ iudicium sit; uniuscujusque examini, si præsertim vitæ integer sit, definitiones esse subjiciendas, ut inde veritas elucescat; denique inferiorum clericorum cum Episcopis iudicium esse necessarium. De his omnibus dicam pro instituto meo pauca. Sane quod ajunt, in paucis inesse veritatem, cum opprimuntur id commune est, semperque

fuit hæreticis universis, qui semper sese opprimi conquesti sunt, atque hanc fuisse Donatistarum, & Pelagianorum cantilenam, testatur Augustinus *Cont. lit. Petilian. l. 2. c. 45. opp. t. 8. col. 251. ed. Ven. Maurin. 1733. et t. 10. col. 858.* De Pelagianis id tradit Nestorius ad *Cælestinum Pont. apud Labbæum t. 3. conc. col. 899. ed. Ven.* "Julianus, & Florus, & Orentius, & Fabius . . . sæpe . . . suas causas, desleverunt tamquam orthodoxi temporibus orthodoxis persecutionem passim, si . . . insistent per singulos dies implentes aures omnium vocibus la-crimosis." Idem constat ex libello, quem Julianus nomine 18. Episcoporum dedit ad Zosimum P., & *l. de Bon. constant. apud la Fontaine in constit. Unigenitus t. 4. col. 1241.* Ipse Nestorius rescribens Cælestio Pelagiano apud Marium Mercatorem *p. 71. ed. Paris. 1673.* "Nolli ægre fere, inquit, venerabilis perferens ea, quæ inferuntur, asserentibus veritatem, & refugientibus pollutorum communionem; quia, & Sanctis, qui ante nostram ætatem exiterunt, gratæ fuerunt ærum-næ, & ipsæ quidem temporales erant, veritas autem æterna . . . Paulus hoc modo quoque, & Petrus interfecti sunt. Et quid amplius, dici opus est? Ita actum est semper per diversas tentationes pietate, currente. Nolli igitur à veritate deficiens eam prode." Eadem querela fuit Petri Abailardi adversus S. Bernardum, ac Sedem Apostolicam, & eadem Calvinii in *Præfat. antidot. adversus Concilium Tridentinum.* Verum querelam & errorem hæreticorum integravit Quesnellus *prop. 66. ad 100.* quem, sequitur Labordius P. *Temoignage de laverité.* Omnino contra omnem veri speciem, & contra omnium Patrum auctoritatem. Quis enim caput, & partem fere totam Ecclesiæ, cui Christus semper se adfuturum promisit, veritatem in uno, aut altero membro sitam opprimere posse arbitrabitur: *Contra Divinum legem*, inquit Liberius P. *Epist. 4. ad Constantium* apud *Constantium Epist. Rom. Pontif. col. 424.* "visum est, cum Episcoporum numerus pro Athanasio, major existeret, in parte aliqua commodare consensum;" ipseque Athanasius *Ep. ad Jovian. Imperat. de Fid. n. 2. opp. t. 1. par. 2. p. 623. ed. Patav. 1777.* "Quæ enim sit, inquit, omnium illarum Ecclesiarum, sententia, & experientia novimus, & earum, habemus litteras. Nec vero te fugit, Piissime Auguste, tametsi pauci quidam huic, fidei adversantur, præjudicium tamen facere non posse, quippe cum Orbis universus Apostolicam fidem retineat." Basilius quoque *Ep. 204. ad Neocæsar. n. 7. opp. t. 3. p. 307. ed. Maurin. Paris. 1730.* "Justius, inquit, est autem res nostras judicari non ex uno, aut altero non recte in veritate ambulantis, sed ex multitudine Episcoporum, qui nobis in toto terrarum orbe per Domini gratiam conjuncti sunt." Augustinus *contr. Crescon. l. 3. c. 3. opp. t. 9. col. 437. ed. Maurin. Ven. 1733.* "Si omnino, credendum sit, ait, quinquaginta Episcopis Orientalium. . . contra tot millia Episcoporum, quibus hic error in toto orbe displicuit." Confer eundem Augustinum *Advers. Parmenian. l. 3. c. 6. t. 9. col. 75.*, Concilium Ephesinum in *Relat. Synodi ad Imp. act. 5. apud Labbæum t. 3. col. 1187. ed. Ven.*, cujus hæc verba sunt: "Perabsurdum enim est 200.

& 10. SS. Episcoporum synodo, quibus & universa Occidentalium SS. Episcoporum multitudo, & per ipsos reliquus totus terrarum orbis contempsit, triginta tantum numero sese opponere; præterea S. Bernardum Ep. 126. n. 11. opp. t. 1. p. 57. ed. Ven. 1765. Vere ac sapienter Clerus Gallicanus "Lettre écrite au Roy par l'assemblée Generale du Clerge, de France tenue à Paris l'annee 1731." t. 12. Act. Cler. Gall. p. 1671. absurdam opinionem illorum, qui in paucis veritatem residere inquirunt, perstringit his verbis: "Le grand objet des Sectaires est de combattre, & de rendre odieuse l'autorité du corps des Pasteurs unis à leur Chef pout y substituer celle de quatre, ou cinq Eveques Refractaires, Systems monstrueux, qui sappe les fondemens de la Religion, qui détruit l'universalité, & la visibilité de l'Eglise; & réduit les fideles comme les Protestans, à n'avoir plus de regle fixe de leur creance." Certe quis non intelligit, nullam jam hæresim, & neminem futurum hæreticum, si paucis liceat Ecclesiæ judicio resistere? Omnes enim, qui propter errores ab Ecclesia condemnantur, sese opprimi quererentur, & penes se veritatem esse contenderent. Ergo Ecclesia, quæ ab ipsis dissentit, in errore versaretur, atque ita satis esset, quod ipsa hæreticos condemnaret, ut desineret esse Ecclesia catholica, hoc est columna, & firmamentum veritatis. Nam quibus hæreticis non illud præsto esset diverticulum, ut Ecclesiæ judicium impune despicerent, erroremque suum probare, ac tueri possent? Ergo Lutherani, Calviniani, ceteri non amplius erunt hæretici; quoniam omnibus idem patet effugium, & omnes pari jure cum Quesnelo veritatem penes se esse arbitrantur. Quos vero ex multiplici illo numero hæreticorum, quibus omnibus dissimiles, interque se pugnantis sententiæ sunt, ceteris præferendos putabimus. Omnes penes se veritatem habere censent, & tamen si qua secta veritatem haberet, eam certe habere non possent reliquæ sectæ, quæ ab aliis quam maxime discrepant. Ergo ut intelligatur, qui veritatem sequantur, quique in errore versentur, oportet adesse judicem, qui certo definiat, quis insistat in veritate, & quis ab ea procul absit. Hic autem iudex non alius esse potest, quam Ecclesia, cui Christus fidei depositum commisit, hoc est Ecclesia Catholica Romana, ad quam tantum pertinent ea signa, quæ veram Christi Ecclesiam distinguunt, uti demonstratum est in *Prolegomenis* c. 1. §. 13. & seq. t. 1. Hæc una penes se habet veritatem, quam à Christo accepit perpetuo custodiendam, hæc hæreticos pronuntiat Zuinglianos, Anabaptistas, Lutheranos, Calvinianos, ceteros, quoniam cum hi omnes ab ea discrepent, discrepant à veritate, quæ extra eam esse non potest. Neminem ipsa opprimit, sed curat, ut veritas, quam integram custodire debet, hominum erroribus non opprimatur, eique semper adest spiritus veritatis usque ad consummationem sæculi, sive pacata, & tranquilla sint tempora, sive adversitatibus affligatur. Confer quæ ea de re scripsit Franciscus Simonis Belga *de Fraudibus hæret. par. 3. fr. 19.* At cum judicio Supremi Pastoris, & Episcoporum cum eo morali unanimitate consentientium necessarius est plebis consensus, sive, ut alii scribunt, vox testimonii traditionis, ita ut illud sine plebis consensu, ac testimonio vim nullam ha-

beat? Hoc quoque Appellantes à Calvino, & Protestantibus arripere non dubitarunt. Nam idè expresse literis mandavit Calvinus *Inst. l. 4. c. 1. n. 22.*, eademque est sententia Lutheri *de Captivitate Babilon. tit. de Ordine §. Quid si cogereentur opp. t. 2. p. 85. ed. Viterberg. 1562.*, & Apostata M. Antonii de Dominis *l. 1. c. 12. n. 42.* Eodem quoque spectat Richerius *de Potest. eccles. & civ.*, ejus doctrinam duo concilia provincialia an. 1612. habita gravissima iniusta nota conflixerunt, quippe quæ contineret "multas propositiones, expositiones, & allegationes erroneas, scandalosas, schismaticas, & ut sonant hæreticas." Hæc duces, & auctores sequuntur Quesnellus *pr. 73.*, & in *Memor.*, Auctor libri *Renversement de liberté*, Labordius "Temoignage de la verité," Auctor epistolæ à M. l' Eveque d' Autun, Auctor operis *Apologie de Curez de Paris*, Auctor operis *Nouveaux memoires sur l'appel*, Auctor libri *De la droict & canonicité de l'appel*, Febronius, alique similes, Horum commenta egregie refutarunt plures viri docti, præsertim Melchior Canus *de loc. Theolog. l. 4. c. 4. concl. 4.*, Bossuetius *Histor. variat. l. 11. n. 14.*, & in *Conférence de M. Bossuet*, Auctor libri *Reflexion sur non écrit.* Niccolius *Les pretendus Reformez convaincus de Schisme l. 3. c. 9.*, & *de l'Unité de l'Eglise l. 3. c. 14.* Schefmacher *lit. 6.* Tournelius *Tract. de Ecclesia par. 2. art. 9.*, Card. Gotus *in Vera Eccl. Christ. t. 1. c. 15. & seq.*, & in *Colloq. adv. Pitenin. par. 3. colloq. 4. n. 4. et seq.*, Fenelonius Archiepiscopus Cameracensis *Instructio Pastorale an. 1728.* Card. de Bissy *Instructio Pastorale an. 1725.* Languetus Episcopus Svessonensis *Instructio 2. an. 1728. n. 27. & seq.* Denique hæc doctrina tamquam hæretica in M. Antonio de Dominis à Sorbona damnata est. Revera plura sunt, ut ostendi in *Prolegomenis* c. 2. §. 18. p. 17. et 18. t. 1., sacrarum Scripturarum loca, in quibus omnis docendi, pascendi, regendi potestas non plebi, sed tantum Apostolis, omnibus, aut nominatim Petro data est, atque absurdum esset ea, quæ Apostolis hoc est Præfectis dicta sunt, ad plebem detorquere. Hujus vero ab Apostolis, eorumque successoribus exercitæ potestatis pleni sunt Sacrarum Scripturarum, & ecclesiasticæ historiæ libri, eamque testatissimam faciunt Patres universi, præsertim Ignatius M. *Ep. ad Italian. n. 70.* apud Cotelerium *PP. Apostol. v. 2. p. 63. ed. Amstelædami 1724.*, Cyprianus *de Unit. Eccles. p. 78. ed. Amstelædami 1700.*, Gregorius Nanzianzenus *Orat. 9. p. 154. ed. Colonia 1690.* Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, Hilarius, Gregorius, ceteri Patres, quos laudat Niccolius *de l'Unité de l'Eglise liv. 3. Chap. 14.*, ubi omnes diluuntur Appellantium objectiones, quæ eadem ac Protestantium sunt. Ac non modo sacris litteris, & traditioni adversantur, quæ populi consensus, & suffragium necessarium putant, ut Ecclesiæ judicium existat, sed etiam prorsus ridicule certum, ac falli nescium judicium expectant à multitudine imperita, levi, inconstanti, cujus, ut plurimum, diversæ sunt sententiæ, quæ partium studiis rapitur, quæ facile in errorem inducitur. Omnia hæc enucleate, copioseque persequitur doctissimus Mamachi *Orig. et antiq. Christian. l. 4. par. 2. c. 3. §. 4. t. 5. p. 256. seq.*

Quod vero dicitur de subjiendis uniuscujusque examini definitionibus, id, ut recte observat Cl. Bolgenius in opere, cui titulus *Risposta al quesito Cosa è un appellante?* n. 328. seq. p. 516. seq., recidit in examen, & spiritum privatum Protestantium, quem errore late refutarunt Bellarminus *Controv. l. 3. de Verbo Dei c. 3. t. 1. opp. p. 68. ed. Ven. 1721.*, Bossuetius *Histor. variat. l. 10. c. 15. seq.*, & *Instruct. sur l' Eglise & conférance avec le Ministre*; Arnaldus *Perpetuité de la foi t. 1. chap. 3.*, Nicolius *Prejugez legit. chap. 14.*; & *Pretendu reformé convaincu de schisme liv. 2. chap. 7.*, Scheffmacher *lit. 2. allique*, quos longum est recensere. Principio quomodo hoc examen in tanta hominum multitudine fieri potest, & quem demum exitum consequetur? Deinde si rem uniuscujusque examini permittimus, equod jam erit judicium omnibus unum, certum, fixum, stabile, errore non subjectum; quis jam erit hæreticus, qui cum privato examine errorem suum tueri, & probare non possit? Denique qui consensum secundi ordinis Presbyterorum requirunt, ut Ecclesie judicium ratum firmum sit, ii revocant errorem Aetii, de quo loquitur Sanctus Epiphanius *Hæres. 75. num. 3. t. 1. pag. 906. & seq. ed. Colonia 1682.*, quam antea revocarunt Valdenses, Wiclefita, Calviniani, Angli Presbyteriani, Richerius, quemque inter ceteros late refutarunt Bellarminus *de Eccles. milit. l. 3. c. 16. p. 75. opp. t. 2. ed. Venet. 1721.*, Petavius *de Hierar. Eccl. l. 4. c. 2. n. 5. t. 6. p. 178. ed. Ven. 1757.*, N. Alexander *Histor. Eccles. ad sæc. 4. Dissert. 44. t. 4. p. 618. ed. Ven. 1776.*, Niccolius *Pretend. reform. convainc. de schism. liv. 3. chap. 10.*, Veith. *Richerii system. confut. sect. 2. §. 54. n. 46. et seq. p. 299. et seq.*, & Bolgenius *Esame della vera idea della S. Sede n. 1. et seq. p. 8. et seq.*, & in cit. libr. *Risposta al quesito Cosa è un appellante n. 279. p. 437.* Sane docendi, pascendi, regendi potestas non Presbyteris, sed Apostolis, eorumque successoribus à Christo data est, semper Ecclesiarum regimini, & administrationi Episcopi sunt præpositi, non Presbyteri; in conciliis œcumenicis ab Episcopis editum est judicium, quod Christianis omnibus veritatis loco esse deberet. Atque id adeo verum est, ut semper Ecclesia generalia Concilia designaverit tantum expresso numero Episcoporum, qui iis interfuerant. Ita cum memorat Episcopos 318., aut Episcopos 600., intelligit Concilium Nicænum, aut Chalcedonense, quoniam à totidem Episcopis duo illa Concilia constituuntur. Quod si aliquibus conciliis etiam Presbyteros interfuisse constat, id factum est vel ex consensu Episcoporum, quibus certos Presbyteros vocare placuit, qui sapientia præstarent, vel ut absentium Episcoporum vices agerent, ut ostendi in *Prolegomen. c. 3. §. 40. p. 36. t. 1.* Hinc Episcopi subscribebant hac formula: *N. Episcopus judicans subscripsi*: sed à subscriptionibus Presbyterorum aberat, ut iudicans, ut pateret, in Conciliis Episcopos proprie iudices esse; & in Concilio Chalcedonensi *act. 1. col. 886. t. 4. Collect.* Labbæi habentur hæc formulas *mittite superfluos, concilium Episcoporum est.* Rem concludam egregiis verbis Cleri Gallicani *Harangue faite au Roy à Versailles le 17. Sept. 1730. pour la Clotura de l' Assemblée Generale du Clergé de Fran-*

ce t. 12. Actor. Eccles. Gallic. p. 1760. ed. Paris. an. 1740., quæ verba sunt hæc: "Le calme après lequel nous soupirons, ne scauroit se trouver, que dans la soumission aux Decrets de la Foi, & dans l' obeissance, ce à ceux, qui en sont les juges. Ce son les Evêques, & les Evêques seuls. C' est à eux qu' il appartient d' en decider les dogmes, de les enseigner, de les expliquer, de les garantir, d' en établir également la certitude, & l' écumenicité, & d' y soumettre les peuples, et p. 1674., ubi extat la Lettre écrite au Roy par l' Assemblée Generale du Clergé, de France tenue à Paris en l' année 1731., Nous le disons, *inquiunt*, avec douleur, la subordination s' affoiblit. Le simple Prêtre se me au rang des premiers Pasteurs, & prend la place des juges de la Foi. Des Curés de la Capitale de vôte Royaume osent dans un Memoire imprimé attaquer, ouvertement un Ordonnance, & une Instruction Pastorale de leur Archevêque, que sont hors de toute atteinte &c." Paucis ab hinc annis Bergomi prodiit egregius liber Marii Lupi *de Parochiis ante annum Christi millesimum*, quo in libro evidenter ostenditur, quam sero Parochi instituti in Ecclesia fuerint, ut proinde audiri nequeant, qui divinam eorum institutionem jactant.

§. III. Sed hoc judicium certum, & falli nescium extare semper in ecclesia debet, ut semper integra sit fides, & cum novus erumpit error, statim condemnari possit, ne reliquos inficiat. Si illud ab Episcopis expectamus aut in toto orbe dispersis (1), aut in concilio congregatis, quam longum erit, ac sæpe etiam difficile hoc omnium Episcoporum judicium, quæ sententiarum divortia esse poterunt, quod tempus requiretur, ut expressus, quod item, & id quidem multo longius, ut tacitus omnium Episcoporum consensus habeatur. Interim Christiani homines in summo errore, & in maximarum rerum ignoratione versarentur, ac sæpe malum, quod illico erat avertendum, serperet, & manaret in dies latius; nisi esset in promptu iudex certus, & falli nescius, qui omnem errorem sua sententia depelleret.

(1) Congregatam in œcumenico Concilio; non item per orbem diffusam, & dispersam Ecclesiam erroris expertem esse contendit Jurius, quem Bossuetius *Histor. variat. t. 2. l. 15. n. 99.* solide accurateque refutavit. In eodem luto hæsitavit Theophilus Besguin de la Cuillietiere, Auctor operis *Temoignage de l' Univer. de Paris. t. 1. p. 28.*, itemque Auctor aliterius operis *de la necessité de l' apel p. 665.* Errorem hunc Sacra Facultas Parisiensis an. 1644. apud Languetum Episcopum Svessonensem *Avvertis. 2. an. 1718. n. 22.* damnavit his verbis: "Hæ propositiones in quantum infallibilitati Ecclesie universalis in nullo alio statu, quam in

, solo Concilio Œcumenico congregatæ tribuunt, temerariæ sunt, ipsi Ecclesie injuriosæ, & hæreticæ. Nihilotamen minus multi ex Appellantibus hunc errorem revocare ausi sunt; inepte sane, & ridicule. Christus enim se Ecclesie adfuturum pollicitus est, *omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*, eamque semper esse voluit columnam, & firmamentum veritatis, ne fideles *fluctuantes sint, sicut parvuli, & circumferantur omni vento doctrine*. Si eam tantum in Concilio congregatam erroris expertem dicimus, ei non semper præsto erit Christus, neque semper damnare errores poterit, & proponere veritatem, quam omnes tuto, certoque sequantur. Ergo, ut recte observat Cl. Mamachi *l. 1. de Animab. Justor. in sinu Abrahamæ ante Christi mortem expertibus Beatæ visionis Dei ed. Rom. an. 1766. c. 2. §. 1. p. 114. seq., & §. 2. p. 189. & 190. seq., & §. 3. p. 203. seq.*, usque ad annum 325., quo primum œcumenicum concilium habitum est, omnia incerta, & erroris plena esse debuerunt; eademque erit ratio ceterorum temporum, quibus Ecclesia caruit œcumenicis conciliis, quæ raro habentur. Quo quid magis falsum, & magis absurdum dici, fingique potest? Non utar exemplis Pauli Samosatensis, Montani, Novatiani, Pelagii, & aliorum, qui extra œcumenicum Concilium dispersæ Ecclesie consensu damnati sunt; neque item afferam, quæ sunt prope innumera, Patrum testimonia. Sunt hæc nota omnibus. Illud non omitam, quod ex Augustino observat Bossuetius, cujus fidem Appellantes repudiare non possunt. Inquit autem ipse *I. Instruct. sur l' Eglise num. 21. S. August. donne toujours l' sentiment* (consensum) *de l' Eglise pour une entière conviction de la vérité*. Alii vero sunt ex Appellantibus, qui dispersæ Ecclesie auctoritatem in discrimen non revocant, sed tamen, ut ea rata firma sit, omnium consensum postulant unanimem, & eum quidem non moralem, sed physicum, & absolutum, adeout certum Ecclesie judicium haberi non possit, cui aliquis Episcopus, aut aliqua insignis Ecclesia adversetur, quin absolutam hanc unanimitatem etiam ad œcumenicum concilium transferant. Hi nimirum faciunt, ut unius Episcopi sententia plus valeat, quam universæ Ecclesie consensus, quoniam illi Ecclesie decretis intercedendi facultatem attribuunt; ut unus aliquis Episcopus errare nunquam possit; ut vix unquam haberi queat certum Ecclesie judicium, quoniam difficile est, in magno numero Episcoporum, qui in Ecclesia sunt, non aliquem reperiri, qui à ceteris dissentiat. Quid si Episcopus aliquis hæreticus fiat, cujus quidem rei non pauca in historiis exempla sunt? Eum Ecclesia damnare non posset; & interim Christianis incerta esset fides, atque in errore versari liceret, quoniam unius Episcopi sententia impedimento esset, quominus certum ea de re judicium ab Ecclesia emitteretur. Imo quis unquam hæreticus condemnaretur? Ipse quidem decipere non posset universam Ecclesiam, sed facile posset in suam partem transferre unum, aut alterum Episcopum, quod sane pluries evenisse constat; id vero satis esset, ut ipse impune sequi, docereque errorem posset. Quot Arius errores socios habuit Episcopos, quot Donatistæ, quot ceteri hæretici. An, quod de iis latum est ab Ecclesia, judicium catholi-

cus homo in discrimen revocabit? Quam illustris erat Anglicana Ecclesia, antequam in schisma, atque in hæresim delaberetur? An ab ea procul esse debuit schisma, & hæresis, quod tot Episcopi contra sententiam Catholicæ Ecclesie utrumque tuebantur? Mitto reliquas Ecclesias, quæ initio catholicæ erant, & nunc schismaticæ, aut hæreticæ sunt. Certe Christus *surrecturos prævidit lupos rapaces ex vobis ipsis* (senioribus) *non parcentes gregi, & loquentes prava*, sed Christianos procul ab iis esse, & firme in Ecclesie fide stare voluit, seque adfuturum promisit, ut recte observat Bossuetius *II. Instruct. sur l' Eglise n. 28.*, corpori totius Ecclesie, non cuivis membro, ipsamque Ecclesiam semper erroris expertem futuram, non singulos Episcopos pollicitum est. Confer, inter ceteros, Cl. Bolgenium in laudato libro *Risposta al quesito Cosa è un' Appellante num. 249. et seq. p. 393. et seq., et n. 282. et seq. p. 441. et seq.*

§. IV. Hic autem iudex, quem in promptu habere debet Ecclesia, ut semper sit expertus erroris, non alius esse potest, quam Summus Pontifex, quem Christus Ecclesie caput, & omnium magistrum, & unitatis centrum constituit. Qui tantum Ecclesie accedente consensu eum errare non posse affirmant, sine hoc consensu negant, ii tollunt certum illud judicium, quod semper extare in Ecclesia debet, ut statim error depellatur. Nam antequam compertum, exploratumque sit judicium omnium Episcoporum, quibus pontificia decreta probanda esse putant, incerta erunt omnia, & malum radices aget altiores, atque impune dominabitur (1).

(1) *L' Eglise*, inquit S. Franciscus Salesius in ms. opere, quod extat in Bibliotheca Chisiana *C. 10. plut. A. n. 71. p. 42.*, "a toujours bé, soin d' un confirmateur infaillible, en quel on puisse s' adresser, d' un fondement, que les portes d' enfer, & principalement l' erreur ne puisse renverser, & que son pasteur ne puisse conduire a l' erreur ses enfans. Les successeurs donc de S. Pierre ont tous ses mêmes privileges, qui ne suivent pas la persone, mais la dignité, & la charge publique." Late hoc argumento persequitur auctor libelli, qui nuper ex Gallico in Italianum sermonem conversus editus est Firmi, & cui titulus: "L' infallibilitá del Papa provata coll' esame del quarto articolo della dichiarazione del clero di Francia radunato nel 1682." Confer etiam Veith *Richer. sistem. confut. scđ. 2. §. 42. n. 16. p. 243.*

§. V. Quin etiam, ne cognita quidem Episcoporum sententia, iisque inter se consentientibus, sed tamen à
Tom. IV. Gg

Summo Pontifice dissentientibus, omnis erroris causa removebitur. Nam si Episcopi à Summo Pontifice dissentiant, (quod illi quidem evenire posse existimant, nos autem negamus), ecquod erit iudicium, quod omnes tuto sequi possint? Episcopi sine capite, centroque unitatis, à quo cuncti copulentur, Ecclesiam repræsentare nequeunt (1). Ergo eorum iudicium esse non poterit exploratæ veritatis loco. Ergo non habebit Ecclesia iudicium illud certum, ac falli nescium; quod in ea Christus semper esse voluit.

(1) Confer quæ dixi in *Prolegomenis C. 2. §. 21. et seq. t. 1. p. 20. et seq.*, quæ eque item collegi *l. 1. tit. 3. sect. 1. §. 13. p. 165., et seq.*, & quæ *l. 3. tit. 15. §. 18. not. 2. p. 203. et seq.* animadverti contra Appellantes, quorum hac redit sententia.

§. VI. Sed Primatus indoles, & ratio in primis efficit, ut iudicium Summi Pontificis in fidei, morumque regulis definiendis certum omnibus esse debeat; adeo ut qui ab eo damnatos errores sequitur, hæreticus habeatur. Nam Christus Primatum instituit ad unitatem Ecclesiæ conservandam, & Pontifex omnes ad eandem secum, præsertim in fide, unitatem jure Primatus cogit. Si ejus iudicium in rebus fidei errori subesset, Ecclesia, quæ ratione Primatus ad eandem fidem cogitur, ad assentiendum errori cogeretur, quod certe, fieri non potest. Quare aut verum non est, quod nemo catholicus inficiari potest, totius Ecclesiæ præsertim in fide unitatem cum Petri successoribus Primatus instituendi causam fuisse, aut erroris expers esse debet quidquid à Summo Pontifice propter unitatis bonum definitur, & quidquid ab Ecclesia universa, quæ ad hanc unitatem cogitur, tenendum est (1). Atque ita sane perpetua Ecclesiæ disciplina, & Patrum consensus docet (2).

(1) Præclare S. Thomas *Sum. Eccles. l. 2. c. 109. III. III. Una fides*, inquit, *debet esse totius Ecclesiæ secundum illud 1. Corint. 1. id ipsum dicatis omnes, ut non sint in verbis schismata: "quod servari non posset, nisi quæstio fidei de fide exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest, ut sic ejus sententia à tota Ecclesia firmiter tenetur; & ideo ad solam auctoritatem Summi Pontificis pertinet nova*

, editio Symboli, sicut & omnia alia, quæ pertinent ad totam Ecclesiam, ut congregare synodum generalem, & alia hujusmodi." *Consule Mamachium Antiq. Christian. t. 5. par. 1. p. 93. seq. & 134. seq., & Ep. 1. ad Auctor. oper. Quid est Papa? §. 14. t. 1. p. 57., Card. Orsium de Irreformab. Rom. Pontif. in dist. fid. contro. jud. Auctorem operis Avenione editi an. 1747. "De suprema Romani Pontificis auctoritate hodierna Ecclesiæ Gallicanæ doctrina, "Ballerinium de Vi ac ration. Primat. Roman. Pontif. c. 15. p. 260. seq. ed. August. Vindel. an. 1770., Zaccariam Anti-Febron. vind. par. 2. Dissert. 3. c. 3. seq. Bolgenium *Esame della Vera Idea della S. Sede n. 88. & seq. p. 35. & seq. ed. Maceratæ 1783.**

(2) Nota est ea Christi promissio apud Matthæum XXI. 16. & seq., qua postquam ipse affirmavit, se edificaturum Ecclesiam supra S. Petri confessionem, seu fidem, quam *petra* nomine designavit, spondidit, & *portæ inferi non prævalerunt adversus eam*. Ipsum *petra* vocabulum firmitatem, ac nunquam defuturam soliditatem ejusdem fidei designat; ex quo plures Patres eandem soliditatem, quæ in Petri fide fuit, ad ejus successores transiisse affirmarunt. Hinc S. Leo M. *Serm. 3. ad. 2. c. 2. t. 1. col. 12. ed. Ballerin.* "Soliditas illius fidei, inquit, quæ, in Apostolorum Principe est laudata, perpetua est; & sicut permanet, quod in Christo Petrus credidit, ita permanet, quod in Petro Christus instituit." *Et serm. 3. c. 3. t. cod. col. 12. recitato Evangelii loco super hanc petram &c. concludit: "manet ergo dispositio veritatis, & B. Petrus in accepta fortitudine petreæ perseverans, suscepta, Ecclesiæ gubernacula non reliquit." Et serm. 5. c. 4. t. cod. col. 22. "Soliditas enim, inquit, illa quam de petra Christo etiam ipse (Petrus) petra factus accepit, in suos quoque se traxit heredes. "Sane quomodo errori obnoxius esse potest ille, super quem Ecclesia fundata est? Locum hunc Evangelii solide expendunt Ballerinius *l. c. cap. 12. §. 2. p. 66. et seq.*, & Cl. Bolgenius in *cit. libro Risposta al quesito &c. n. 129. et seq. p. 207. et seq.*, Confer S. Irenæum *de Hæres. l. 3. c. 3. n. 2. opp. t. 1. p. 175. ed. Ven. 1734.*, Tertullianum *cap. 23. de Præscript. p. 210. ed. Paris. 1675.*, Optatum Milevitanum *contr. Donat. l. 2. eap. 5. p. 35. ed. Antwerp. 1702.*, S. Cyprianum *ep. 55. ad Antonian. p. 243. ed. cit. 1700.*, S. Hilarium *de Trinit. l. 6. c. 37. opp. t. 2. p. 160. ed. Veronæ 1730.*, S. Ambrosium *de Incarnat. c. 5. n. 34. opp. t. 6. p. 494. ed. Maurin. Ven. 1781.*, S. Augustinum in *Psalm. contr. part. Donat. opp. t. 9. col. 4. ed. Maurin. Ven. 1733.*, & *l. 2. Oper. imperf. contr. Julian. n. 103. t. 10. col. 993.*, S. Leonem M. *ep. 10. ad Episc. Gallican. provinc. Viennen. c. 1. opp. t. 1. col. 633. ed. Ballerin. Ven., & serm. 83. c. 2. t. 1. col. 331.*, Simplicium P. *ep. 4. ad Zenon. August. apud Labbæum t. 5. Concil. col. 98. ed. Ven. S. Gelasium In commonit. ad Faust. cod. loc. col. 297.*, S. Theodorum Studitam *l. 2. ep. 129. p. 462. t. 5. oper. Sirmondi ed. Ven. an. 1728.*, S. Innocentium I. *ep. ad Synod. Carthag. n. 1. apud Coustantium ep. Roman. Pontific. col. 888.*, cetera Patrum,*

& Conciliorum loca, quæ collegerunt Mamachius, Ballerinius, Bolgenius *l. c.* Vulgatus est etiam alter Evangelii locus apud Lucam XXV. 32., quo Christus ita Petrum alloquitur: "Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret, sicut triticum; ego autem oravi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos." Quo ex loco patet, à Petro, ejusque successoribus fratres in fide esse confirmandos, quod sane ipsi recte præstare non possent, si in fidei definitionibus errori subessent. *Commune erat omnibus Apostolis*, inquit S. Leo M. *Serm. 4. ad 3. c. 3. t. 1. col. 18. ed. cit.* illum explicans Evangelii locum, "periculum de tentatione formidinis, & divinæ protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam diabolus omnes exagita re omnes cupiebat elidere: & tamen specialis à Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Petri proprie supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit." Quæ ratio petita ex ratione Primatus, ut indicat vox illa *Principis*, cum etiam Petri successoribus sit communis, dubitari non potest, quin ad eos quoque transierit vis orationis Christi, qui pro Petri fide nunquam defectura Patrem exoravit. Consentit etiam Bossuetius, qui in *Meditation. sup. evang. die 70.* ita ea Christi verba explicat: "Satan expetivit, ut cribret vos: ego autem, Petre, oravi pro te speciatim, pro te distincte, non quod alios neglexerit, sed, ut, explicant SS. Patres, quia firmato capite impedire volebat, ne membra nutarent." Quem in finem paulo post declarat, "S. Petrum ob rationem Christi recepisse fidem constantem, invincibilem, inconcussam, & ita abundantem, ut ipsa apta fuerit ad confirmandum non solum alios fideles, sed etiam fratres suos Apostolos, & pastores gregis." Atque hæc quidem ad Primatum pertinere, qui ad Petri successores transivit, & exinde Apostolicæ Sedis fidem vinci, & errare non posse, ostendit in *Meditation. diei 72.* Confer Gelasium P. *Ep. 14.* apud Labbæum *tom. 5. Concil. col. 341. ed. Ven.*, Pelagium II. *Ep. 5. ad Eliam t. 6. Conc. col. 426.*, S. Bernardum *Ep. 190. c. 1. seu Tract. contra Abailard. ad Innoc. II. opp. t. 2. p. 283. ed. Ven. 1765.*, S. Thomam in *cap. 6. Matthæi*, & in *2. 2. q. 1. ar. 10.*, ceteros à Ballerinio collectos *l. c. §. 3. p. 270. & seq.* Mitto reliqua, quæ ab eodem, Ballerinio, Mamachio, Osio, Bolgenio exposita graviter, accurateque sunt.

§. VII. Jam vero hæreticus est habendus non tantum, qui pervicax in errore perseverat, quem Ecclesia, aut Summus Pontifex tamquam hæreticum condemnavit, sed etiam qui sciens prudens in fide dubitat (1). Nam quisquis dubius est in fide Ecclesiæ catholicæ, hoc ipso in fidem obstinare peccat; quoniam dubium, & incertum esse non potest, quod à catholica Ecclesia veluti fide divina credendum proponitur. Dubius autem in fide censetur non tantum qui de universa dubitat Ecclesiæ doctrina, verum etiam qui

aliquem fidei articulum obfirmate in discrimen revocat.

(1) *Cap. 1. de Hæret.*

§. VIII. Præter hæreticos, sunt etiam de hæresi suspecti, qui nimirum ex indiciis, & conjecturis errare in fide cum sententiæ obstinatione censentur. Est autem suspicio de hæresi levis, vehemens, & violenta. Levis suspicio est, quæ oritur ex signis externis operum, vel verborum quæ minus tuta, certa que sunt, & quæ raro admodum hæresis præsumptionem afferunt; ut si quis semel hæreticorum conventibus interfuerit. Vehemens educitur ex argumentis, quæ sæpe certa firma que sunt, & ideo juris afferunt præsumptionem, quæ contraria probatione tollenda, evertenda que est; ut si quis in rebus fidei errores fuderit, aut die vetito carnes manducaverit. Denique violenta suspicio inducit præsumptionem juris & de jure, quæ nulla contraria probatione labefactari potest, quæque satis est, ut quis tamquam hæreticus condemnetur; veluti si quis frequens hæreticorum cœtibus interfuerit, vel de hæresi suspectus sacramento se purgare noluerit, vel hæresim ejurare, & inde excommunicatus per annum in excommunicatione perseveret (1).

(1) *C. 13. §. 2. de Hæret., c. 7. eod. in 6., Concilium Tridentinum Sess. 25. de Reform. cap. 3.*

§. IX. Multæ in hæreticos pœnæ tum ecclesiasticis, tum civilibus legibus constitutæ sunt. Et Ecclesia quidem eos plectit excommunicationis pœna, atque ecclesiastica communione privat (1); quoniam in Ecclesia retinendi non sunt, qui ab ea divortium fecerunt, neque cum fidelibus sunt commiscendi, qui alios depravare opinionum monstris, & exemplo possunt (2). Eidem pœnæ subjiciuntur etiam, qui scientes in loco sacro hæreticos sepeliverint, eorumque fautores, hospites, defensores, præterea qui cum iis in sacris communicaverint (3).

(1) *Can. 13. caus. 24. q. 3., C. 8. 9. 15. de Hæret.* Confer etiam Bullam in *Cena Domini.*

(2) „Secundæ, inquit Hieronymus *Comment. in Ep. ad Galatas c. 5.*

, *vers. 8. opp. t. 7. col. 489. ed. Vallarsi Verone*, putridæ carnes, & scabiosum animal à caulis ovium repellendum, ne tota domus, massa, & pecora ardeat, corrumpatur, putrescat, intereat. Arius in Alexandria una scintilla fuit; sed quia non statim oppressa est, totum orbem ejus flamma populata est.

(3) Canon Apostolorum 37. *al. 45. apud Cotelierium PP. Apostolic. t. 1. p. 448. ed. Amstelædami 1724.*, Concilium Laodicenum *can. 9. apud Labbæum Conc. t. 1. col. 1531. ed. Ven. cit.*

§. X. Præterea si clerici sint hæretici, omnibus ecclesiasticis officiis privantur, ac perpetuo deponuntur (1), & generatim hæretici irregulares sunt, sive in hæresi baptizati fuerint, sive in eam inciderint post acceptum in catholica fide baptismum; nam reversi ad ecclesiam catholicam tamquam laici recipiuntur, ac perpetuo à sacro ministerio repelluntur (2). Eadem hæc pœna pertinet etiam ad eos, qui hæreticos recipiunt, iisve favent, aut eos defendunt, i. e. ad eorum libero ex paterna linea ad primum, & alterum gradum, ex materna usque ad primum tantum, si eorum parentes in hæresi deciserint (3); denique in hæresi perseverantes cum pertinacia sæculari Curie traduntur, ut meritis plectantur pœnis (4), atque in errore morientes ecclesiastica sepultura privantur (5).

(1) *C. 9. de Hæret. Vide etiam Cyprianum Ep. 59. ad Magnum p. 296. ed. Amstelædami 1700.*

(2) *Can. 21. caus. 1. q. 7. can. 17. caus. 6. q. 1., c. 2. §. 2., de Hæret. in 6.*

(3) *C. 25. de Hæret. in 6.*

(4) *C. 9. de Hæret.*

(5) *C. 8. eod.*

§. XI. Civilibus quoque legibus multæ in hæreticos pœnæ indictæ sunt, quæ tamen in cujusvis sectæ hæreticos non omnes cadunt. Cuncti generatim infamia notantur, & in quemvis hominem sibi criminis societate conjunctum testamentum condere, aut donationem conferre, atque ipsi aliquid ex alieno testamento, aut donatione capere prohibentur. Præterea eorum bona publicantur (1), ipsique pecuniariæ (2), aliisque similibus pœnis subsunt; quin etiam jus Romanum hæreticos nonnullos ultimo supplicio afficit,

quales sunt Encratitæ, Saccophori, & Hydroparastatæ, qui omnes Manichæorum erroribus inquinati erant (3); item qui aliquem rebaptizaverit; & qui rebaptizatus fuerit, modo per ætatem criminis capax sit, morte mulctantur (4). Denique à Federico II. aliæ quoque contra hæreticos pœnæ statutæ sunt (5).

(1) Confer Codicem Theodosianum *tit. de Hæret.*, ubi omnes fere habes pœnas, quæ à Jure civili in hæreticos sunt constitutæ.

(2) Ipse Augustinus, qui initio æquum non putaverat contra Donatistas ob errorem vim adhiberi, deinceps experiendo novit, utiles esse contra hæreticos pœnas pecuniarias Augustinus *Ep. 185. ad Bonifac. c. 7. opp. t. 2. col. 851. ed. Maur. Ven. 1759.* Nimirum ipsi pœnarum metu perterriti in rem diligentius inquirent, ac doctiores facti ad catholicam Ecclesiam revertuntur. Sane multos hæreticos inter angustias & afflictiones in bonam mentem rediisse constat, quoniam his malis veluti excitati de rebus suis diligentius cogitare cœperunt, atque ita noverunt, & abiecerunt errorem, in quo pridem hæsitabant.

(3) *C. 9. cod. Theod. de Hæret.*

(4) *C. 2. cod. Ne sanct. baptism. iter.*

(5) Ejus constitutionis fragmenta extant in *Auth. Si vero, et Auth. credentes cod. de Hæret.*

§. XII. Hæretici, qui pœnitentia ducti redire ad catholicam Ecclesiam velint, recipiuntur, sed primum errorem detestari, atque ejurare, fidemque catholicam profiteri debent. Atque hi quidem ab asperioribus liberantur pœnis, sed sæpe, cum ita rerum ratio postulat, perpetuo carceri addicuntur (1). At eorum, quos *delapsos* vocamus, qui seilicet plus semel in hæresim lapsi sunt, tamquam ficta habetur pœnitentia, ideoque ipsi sæculari judici traduntur, ut debitis pœnis afficiantur (2). Iis tamen Pœnitentiæ, & Eucharistiæ sacramenta non denegantur, si manifesta dederint pœnitentiæ argumenta.

(1) *Cap. 15. de Hæret. Confer etiam Benedictum XIV. Const. Eo quamvis 129. §. 11. t. 1. ejus Bullar. p. 313. ed. Rom. seu Ven. 1754.*

(2) *Cap. 4. eod. in 6.*

§. XIII. Vetus disciplina hæreticos, qui ad Catholicam Ecclesiam veniebant, cum in hæresi nati, baptizatique fuissent, ab illis, distinguebat qui ad eam redibat cum baptizati,

42
et educati in fide catholica fuissent, ac postea descivissent (1). Illi enim non per pœnitentiam solum, sed per manuum etiam impositionem, ac si in hæresi uncti non fuissent, etiam per sacri chrismatis unctionem recipiebantur (2). Quamquam enim baptismus valide collatus haberetur, tamen suspensa videbatur manere charitas, quæ in sola Ecclesiæ unitate habetur, donec ad catholicæ matris sinum accederent. Contra qui primum catholici, deinceps hæretici fuerant, excipiebantur per pœnitentiam, quæ brevior, longiorve erat pro ratione rerum, ac temporum disciplina (3).

(1) Confer S. August. *Ep. 93. ad Vincent. Episc. C. 13. opp. t. 2. col. 253. ed. Maurin. Ven. 1729.*, et l. 2. *contra Crescon. Donat. c. 16. t. 9. col. 419. cit. ed.*

(2) Vide Petrum de Marca *in can. 28. Conc. Claromont.*

(3) Concilium Eliberitanum *can. 12. apud Labbæum conc. t. 1. col. 995.* hos hæreticos decem annos agere pœnitentiam voluit; Concilium Agathense *can. 60. t. 5. col. 530.* tempus hoc contraxit ad annos tres; Concilium Epaonense *can. 29. t. 5. col. 718.* etiam tertio anno pœnitentiam mitigavit. Plura ea de re habet Binghamus *Orig. eccles. l. 16. c. 6. §. 16. et 17. t. 7. p. 302. et seq. ed. Halæ Magdeburg. 1761.*

TITULUS V.

De schismate.

I. Schisma quid?

II. An schismatici sint hæretici?

III. Quotuplex schisma?

IV. Schismaticorum pœnæ.

§. I.

Schisma etiam Græcum nomen est, quod latine scissuram, ac divisionem significat. Schismatici sunt, qui se ab unitate separant Ecclesiæ Catholicæ, quæ in eo est posita, ut plures, Ecclesiæ particulares, tamquam plura membra, sub uno omnium capite unum corpus efficiant. Cum autem hujus unitatis centrum sit Summus Pontifex, nec sine hoc centro, in quo omnes particulares Ecclesiæ copulantur, una ex cunctis Ecclesiis effici possit, facile intelligitur, Ecclesiæ unitatem abrumpere, ideoque esse schismaticos, qui à Romano Pontifice discessionem faciunt (1). Nam

43
qui discedunt à centro, in quo unitas existit, si profecto ab unitate discedunt; nec cum Ecclesia conjuncti esse possunt, qui ab ejus capite disjuncti, ac dissociati sunt. Itaque Schismatici sunt Græci, qui sub Patriarcha Constantinopolitano in Turcarum imperio vitam agunt (2); Ultrajectenses (3), ceteri; qui divisi sunt à Sede Romana, est à capite Ecclesiæ, centroque unitatis.

(1) Diserte Cyprianus *de Unit. Eccl. p. 397. ed. Baluzii Ven. 1728.* (qui locus corruptus est in textu Felii *p. 78. ed. Amstelæd. 1700.* "Qui cathedram Petri, inquit, super quam fundata est Ecclesia, cœserit, in Ecclesia se esse confidit?" Hieronymus *ep. 15. n. 2. ad Damas. P. de Hipost. opp. t. 1. col. 2. edit. Vallarsii Veron.*, "Beatitudini tuæ, inquit, idest cathedræ Petri communionem consocior . . . quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est." Ambrosius *Orat. de Obiit. Satyr. fr. n. 47. p. 527. t. 6. ed. Ven. 1781.*, per contactusque ex eo est, inquit, utrum nam cum Episcopis catholicis, h. e. cum Romana Ecclesia conveniret." Eadem est sententia Irenæi *contra hæres. l. 3. c. 3. opp. t. 1. p. 175. ed. Massueti Ven. 1734.*, qui de Ecclesia Romana dicit hæc: "Ad hanc, enim Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles." Quem clarissimum Irenæi locum frustra convellere, ac detorquere conantur Protestantes, præsertim Fellus, Grabbins, Salmasius, quos solide refellunt Massuetus *Dissert. 3. Irenæum art. 4. n. 31. et seq. t. 2. p. 108. et seq. cit. ed. Ven.*, Valsecchius *La verità della Chiesa Cattolica Romana c. 6.*, & Mamachius *ep. 4. ad Febron. p. 322. seq. et p. 419. seq.* Possem & alia afferre Patrum & Conciliorum quoque testimonia, quæ prope innumera sunt, nisi Institutionum brevis impedimento esset. Nolo tamen omittere præclara quadam ea de re Gallicanæ Ecclesiæ testimonia. *Il ne faut*, inquit Bossuetius *Instruct. sur les promesses faites à l'Eglise p. 96. Paris. 1700.*, "que un peu de bon sens, & de bone foi, pour avouer, que l'Eglise Chrétienne à eu dès son origine, pour une marque de son unité la communion avec la Chaire de S. Pierre, dans la quelle tous les autres Sièges ont gardé l'unité." In qua sola unitas ab omnibus servaretur: "en sorte, qu'en y demeurant, comme nous faisons, nous sommes le corps, qui a vû tomber à droit, & à gauche ceux, qui se sont separez, eux mêmes." Episcopus Bononiensis *Docum. pastor. 1724.* "Il ne me reste, inquit, mes très cheres freres, qu'à vous exhorter de ne vous écarter jamais de la foi de l'Eglise de Rome. C'est par l'union, au Sainte Siège Apostolique, que l'Eglise est une." Et Cardinalis de Bissy *in Docum. pastor. 14. Juin 1728.* "L'Eglise de Rome, inquit, que Jesus-Christ a établie la tête d'un corps, qui doit tou-

Tom. IV. Hh

42
et educati in fide catholica fuissent, ac postea descivissent (1). Illi enim non per pœnitentiam solum, sed per manuum etiam impositionem, ac si in hæresi uncti non fuissent, etiam per sacri chrismatis unctionem recipiebantur (2). Quamquam enim baptismus valide collatus haberetur, tamen suspensa videbatur manere charitas, quæ in sola Ecclesiæ unitate habetur, donec ad catholicæ matris sinum accederent. Contra qui primum catholici, deinceps hæretici fuerant, excipiebantur per pœnitentiam, quæ brevior, longiorve erat pro ratione rerum, ac temporum disciplina (3).

(1) Confer S. August. *Ep. 93. ad Vincent. Episc. C. 13. opp. t. 2. col. 253. ed. Maurin. Ven. 1729.*, et l. 2. *contra Crescon. Donat. c. 16. t. 9. col. 419. cit. ed.*

(2) Vide Petrum de Marca *in can. 28. Conc. Claromont.*

(3) Concilium Eliberitanum *can. 12. apud Labbæum conc. t. 1. col. 995.* hos hæreticos decem annos agere pœnitentiam voluit; Concilium Agathense *can. 60. t. 5. col. 530.* tempus hoc contraxit ad annos tres; Concilium Epaonense *can. 29. t. 5. col. 718.* etiam tertio anno pœnitentiam mitigavit. Plura ea de re habet Binghamus *Orig. eccles. l. 16. c. 6. §. 16. et 17. t. 7. p. 302. et seq. ed. Halæ Magdeburg. 1761.*

TITULUS V.

De schismate.

I. Schisma quid?

II. An schismatici sint hæretici?

III. Quotuplex schisma?

IV. Schismaticorum pœnæ.

§. I.

Schisma etiam Græcum nomen est, quod latine scissuram, ac divisionem significat. Schismatici sunt, qui se ab unitate separant Ecclesiæ Catholicæ, quæ in eo est posita, ut plures, Ecclesiæ particulares, tamquam plura membra, sub uno omnium capite unum corpus efficiant. Cum autem hujus unitatis centrum sit Summus Pontifex, nec sine hoc centro, in quo omnes particulares Ecclesiæ copulantur, una ex cunctis Ecclesiis effici possit, facile intelligitur, Ecclesiæ unitatem abrumpere, ideoque esse schismaticos, qui à Romano Pontifice discessionem faciunt (1). Nam

43
qui discedunt à centro, in quo unitas existit, si profecto ab unitate discedunt; nec cum Ecclesia conjuncti esse possunt, qui ab ejus capite disjuncti, ac dissociati sunt. Itaque Schismatici sunt Græci, qui sub Patriarcha Constantinopolitano in Turcarum imperio vitam agunt (2); Ultrajectenses (3), ceteri; qui divisi sunt à Sede Romana, est à capite Ecclesiæ, centroque unitatis.

(1) Diserte Cyprianus *de Unit. Eccl. p. 397. ed. Baluzii Ven. 1728.* (qui locus corruptus est in textu Felii *p. 78. ed. Amstelæd. 1700.* "Qui cathedram Petri, inquit, super quam fundata est Ecclesia, cœserit, in Ecclesia se esse confidit?" Hieronymus *ep. 15. n. 2. ad Damas. P. de Hipost. opp. t. 1. col. 2. edit. Vallarsii Veron.*, "Beatitudini tuæ, inquit, idest cathedræ Petri communionem consocior . . . quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est." Ambrosius *Orat. de Obiit. Satyr. fr. n. 47. p. 527. t. 6. ed. Ven. 1781.*, per contactusque ex eo est, inquit, utrum nam cum Episcopis catholicis, h. e. cum Romana Ecclesia conveniret." Eadem est sententia Irenæi *contra hæres. l. 3. c. 3. opp. t. 1. p. 175. ed. Massueti Ven. 1734.*, qui de Ecclesia Romana dicit hæc: "Ad hanc, enim Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles." Quem clarissimum Irenæi locum frustra convellere, ac detorquere conantur Protestantes, præsertim Fellus, Grabbins, Salmasius, quos solide refellunt Massuetus *Dissert. 3. Irenæum art. 4. n. 31. et seq. t. 2. p. 108. et seq. cit. ed. Ven.*, Valsecchius *La verità della Chiesa Cattolica Romana c. 6.*, & Mamachius *ep. 4. ad Febron. p. 322. seq. et p. 419. seq.* Possem & alia afferre Patrum & Conciliorum quoque testimonia, quæ prope innumera sunt, nisi Institutionum brevis impedimento esset. Nolo tamen omittere præclara quadam ea de re Gallicanæ Ecclesiæ testimonia. *Il ne faut*, inquit Bossuetius *Instruct. sur les promesses faites à l'Eglise p. 96. Paris. 1700.*, "que un peu de bon sens, & de bone foi, pour avouer, que l'Eglise Chrétienne à eu dès son origine, pour une marque de son unité la communion avec la Chaire de S. Pierre, dans la quelle tous les autres Sièges ont gardé l'unité." In qua sola unitas ab omnibus servaretur: "en sorte, qu'en y demeurant, comme nous faisons, nous sommes le corps, qui a vû tomber à droit, & à gauche ceux, qui se sont separez, eux mêmes." Episcopus Bononiensis *Docum. pastor. 1724.* "Il ne me reste, inquit, mes très cheres freres, qu'à vous exhorter de ne vous écarter jamais de la foi de l'Eglise de Rome. C'est par l'union, au Sainte Siège Apostolique, que l'Eglise est une." Et Cardinalis de Bissy *in Docum. pastor. 14. Juin 1728.* "L'Eglise de Rome, inquit, que Jesus-Christ a établie la tête d'un corps, qui doit tou-

Tom. IV. Hh

jours être un, & qui ne peut toutefois conserver son unité, qu'en demeurant uni avec elle." Alia bene multa ea de re Gallicanæ Ecclesiæ testimonia collegit Auctor operis, cui titulus *de Romani Pontificis auctoritate Ecclesiæ Gallicanæ doctrina l. 1. c. 3. §. 2. et 3.* Egregie totum hoc argumentum persequitur Auctor tractatus *de schismate*, qui primum Gallicè editus est, deinde Italice redditus prodit anno 1718. sine loco. Illud postremo animadvertam, adeo necessariam semper habitam fuisse omnium Ecclesiarum cum Romana Ecclesia communionem, & conjunctionem, ut cuncti Episcopi eam præseferre, atque omnibus testatam facere voluerint. Ea de causa in Concilio Nicæno statutum est, ut in litteris formatis, quæ catholicam communionem ostendebant, non solum describeretur prima littera nominis trinum Personarum Sanctissimæ Trinitatis, sed etiam prima littera nominis Petri, ut ita communio cum unitatis centro Romana Ecclesia designaretur, uti ostendit Baronius *ad an. 325. p. 143. t. 4. ed. Lucæ.* Hinc etiam, ut recte est observatum à Cl. Zaccaria *de Reb. ad Histor. atque antiq. eccles. pert. Diss. 12. c. 3. §. 5. p. 251. ed. Fulgin. 1861.*, sæculo XI. catholici Episcopi, ut à schismaticis distinguerentur, sese *Apostolicæ Sedis gratia* Episcopos appellabant. Hæc quidem formula his concepta verbis qua nunc etiam Catholici Episcopi utuntur, haud usurpari primum coepit sæculo XIII., ut Thomassinus *Vet. & nov. Eccles. disciplin. par. 1. l. 1. c. 60. n. 9.* Patres Maurini *de Arte diplomatica t. 4. p. 591. not. 1.* aliique existimant, sed etiam sæculis XI., & XII. in usu erat, quod certissimis allatis monumentis ostendit Zaccaria *l. c. c. 3. p. 235. et seq.* Quin etiam multo ante hoc tempus S. Leo M. Anatolium sua, hoc est *Apostolicæ Sedis gratia* Constantinopolitanum Episcopum constitutum affirmat, uti sapienter est animadversum à Cl. Mamachio *ad auctor. oper. Quid est Papa? ep. 3. §. 1. t. 1. p. 251. ad 256.* quo loco graviter, nervoseque ostenditur, quam merito ab Episcopis, præsertim Occidentis, ea formula adhibenda sit.

(2) Adversus schisma Græcorum late scripserunt Emanuel Coleca *l. 4. contra Græcos*, Jos. Stegmannus "Refutatio errorum Photianorum, Michael Nau Ecclesiæ Romanæ Græcæque vera effigies &c." *Paris. 1680.*, Stephanus de Altimura, quo nomine latet P. Le-Quatinius, *Panoplia contra schisma Græc. Paris. 1718.*

(3) Confer "Historiam de Rebus Ecclesiæ Ultrajectensibus à tempore mutatae religionis in Fœd. Belgio monumentis authenticis roboratam, tam variisque dissertationibus illustratam Coloniae Agripinae 1725." Cornelium Paulum Hoynek van Papendrecht "Historia Ecclesiæ Ultrajectinae à tempore mutatae Religionis in Fœderato Belgio, in qua ostenditur ordinaria Sedis Archiepiscopalis, & Capitula jura intercessisse Mechliniæ 1727." & Aloysum Mozzium "Storia delle rivoluzioni della Chiesa di Utrecht Venezia 1787." Hoc quoque argumentum pari cum laude tractavit Laurentius Veith in libro *de Gemina delectatione edito Augusta Vindelic. 1785. sect. 2. art. 2. p. 100. seq.*

Videndæ autem in primis sunt litteræ tres plenæ gravitatis, veritatis, auctoritatis, dignitatis, quas Optimus, Sapientissimusque Pontifex PIUS VI an. 1778. & 1779. dedit ad Fœderati Belgii Catholicos adversus schismaticos Episcopos Ultrajectenses, quasque describit Mozzius *cit. histor. p. 203. & seq. t. 3.*

§. II. Schismatici propriæ hæretici non sunt, quoniam integram relinquunt Ecclesiæ doctrinam (1); at nullum schisma est, si diu stet, quod in hæresim non recidat, quoniam qui in illo pervicaci animo perseverat, Ecclesiæ auctoritatem contemnit, ipsaque pertinacia schismatici profitentur, quod catholicæ Ecclesiæ doctrina non patitur, extra Ecclesiæ unitatem salutem dari (2). Quin omnes schismatici sibi aliquod dogma confingere solent, ut justas suæ discessionis causas habere videantur (3).

(1) *Can. 43. caus. 23. qu. 5.*

(2) Nostro hoc sæculo Tillotsonus, Saurinus, Bolingbrokeus, Jurieus, Marchio de Argens, ceteri similes ausi sunt defendere, quod hæretici, & schismatici extra Ecclesiæ unitatem non sint, atque æternam salutem consequi possint. Institutionum brevis haud patitur, me longo sermone immorari in eorum commentis refutandis, quod post Bossuetium, aliosque complures catholicos Scriptores egregie præstitit Valsechius *La verità della Chiesa Catholica Romana c. 8.* Vide etiam Lupolum *Prælect. jur. Eccles. c. 6. §. 8. & seq.*

(3) S. Hieronymus *in c. 3. Ep. ad Titum opp. t. 7. col. 738. ed. Vallarsii Veronæ.*

§. III. Est autem schisma vel internum, vel externum. Interni schismatis reus est, qui à propria Ecclesia injuste discedit, in eaque turbas excitat, & cœtus conflatur, qui in diversa studia rapiantur. Externum schisma est, ubi particulares Ecclesiæ, quæ mutuis fœderibus nexæ, & jugatæ sunt, exortis dissidiis dissociantur, neque amplius unam majorem ecclesiam faciunt, sed tot existunt particulares cœtus, quot sunt ecclesiæ inter se dissidentes. Atque hoc quidem schisma particulare est, cum particulares Ecclesiæ inter se tantum dissociatæ sunt, sed tamen cum universali Ecclesia communionem, ac societatem retinent. Nam universale schisma est, cum aliqua Ecclesia, vel aliqui Christiani à catholicæ Ecclesiæ universitate discedunt.

§. IV. Schismatici, qui ab universali Ecclesia discessio-

nem faciunt, iisdem prope pœnis, quibus hæretici, afficiuntur. Quamquam enim schisma sine hæresi esse possit, tamen eam plerumque conjunctam habet, aut in eandem erumpit. At qui à sua Ecclesia, suoque Episcopo injuste separantur, si clerici sint, deponuntur, si laici, extra Ecclesiam projiciuntur (1). Quod si Episcopus in pietate peccet, atque hæresis, apostasiæ, schismatis reus sit, recte se Christiani à peccatore præposito separabunt (2).

(1) Canon Apostolorum 32. apud Cotelerium *PP. Apostolic. t. 1. p. 440. ed. cit.* Clericus schismatis reus etiam poena excommunicationis plectitur in *can. 43. caus. 23. qu. 5.*

(2) *Plebs*, inquit Cyprianus *Ep. 67. al. 68. p. 288. ed. Amstelæd. 1700.*, "obsequens Prelatis Dominicis, & Deum metuens à peccatore Præposito separare se debet, nec se ad sacrilegi sacerdotis sacrificia miscere."

TITULUS VI.

De Vetita Tolerantia Hostium Religionis.

- I. Omnes à catholica veritate dissentientes inter catholicos non tolerandi.
 II. ad IV. Quid Ecclesia, quid Princeps sæcularis in hoc genus hominum agere debeat?
 V. Ne recta quidem ratio sinit in-

ter catholicos versari hos homines, qui à veritate abhorrent.
 VI. Nulla his hominibus justa erroris excusatio est.

VII. Quando, & quomodo hi homines tolerari possint?

§. I.

Ne catholicorum animi inficiantur erroribus, pravisque opinionibus, & factis eorum, quibus aliena à veritate sententia, & religio est, recte & sapienter Ecclesia constituit, ut hi homines procul à catholicorum societate, & consortio expellantur (1). Horum autem multiplex genus est. Nam alii sunt, qui Deum prorsus tollunt, aut qui ociosum fingunt, & nihil sollicitum rerum humanarum Deum; alii, qui rerum omnium effectorem faciunt, quod creatum est; sunt denique Apostatæ, Hæretici, Schismatici. Hi ut inter Catholicos maneant, ferendum non est.

(1) Vetus est error Apellis, ut testatur Eusebius *Histor. l. 5. c. 13. p. 226. ed. Valesii Cantabrig. 1720.* agentis fidei rationem non esse querendam, quia si omnes in Christum credunt, atque in eo spem suam ponunt, ad eandem Ecclesiam pertinent, etiamsi fortasse in aliis rebus dissentiant; quem errorem & Georgius Cassander Bellarmini ætate, ut ipse testatur *de Laicis l. 3. c. 19. opp. t. 2. p. 272. ed. Ven. 1721.*, excitavit; Donatistæ Augustini ætate adversus catholicos contendebant hæreticos esse tolerandos, non autem coercendos pœnis sive temporalibus, sive spiritualibus, quod ipse Augustinus ostendit *contr. op. Parmenian. l. 1. c. 8. opp. t. 9. col. 19.*, & *contr. ep. Petilian. l. 2. c. 10. t. 9. col. 223. ed. Ven. 1733.* Errorem hunc integrarunt Joannes Wicleffus, Joannes Hussius, Lutherus, Raymundus Lullus, Lælius Socinus, Gerardus Titius, Zimmermannus, Claudius, Jurieus, & omnes fere Protestantes. In eodem luto hæsitavit Auctor litterarum Judaicarum, Perstrarum, Turcicarum, Peruvianarum, Auctor operis *Essai sur la liberté de produire ses sentimens*, Auctor *de Meurs*, Auctor *de l'Esprit*, Voltairius *Traité sur la tolerance*, Montesquieus *Esprit des loix liv. 25. Chap. 9. & 10.*, Alembertus *Defense de l'Esprit des loix v. tolerance*. Novissime hæreticos & theologice, & civiliter tolerandos esse contendunt Bartholinus à S. Paulo Heremita Monachus, Leopoldus ab Hay Episcopus Grædecii Regiæ vulgo *Konigsgratz*, quem solide Josephus M. Isotta opusculo Vercellis edito an. 1728. *Della tolleranza Cristiana*, Tamburinius, quem Bartolomeus Cuceagnius peculiari opere refutavit. Ex ipsis Protestantibus, qui saniores sunt, ultro fatentur, atque ostendunt, nullo modo tolerandos esse, sed pœnis esse coercendos, atque expellendos illos, qui Deum negant, aut qui eum nullam omnino habere censent rerum humanarum procuracionem, quæ monstra opinionum ipsi quoque civili reipublicæ maxime perniciosa esse docet Cicero *de Natur. Deor. l. 1. n. 2. & seq. opp. t. 2. p. 501. & seq. ed. Geneva 1743.* Ex eorum numeros sunt Grotius *de Jur. bel. & pac. l. 2. c. 20. §. 46.*, Puffendorffius *de Offic. homin. & civ. l. 1. c. 4. §. 2.*, & *de Jur. natur. & gent. l. 3. cap. 4. §. 4.*, Wolfius, Thomasius, Bohæmerus, Schmidius, alique complures, quos Jo. Albertus Fabricius laudat, & sequitur duobus operibus, quorum alteri titulus est "Delectus argumentorum, & syllabus scriptorum, qui veritatem religionis Christianæ, asseruerunt" *cap. 14.*, alteri vero *salutaris lux Evangelii cap. 26.*, item auctor *Epistolæ super tolerantia*, quæ Lockio tribuitur, quamque describit Clericus *Bibliot. univers. tom. 15.* Nostris vero Catholicis certum, fixumque est, tolerandos non esse homines à catholica veritate alienos, eosque meritis quoque pœnis esse coercendos; atque identitate demonstrant Suarezius *de Fide Sess. 3. disp. 20. per tot.*, Bellarminus *de Laicis l. 3. cap. 21. & 22. opp. tom. 2. pag. 276. ed. Ven. 1721.*, Rossensis *art. 33. contr. Luther.*, de Castro *de Just. hæret. punit. l. 2.*, Jacobus Pamelius *de Religion. diversitatibus non admittendis*. Valsechius *Dei fundamenti della religione e dei fonti dell'empietà l. 3. par. 1. c. 6.* & *La verità della Chiesa Cattolica Ro-*

mana c. 8. §. 11. seq. Papinus *Du tolerantissime*, Gouchatus *Lettr. critiq. let.* 126. ad 146., Nonnotus *L'Esprit de Voltaire dans ses écrits Chap. 10 Observ. sur la tolérance*, Lupolus *Prælect. jur. eccl.* t. 3. c. 5. §. 19., Emmanuel de Iturriaga, *Lettra di M.... al Ves-covo di Konisgratz*, & in ejus apologia, cui titulus *Il sistema della tolleranza*, Joannes Damianus Vaccensis Archidiaconus *juxta religionis coactio*, auctor operis Friburgi editi an. 1785, cui titulus: "La tolérance Chrétienne opposée au tolerantisme philosophique ou lettres, d'un patriote sa soi disant curé sur son dialogue au sujet des protestans." Videnda est etiam *apologie de Louis XIV.* "8c de son conseil sur la revocation de l'édit de Nantes pour servir de reponse à la lettre d'un patriote sur la tolérance civ. des protestans de France;" præterea videndum est diarium ecclesiasticum Romæ t. 1. p. 131. & 147. & t. 2. p. 53. 57. 61. 65. Præclare Bossuetus, qui totum hoc argumentum late persequitur contra Jurieum *Histoire de variat. sixiem. aver-tissem. dernière part. t. 5. p. 355. seq. ed. Paris. 1770.* inquit, u. 115. p. 311. "On voit clairement, que ce qui rend cette Eglise si odieuse aux Protestans, c'est est principalement, & plus que tous les autres dogmes, sa sainte, & inflexible incompatibilité, si on peut parler de cette sorte; c'est qu'elle veut être seule, parce qu'elle se croit l'épouse: titre, qui ne souffre point de partage.... Car c'est en effet ce qui la rend si sévère, si insociable, & ensuite si odieuse à toutes les sectes séparées, qui la plupart au commencement ne demandoient autre chose, si non qu'elle voulût bien les tolérer, ou du moins ne le pas frapper de ses anathèmes. Mais sa sainte sévérité, & la sainte délicatesse de ses sentimens ne lui permettoit pas cette indulgence, ou plutôt cette mollesse: & son inflexibilité, qui la fait hair par les sectes schismatiques, la rend chère, & vénérable aux enfans de Dieu."

§. II. Porro Ecclesiæ est curare diligenter, ut fidei depositum integrum conservetur, ut unitas fidei, & charitatis, ideoque & veritatis à nemine abrumpatur; ut procul sit omnis error, & cuncta removeantur, quæ veritati obesse, atque ab ea Christianos abstrahere possunt (1). Quare ejus omnino proprium est officium, atque munus tum procul ejicere, tum pœnis coercere omnes (2), qui cum à catholica veritate dissentiant, alios corrumpere, fidemque infuscare possunt exemplo, impunitate, licentia, mali contagione, quæ ab uno profecta manat latius. Imo hæc agendi ratio non iis tantum prodest, qui integra fide sunt, à quibus omne removetur periculum depravationis, sed etiam iis, qui in errore versantur, quibus sæpe Ecclesiæ judicium, & justa coercitio salutem attulit (3).

(1) *Igitur scintilla statim ut apparuerit*, inquit Hieronymus *Comment. in ep. ad Galatas c. 5. vers. 9. opp. t. 7. col. 489. ed. Vallarsii Veron.*, "extinguenda est, & frumentum à massæ vicinia semovendum, secandæ putridæ carnes, & scabiosum animal à caulis ovium repellendum, ne tota domus, massa, corpus, pecora ardeat, corrumpatur, putrescat, intereat. Arius una scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum orbem ejus flamma populata est." S. Ambrosius *de Fide ad Gratian. c. 6. opp. t. 5. p. 311. ed. Ven. 1781.* dicit hæc: "hæresis velut quædam hydra fabularum, vulneribus suis crevit, & dum sæpe reciditur, pullulat, igni debita, incendioque peritura."

(2) "Cur ergo non coeret Ecclesiæ, inquit Augustinus *ep. 185. ad Bonifac. c. 6. opp. t. 2. col. 652. ed. Ven. cit.* perditos filios, ut redirent, si perditii filii coegerunt alios, ut perirent?" Hieronymus *ad Ripar. contr. Vigilant. ep. 109. n. 3. col. 721. t. 1. ed. Veron. cit.* "Non est crudelitas, inquit (crimina pro Deo puniri) sed pietas."

(3) Confer Augustinus *cit. ep. ad Bonifac.*, ubi late hæreticos repellendos, coercendosque esse demonstrat; & si aliud aliquando senserat, sic scribit in *Retract. l. 2. c. 3. opp. t. 1. col. 43. ed. cit.*, sunt duo libri mei contra partem Donati, in quorum primo dixi, non mihi placere, ullius sæcularis potestatis impetu schismaticos ad communionem, nem violentè arctari. Et vere tunc mihi non placebat, quia nondum expertus fueram, vel quantum mali auderet impunitas, vel quantum eis in melius mutandis conferre potest diligentia disciplinæ."

§. III. Atque ita semper Ecclesiæ, Patresque omnes (1) devitari voluerunt, & cum catholicis conjunctos & consociatos esse vetuerunt omnes, qui à fidei veritate aberrarent; exemplo scilicet, & auctoritate eorum, quæ sacris libris continentur (2), quæque ab Apostolis gesta sunt (3). Neque vero alicui vim infer Ecclesiæ, aut alicui ad fidem violentè adducit, cum eos homines procul à catholicorum consociatione esse jubet, & pœnis etiam coercet. Tantum ea curat, ut erroribus non inficiantur, qui fide integra sunt, atque ut pœnis moniti errorem noscant, & ad fidem redeant, qui ab ea discesserunt.

(1) Confer Polycarpum *Ep. ad Philippen. n. 6. et 7.*, & Ignatium *M. Ep. ad Smyrnen. n. 4 et 7.* utrumque apud Cotelerium *PP. Apostolic. t. 2. p. 188. et 84. et 86. ed. Amstelædami 1724.*, Justinum *M. Dialog. cum Tryphon. Jud. n. 35. p. 132. ed. Paris. 1742.*, Irenæum *Contr. hæres. l. 4. c. 26. n. 4. opp. t. 1. p. 262. ed. Ven. 1734.*, Cyprianum *Ep. 39. ad popul. Chartag. p. 226. et 227. ed. Amstelædami 1700.* Optatum *Milevitanum Contr. Parmenian. l. 3. c. 7. p. 64. ed. Antwerp. 1702.*, Hieronymum in *Ep. ad Galat. c. 5. vers. 9. opp. t. 7. col. 738. ed. Vallar-*

sii Veron., Augustinum Ep. 93. ad Vincent. et Ep. 185. opp. t. 2. col. 230. et 643. Tract. 11. sup. Joan. n. 14. t. 3. part. 2. col. 382., et Contr. Ep. Parmen. l. 3. c. 6. t. 9. col. 75. ed. Ven. 1730., Ambrosium paulo ante laudatum, Leonem M. Ep. 15. ad Turib. in princ. opp. t. 1. col. 696. et Serm. 69. de Passion. Dominic. c. 5. col. 271. t. 1. opp. ed. Ballerin. Ven., Gregorium M. l. 1. ep. 74. ad Gemadium Patrie. et Evarch. Afric. opp. t. 2. col. 558. ed. Paris. 1705., Isidorum Hispal. Sent. l. 3. c. 13. p. 670. ed. Paris. 1601., Pelagium I. ep. 2. 3. et 4. ad Narset. apud Labbæum Conc. t. 6. col. 468. ed. Ven., Bernardum serm. 66. in Cantic. n. 12. opp. t. 4. p. 341. ed. Ven. 1765. Thomam Aquin. 2. 2. qu. 10. art. 8., et qu. 11. art. 3. Vide etiam quæ de Samosatensi, deque Alexandrina Ecclesia adversus Arianos gesta memorant Theodoretus Histor. lib. 4. c. 15. p. 165. ed. Valesii Cantabrig. 1720., quæque Athanasius in Vita n. 68. p. 677. opp. t. 2. ed. Patav. tradit de Antonio, qui scilicet "neque cum Meletianis schismaticis quidquam habuit commercii... neque cum Manichæis, aliisque hæreticis amice contulit unquam... Existimabat enim, & adserebat, amicitiam horum, & consuetudinem animæ perniciem, atque interitum esse;" quæ denique ab omnibus generatim Episcopis contra hæreticos fieri consuevisse testatur Eusebius Histor. l. 4. c. 24. p. 160. ed. Taurin. 1746. Similia pene sunt, quæ de Paphnutio memoriæ prodidit Sozomenus Hist. l. 2. c. 25. p. 81. ed. Cantabrig. 1720.

(2) Joannes ep. 2. vers. 10. et 11. "Si quis venit ad vos, inquit, & hanc doctrinam (Christi) non habet, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis; qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malis." Paulus ad Titum III. 10. "Hæreticum hominem post unam, vel secundam correptionem devita, sciens quia perversus est, & ad Romanos XIV. 17. Rogo vos, fratres, ait, ut observetis eos, qui dissensiones, & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis; per dulces enim sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium." Idem habet ipse Paulus II. ad Timot. II. 17., & seq., II. ad Thessalonic. III. 6. et 14., & Matthæus VII. 15.

(3) Joannes Evangelista Cerinthum videns sese in balneo lavantem, statim fugit; sicuti narrat Irenæus Contr. hæres. l. 3. c. 3. t. 1. p. 177. ed. Ven. cit., qui & hæc addit momentosa verba: "tantum Apostoli, & eorum discipuli habuerunt timorem, ut ne verbotenus communicarent alicui eorum, qui adulteraverant veritatem." Quod etiam scriptum reliquit Eusebius Hist. l. 4. c. 14. p. 161. ed. Cantabrig. 1720. Confer etiam quæ de Policarpo Joannis discipulo scribit Hieronymus de Vir. illustr. c. 17. opp. t. 2. col. 843. cit. ed. Veron.

§. IV. Sed & Princeps civili reipublicæ præpositus catholicæ religionis hostes expellere, pœnisque coercere debet (1). Nam ejus est tueri veritatem, curare diligenter, ut ea semper integra sit, remove omnia, quæ alios abstrahere

ab hac veritate possunt, quæque hominum erga Deum officiis adversantur. Quare cum quis ab Ecclesia veræ religioni inimicus judicatus est, debet omnino Princeps omni ope, & opera eniti, ut arceatur contagio sceleris, quo tota respublica corrumpi, & contaminari potest (2). Accedunt dissidia, seditiones, confusio, & perturbatio rerum, cetera mala, quæ, ut plurimum, existunt propter consociationem eorum, quibus in odio veritas est (3); horum vero malorum, vel ipse metus, atque periculum ad omnem eorum causam removendam sollicitat eum, cui publica salus, atque tranquillitas commissa est.

(1) Duplex distinguitur tolerantia, altera, quæ ecclesiastica, altera, quæ civilis dicitur. Ecclesiastica tolerantia est, cum quis omnes hæreticos vera Ecclesiæ membra, & veros filios agnoscit, civilis autem, cum omnibus sectis libere suæ religionis cultus, impunitasque conceditur. Recte autem est animadversum a Bossueto Histoire des Variat. avvertissem. sixiem, sur les let. de M. Jurieu dern part. n. 11. t. 5. p. 165. ed. Paris. 1770., quod eorum, qui civilem tolerantiam defendunt, hoc consilium, hoc propositum est, ut ecclesiasticam quoque tolerantiam confirmant, interque catholicam, ceterasque religiones nullum discrimen faciant. "Si on se déclaroit, inquit ille, ouvertement pour la tolerance ecclesiastique, c'est-à-dire qu'on reconnoit tous les heretiques pour vrais membres, & vrais enfans de l'Eglise, on marqueroit trop evidemment l'indifference des Religions. On fait donc semblant de se renfermer dans la tolerance civile... leur dessein veritable est de cacher l'indifference des religions sous l'apparence misericordieuse de la tolerance civile."

(2) Egregie S. Augustinus Tract. 11. in Joan. ad n. 14. opp. t. 5. par. 2. col. 382. cit. ed. Ven. "Mirantur autem, inquit, quia commoventur Postestates Christianæ adversus detestandos dissipatores Ecclesiæ. Si non ergo moverentur quomodo redderent rationem de imperio suo Deo? Intendat charitas vestra, quid dicam; quia hoc pertinet ad Reges sæculi, Christianos, ut temporibus suis pacatam velint matrem suam Ecclesiam habere, unde spiritualiter nati sunt... Talia facere volunt (hæretici) & saltem talia pati nolunt. Nam videre, qualia faciunt, & qualia patiuntur; occidunt animas, affliguntur in corpore, sempiternas mortes faciunt, & temporales se perpeti conquirunt." S. Leo M. ad Turrib. Ep. 15. in princ. t. 1. col. 696. ed. Ballerin. dicit hæc: "Merito Patres nostri, sub quorum temporibus hæresis hæc nefanda prorupit, per totum mundum, instanter egere, ut impius furor ab universa Ecclesia pelleretur, quando etiam Principes mundi hanc sacrilegam amentiam ita detestati sunt, ut auctorem ejus, & plerosque discipulos legum publicarum ense prostererent, & profuit diu ista districtio ecclesiasticæ lenitati, quæ, etsi sacerdotali contenta judicio, cruentas refugit ultiones, severis tamen Chris-

tianorum Principum constitutionibus adjuvatur, dum ad spirituale non-, nunquam recurrunt remedium, qui timent corporale supplicium." Idem habet S. Isidorus Hispalensis *de Summo bono seu Sentent.* l. 3. c. 51. p. 686. *ed. Paris 1601.*, cujus hæc verba sunt: "Sæpe per regnum terrenum ecclesie regnum proficit, ut qui intra Ecclesiam positi contra fidem, & disciplinam Ecclesie agunt, rigore principum conterantur, ipsamque disciplinam, quam Ecclesie humilitas exercere non prævalet, cervicibus; superborum potestas principalis imponat, & ut venerationem mereatur, virtutem potestatis impertiat," S. Gregorius M. l. 1. ep. 74. *opp. t. 2. col. 558. ed. Paris 1705.* vehementer laudat Gennadium Patritium, & Exarcham Africæ, quod magno studio hæreticos armis persequeretur. "Cognovimus, inquit, eos contra catholicam Ecclesiam, Domino eis adversante, colla subrigere, & fidem velle Christiani nominis inclinare; sed Eminentia vestra conatus eorum comprimat, & superbas eorum, cervices jugo rectitudinis premat." Mitto cetera Patrum testimonia, quæ multa sunt; tantum seligam quædam ex iis à civili potestate adversus hæreticos gesta sunt. Constantinus M. in exilium pepulit Arium à Nicæno Concilio damnatum, teste Sozomeno *Histor.* l. 1. c. 20. p. 38. *ed. Cantabrig.* 1720. idem Donatistas in campum educi, ac trucidari mandavit, ut testatur Augustinus *contr. ep. Parmen.* l. 1. c. 8. *opp. t. 9. col. 19. ed. cit.*, qui recte id factum affirmat, eundemque adversus hæreticos severissimas tulisse leges, scribit Eusebius *in ejus vit.* l. 3. c. 64. p. 620. *ed. Cantabrig.* 1720. Justinianus omnes hæreticos procul ab imperio expelli voluit, ut tradit Auctor *Histor. Miscellæ* l. 16. apud Muratorium *Rer. Ital. Script.* t. 1. p. 104. *Mediolan.* 1723. Priscillianus hæreticus cum sociis ab Evodio Præfecto jussu Maximi Imperatoris interfectus est, probante Hieronymo *ad Ctesiphont.* Ep. 133. c. 3. *opp. t. 1. col. 1023. ed. Vallarsii Veron.*, & Leone M. Ep. 15. *ad Turrib.* *opp. t. 1. col. 696. ed. Ballerin.* Michaelem Imperatorem hæreticos capite mulctatos voluisse, scribit laudatus Auctor *Histor. Miscell.* l. 24. p. 176. Basilium magum, & hæreticum Romæ à catholico populo combustum fuisse, testatur Gregorius M. *Dialog.* l. 1. c. 4. t. 2. col. 165. *ed. cit.* Confer etiam l. 4. §. 8. *cod. de Hæret.*, l. 1. & 2. *de Sum. Trinit.*, l. 1. *et seq. de Apostat.*; item constitutionem Friderici II. Imp., quæ integra describitur ab Innocentio Cironio *in V. Comp. Decretal.*, & cujus fragmenta extant in *Auth. Si vero & Auth. Credentes c. eod.*, præterea quæ de Alexio Commeno Imp. memoriæ prodidit Zonaras in ejus *vita n. 23. in Byzantina Hist. collect.* *ed. Paris. 1687. p. 301.*, de sui vero temporis disciplina S. Bernardus *in Cantic. serm.* 66. *opp. t. 4. ed. Ven.* 1765. p. 241.

(2) Quantum mali civili reipublicæ attulerint Ariani, Donatistæ, Manichæi, Viclephitæ, Hussitæ, Anabaptistæ, Lutherani, Calviniani, generatim omnes hæretici, satis ex historiis compertum est. Quod etiam ostendit Auctor libri editi an. 1787, cui titulus *Discours à lire au conseil en présence du Roy par un ministre patriote sur le projet d'accorder l'état civil aux Protestans.* Ipse Petrus Bayleus multa dat argumenta in

Commentar. Philos. ad illa verba, Compelle intrare, ut conficiat, puniendos esse atheos, & hæreticos, qui morum regulas corrumpunt, qui turbas in republica excitant, qui ministris injuriam irrogant, qui malæ fidei sunt; qui societati inferunt detrimentum. Ex quibus omnes pœnas à catholicis contra hæreticos constitutas vindicari, late, ac nervose ostendit Gauthatus loc. cit. let. 144. Confer etiam Bossuetium Hist. variat. l. 10. c. 56.

§. V. Quin etiam recta ratio non sinit, nobiscum versari homines, qui abhorrentes à veritate sententias sequuntur. Nam ex ea cognitum, comprehensumque animis habemus, esse dominatorem, & effectorem omnium, cuncta nutu regentem, præsentem, immortalem, ac præpotentem Deum, quem eo, quo decet, cultu prosequi debemus, & à quo quidquid credendum accepimus, veritatis habendum loco est. Non enim ipse falli, aut fallere quemquam potest. Quisquis igitur ab iis dissidet, quæ à Deo tradita, & patefacta hominibus sunt, impius est, & veritati resistit; nec recta ratio errorem cum veritate confundi sinit, & cum iis, qui veritati adhærent, turmatim, atque commixtim vivere, qui alios deducere à veritate possunt (1).

(1) Pulcre Victorius Maria Costa de Arignano Cardinalis, & Archiepiscopus Taurinensis in egregia *Synodo Diocesana*, quam nuper evulgavit, c. 2. p. 33. "Neque enim hominum societati, inquit, bene esse potest, nisi homines secundum rectam rationem vivant. Quid autem est rectum, tam rationem sequi, nisi Dei voluntati, qui æterna, & summa ratio est, obtemperare, & juxta eam vivere?"

§. VI. Neque alicui justa erroris excusatio est, aut quod in veritate hæret, aut quod eam non satis exploratam habet. Nam Deus, qui homines veritatem agnoscere, & sequi voluit, certa dedit signa, quibus eadem innotesceret. Quisquis hæc signa despicit, neque sedulo in veritatem inquirat, culpa non vacat; cum iis vero, qui prave sentiunt voluntate, & perveracia sua, quæ potest esse recte sentientibus consuetudo, societas, similitudo religionis, morum, sententiarum, ex qua conjunctio societatis existit?

§. VII. Quod si interdum mali gravioris metus, atque periculum expelli non sinit à civitate hæreticos, ceterosque similes, licet exlegi necessitati morem gerere, & obtemperare. Tunc autem hi homines in civitate retinentur;

sed ita tamen retinendi sunt, ut eorum error latius manare non possit, neque ceteri ex eorum societate detrimenti aliquid accipiant.

TITULUS VII.

De libris improbatæ lectionis.

- | | |
|--|---|
| I. Quam grave ex pravorum librorum lectione malum. | V. Ab Ecclesia speciatim notandi sunt libri, qui legi nequeunt. |
| II. Horum librorum lectio merito ab Ecclesia vetita. | VI. Doctrina in aliquo libro ab Ecclesia damnata ab omnibus damnanda est. |
| III. Cautio in ea re Hebræorum, Ethnicorum, Sectarum omnium. | VII. Quomodo Summus Pontifex pravos libros condemnet? |
| IV. Pravorum lectio librorum ab Ecclesia vetanda est. | |

§. I.

Non societas tantum, & consuetudo hæreticorum, eorumque omnium, qui male de religione sentiunt, atque à veritate discrepant, sed etiam pravorum lectio librorum nobis vehementer obest, moresque vitiat, & à rectis vivendi, atque credendi regulis abducit. Itaque ut à perniciofa refugimus societate, ita nobis abstinendum est à pravis libris, quorum præceptis imbui legendo possumus, atque ad eorum mores, consuetudinemque deduci (1). Imo gravius est, quod ex pravis libris, quam quod ex pravo sermone accipimus, detrimentum. Nam quæ legimus altius, quam quæ loquendo audivimus, hærent impressa animo, & difficilius è memoria elabuntur.

(1) Adversus vetitam pravorum librorum lectionem multa scripsere Protestantes, aliique complures, quibus nulla religio est, quique ægre ferunt, eripi ex manibus hominum libros, à quibus ipsi in errorem deducantur, eorumque mores depraventur. Jacobus Laurentius an. 1719. Amstelædami dissertationem edidit "de Libris Gentilium, Judæorum, Turcarum, Patrum, Pontificiorum tolerandis, Protestantium vero prohibendis." Daniel Francus sub disciplina Jacobi Thomasi an. 1666. exercitationem evulgavit de *Indicibus Papistarum expurgatoriis*, quam valde auctam an. 1684. iterum edidit Lipsiæ cum titulo "Disquisitio academica de Papistarum indicibus librorum prohibitorum, & expur-

gatoriorum, in qua de numero, auctoribus, occasione, contentis, fine, & jure indicum illorum disseritur." In eodem argumenti genere versati sunt Bernardus Von Sanden, cujus est: "Exercitatio Theologica de indicibus librorum prohibitorum, & expurgatoriis apud Pontificios, Joannas Conradus Schramm, à quo edita est *disputatio de Librorum prohibitorum indicibus, horumque utilitate, & abusu.*" Justus Hennings Bohemerus, cujus dissertatio de *Jure circa libros improbatæ lectionis ad l. 4. §. 1. ff. Famil. ercisc.* prodit an. 1724. Halæ Magdeburgicæ, quam deinceps ipse Bohemerus inseruit *Juri Ecclesiastico t. 4. l. 5. tit. 7. de Hæret. §. 67. ad 124.*, Christophorus Schoettgenius, qui Dresdæ evulgavit commentarios quinque, quorum tres sunt "de Indicibus librorum prohibitorum, & expurgandorum, quartus de Nævis, litterarum, quintus de Nævis politicis Indicibus prohibitorum, & expurgatoriorum, præterea tractatum de Expurgatione Pontificia librorum, prohibitorum." Est etiam Arnaldi opus, quod anno 1771. in Italicum sermonem conversum Venetiis prodit *delle Proibizioni de' libri*. In eodem luto hæsitant Voltairius, Auctor litterarum Judaicarum, itemque Auctor libelli, cui titulos *Essai sur la liberté de produire ses sentimens*, alique similes, qui bellum religioni, bonisque moribus indixerunt. Ecclesiæ potestatem vetandi lectionem pravorum librorum, præter duos Protestantem Daniele Colberum, & Andræam Kunadium, in discrimen revocare ausi sunt Paulus Sarpus, Fevrousius, & paucis ab hinc annis Camillus Nanettus Antecessor Patavinus, ejus anno 1767. Venetiis editi "Avvertimenti politici istorici canonico-legali ai Principi Venetiani intorno all' uso della loro potestà sulle cose ecclesiastiche, e sacre, item auctor operis *La Chiesa, e la repubblica dentro i loro limiti.*" Sed de pravorum librorum merito vetita lectione, deque Ecclesiæ, & Romani Pontificis in eo negotio potestate solide, graviterque deservierunt Gabriel Putherbus "Theotimum sive libri tres de Expurgandis, malis libris, Jacobus Greiserus de Jure, & modo prohibendi, expurgandi, & abolendi libros hæreticos, & noxios, qui deinceps scripsit, etiam hujus operis Supplementum, ac denique Epimetrum seu Auctarium ad opus, & supplementum de Jure, & modo, quæ omnia extant tom. 13. operum ipsius Greiseri, quæ anno 1734. edita sunt Ratisbonæ; Theophilus Rainaudus "Erotemata de malis, ac bonis libris, deque justa, aut injusta eorumdem confixione, quod opus descriptum est inter cerera Raynaudi opera Lugduni edita an. 1665. tom. 11. Multa etiam, & præclara eadem de re collegit Joannes Baptista Brachius in egregio opere *de Libertate Ecclesiæ t. 3. c. 26.*; multa item in medium allata sunt à Mariano Ruelio Carmelita, qui Arcadio nomine Gilasci Eutelidensis edidit "Saggio dell' Istoria dell' Indice Romano, de' libri proibiti, atque ab Alphonso de Liguoro Episcopo de Justa prohibitione, & abolitione librorum nocuæ lectionis." Sed omnium copiosissime, accuratissimeque totum hoc argumentum pertractavit Cl. Zaccaria, qui primum edidit dissertationem, quæ extat t. 3. *Annal. litter. Ital. l. 1. c. 13.*, deinceps vero anno 1777. peculiare opus, cui ti-

sed ita tamen retinendi sunt, ut eorum error latius manere non possit, neque ceteri ex eorum societate detrimenti aliquid accipiant.

TITULUS VII.

De libris improbatæ lectionis.

- | | |
|--|---|
| I. Quam grave ex pravorum librorum lectione malum. | V. Ab Ecclesia speciatim notandi sunt libri, qui legi nequeunt. |
| II. Horum librorum lectio merito ab Ecclesia vetita. | VI. Doctrina in aliquo libro ab Ecclesia damnata ab omnibus damnanda est. |
| III. Cautio in ea re Hebræorum, Ethnicorum, Sectarum omnium. | VII. Quomodo Summus Pontifex pravos libros condemnet? |
| IV. Pravorum lectio librorum ab Ecclesia vetanda est. | |

§. I.

Non societas tantum, & consuetudo hæreticorum, eorumque omnium, qui male de religione sentiunt, atque à veritate discrepant, sed etiam pravorum lectio librorum nobis vehementer obest, moresque vitiat, & à rectis vivendi, atque credendi regulis abducit. Itaque ut à perniciofa refugimus societate, ita nobis abstinendum est à pravis libris, quorum præceptis imbui legendo possumus, atque ad eorum mores, consuetudinemque deduci (1). Imo gravius est, quod ex pravis libris, quam quod ex pravo sermone accipimus, detrimentum. Nam quæ legimus altius, quam quæ loquendo audivimus, hærent impressa animo, & difficilius è memoria elabuntur.

(1) Adversus vetitam pravorum librorum lectionem multa scripsere Protestantes, aliique complures, quibus nulla religio est, quique ægre ferunt, eripi ex manibus hominum libros, à quibus ipsi in errorem deducantur, eorumque mores depraventur. Jacobus Laurentius an. 1719. Amstelædami dissertationem edidit "de Libris Gentilium, Judæorum, Turcarum, Patrum, Pontificiorum tolerandis, Protestantium vero prohibendis." Daniel Francus sub disciplina Jacobi Thomasi an. 1666. exercitationem evulgavit de *Indicibus Papistarum expurgatoriis*, quam valde auctam an. 1684. iterum edidit Lipsiæ cum titulo "Disquisitio academica de Papistarum indicibus librorum prohibitorum, & expur-

gatoriorum, in qua de numero, auctoribus, occasione, contentis, fine, & jure indicum illorum disseritur." In eodem argumenti genere versati sunt Bernardus Von Sanden, cujus est: "Exercitatio Theologica de indicibus librorum prohibitorum, & expurgatoriis apud Pontificios, Joannas Conradus Schramm, à quo edita est *disputatio de Librorum prohibitorum indicibus, horumque utilitate, & abusu.*" Justus Hennings Bohemerus, cujus dissertatio de *Jure circa libros improbatæ lectionis ad l. 4. §. 1. ff. Famil. ercisc.* prodit an. 1724. Halæ Magdeburgicæ, quam deinceps ipse Bohemerus inseruit *Juri Ecclesiastico t. 4. l. 5. tit. 7. de Hæret. §. 67. ad 124.*, Christophorus Schoettgenius, qui Dresdæ evulgavit commentarios quinque, quorum tres sunt "de Indicibus librorum prohibitorum, & expurgandorum, quartus de Nævis, litterarum, quintus de Nævis politicis Indicibus prohibitorum, & expurgatoriorum, præterea tractatum de Expurgatione Pontificia librorum, prohibitorum." Est etiam Arnaldi opus, quod anno 1771. in Italicum sermonem conversum Venetiis prodit *delle Proibizioni de' libri*. In eodem luto hæsitant Voltairius, Auctor litterarum Judaicarum, itemque Auctor libelli, cui titulos *Essai sur la liberté de produire ses sentimens*, alique similes, qui bellum religioni, bonisque moribus indixerunt. Ecclesiæ potestatem vetandi lectionem pravorum librorum, præter duos Protestantem Daniele Colberum, & Andræam Kunadium, in discrimen revocare ausi sunt Paulus Sarpus, Fevronius, & paucis ab hinc annis Camillus Nanettus Antecessor Patavinus, ejus anno 1767. Venetiis editi "Avvertimenti politici istorici canonico-legali ai Principi Venetiani intorno all' uso della loro potestà sulle cose ecclesiastiche, e sacre, item auctor operis *La Chiesa, e la repubblica dentro i loro limiti.*" Sed de pravorum librorum merito vetita lectione, deque Ecclesiæ, & Romani Pontificis in eo negotio potestate solide, graviterque deservierunt Gabriel Putherbus "Theotimum sive libri tres de Expurgandis, malis libris, Jacobus Greiserus de Jure, & modo prohibendi, expurgandi, & abolendi libros hæreticos, & noxios, qui deinceps scripsit, etiam hujus operis Supplementum, ac denique Epimetrum seu Auctarium ad opus, & supplementum de Jure, & modo, quæ omnia extant tom. 13. operum ipsius Greiseri, quæ anno 1734. edita sunt Ratisbonæ; Theophilus Rainaudus "Erotemata de malis, ac bonis libris, deque justa, aut injusta eorumdem confixione, quod opus descriptum est inter cerera Raynaudi opera Lugduni edita an. 1665. tom. 11. Multa etiam, & præclara eadem de re collegit Joannes Baptista Brachius in egregio opere *de Libertate Ecclesiæ t. 3. c. 26.*; multa item in medium allata sunt à Mariano Ruelio Carmelita, qui Arcadio nomine Gilasci Eutelidensis edidit "Saggio dell' Istoria dell' Indice Romano, de' libri proibiti, atque ab Alphonso de Liguoro Episcopo de Justa prohibitione, & abolitione librorum nocuæ lectionis." Sed omnium copiosissime, accuratissimeque totum hoc argumentum pertractavit Cl. Zaccaria, qui primum edidit dissertationem, quæ extat t. 3. *Annal. litter. Ital. l. 1. c. 13.*, deinceps vero anno 1777. peculiare opus, cui ti-

tulus *Storia polemica delle proibizioni de' libri*. Habes hoc opere uno in conspectu positum quidquid ad justam nocuorum librorum prohibitionem, Ecclesiaeque, & Romani Pontificis in ea re potestatem ostendendam, atque ad haereticorum, aliorumque similium commenta refutanda pertinet. Videndi sunt etiam Gauchatus *Let. crit. t. 4. let. 41.*, Valsechius *dei Fondamenti della Religione è dei fonti dell' impietà l. 3. par. 3. c. 3. & 4.*, & Cl. Mamachus *ad auctor. opp. Quid est Papa? §. 22. t. 1. p. 304. & seq.*, à quibus ea de re multa sunt praclare, ac solide animadversa.

§. II. Recte igitur, & sapienter Ecclesia, cujus est curare, ut cunctis sana religio, moresque integri sint, & omnis mali, atque erroris auferatur occasio, lectionem vetat librorum, quos rectis moribus, ac fidei integritati noxius esse animadvertit. Quin etiam, ut omnis in re tam gravi damni suspicio, & periculum arceatur, ne retineri quidem sint eos libros, quos aliquis legere curiosus, atque imprudens, & à quibus infici errore potest. Qua in re Ecclesia non tantum prospicit, & consulit saluti, atque utilitati Christianorum, sed etiam ab impetu, & furore perditorum hominum virtutes vindicat, & veritatem sanctissimae religionis, quam si Dei filii esse volumus, venerari, diligere, vereri debemus. An non Ecclesiae testimonio, & auctoritate tueri oportet sanctitatem, ac veritatem Religionis; an non merito censura notantur, qui eam odio habent, contemnant, irrident (1)?

(1) Utrumque hoc argumentum late, & egregie persequitur Zaccaria *l. c. l. 2. Dissert. 1. c. 1. 2. 3.*, ubi etiam recensentur libri, quorum lectio merito improbat.

§. III. Atque hic sane mos fuit Hebraeorum (1). Ethnicorum (2), sectarum omnium (3), è medio tollere, atque etiam comburere libros, qui eorum religioni, bonisve moribus adversarentur. Nimirum recte omnes intelligebant, quantum religio, quantum mores, atque ipsa res publica caperet detrimenti ex lectione librorum, qui in omnium manibus impune, ac sine delectu versarentur. An non catholicis adhibenda erit cautio tam salutaris, tam necessaria, probata consensu Patrum (4), & Ecclesiae disciplina (5), ne quis eorum abstrahatur à veritate, quae tantum in Catholica Ecclesia est.

(1) Narrat Michael Glica *2. p. ann. p. 182. ed. Paris. 1660. in Byzant. histor. collect.*, qui Eusebium laudat, quod Ezechias Rex libros aliquot, qui Salomoni tribuebantur, comburi jussit, ne forte populus ex eorum lectione in idololatriam raperetur. Sed quanta in librorum lectione cautio esset, & provisio Hebraeorum, ostendit in primis agendi ratio, quae in ipsis sacris Bibliis adhibebatur. Nimirum adolescentes, qui nondum trigesimum aetatis annum attingerant, ut scribit Hieronymus *Proem. in Comment. ad Ezech. opp. t. 5. col. 3. ed. cit.*, aut potius ex vigesimo anno non exceperant, uti tradit Gregorius Nazianzenus *Apolog. opp. t. 1. p. 21. ed. fol. 1690.*, legere non sinebant Genesim, quaedam Ezechiellii capita, & librum Canticae, quod etiam memoriae prodidit Origenes *Prologo in Cant. opp. t. 3. p. 26. ed. Paris. 1740. ne forte*, ut inquit Auctor librorum *de Vit. contemplat.*, qui olim Prospero tribuebantur, nunquam Juliano Pomerio adscribuntur, *l. 3. c. 6. n. 6. in append. opp. 5. Prosperi p. 55. ed. Paris. 1711.*, "haec spiritualia secundum carnem adhuc carnales acciperent, nec virtutes cogitarent, quas mulieres illae (*quarum scilicet in iis libris mentio est*) significant, sed ipsas cogitando carnaliter deperirent; propterea consulto juniores legere sunt illa prohibiti, quae si, cum spiritualiter accepta vivificant, ita carnaliter intelligentibus ipsa carnalis intelligentia occasiones carnalis concupiscentiae subministrat."

(2) Abderitem Protagoram, quod in principio libri sui sic posuerat *de Diis neque ut sint, neque ut non sint, habeo dicere*, Atheniensium jussu urbe, atque agro exterminatum fuisse, librosque ejus in concione combustos, scribunt Cicero *de Natur. Deor. l. 1. n. 23. opp. t. 2. p. 525. ed. Oliveti Genova 1743.*, & Lactantius *de Ira c. 9. p. 142. t. 2. ed. Paris. 1748.* Sed Romanorum in primis magna fuit cura, & sollicitudo removendi, tollendique libros, & cetera, quae mores hominum depravare, eosque à religione avocare possunt. Multa ejus rei monumenta sunt apud Livium *lib. 25. c. 1. t. 3. p. 939. l. 39. c. 16. l. 40. c. 29. t. 5. pag. 330. & 490. ed. Drakenborchii Lugd. Bat. 1743.* Valerium Maximum *lib. 1. c. 1. t. 1. p. 23. ed. Torrenii Leida 1726.*, Svetonium *in August. c. 31. n. 1. p. 225. t. 1. ed. Leovardiae 1714.*, Senecam *Controv. proem. l. 5. t. 3. opp. p. 348. ed. Amstel. 1682.*, Tacitum *Annal. l. 4. n. 35. & l. 14. n. 50. p. 597. t. 1. & p. 735. t. 2. ed. Ven. 1708.*

(3) Catholicorum libros ab Arianis, ac praesertim Gregorio Cappadoce Patriarcha Alexandrino, Genserico, & Unnerico Vandalorum Rege, ab Iconoclastis crematos fuisse, testantur Athanasius *Encyclica ad Episcop. ab Ep. ad Orthodox. de perseq. excit. n. 3. opp. t. 1. p. 90. ed. Pat. 1777.* Victor Vitensis *de Perseq. Vandal. l. 2. n. 12. p. 16. & l. 4. n. 2. p. 66. ap. Ruinart. Hist. Pers. Vand. ed. Paris. 1694.*, Theodorus Studites *Ep. ad Patriarch. Alex. apud Baronium ad ann. 817. n. 27. t. 13. Annal. p. 599. ed. Lucae.* Notum est, Lutherum corpus Juris Canonici igni tradidisse: quid actum ab Anabaptistis fuerit, narrat Sleidanus *lib. 10.*, quid à Calvinianis, patet ex eorum synodo apud Schultingium *lib. 9. Anacris. pag. 31.* Quin etiam Haeretici tollendos, removendosque curarunt libros aliorum haereticorum, qui ex diversis sectis essent. Gaspar Radecherus Lu-

theranus ea de re libellum Vitembergæ edidit anno 1556., ut conficeret, à Magistratu tollendos esse libros eorum omnium, qui Lutherani non essent, quem librum memorat Gretserus in *Epim. seu Auctar. ad opus de Libr. nox. prohiben. c. 1.* Revera Lutherani magnopere restiterunt Sacramentariorum libris, uti narrat Hospinianus *Hist. sacram. p. 11.*, itemque libris Zuinglianorum, & Calvinianorum, qua de re cum Calviniani quererentur, responsum ab illis est in *Refut. orthodox. consens. p. 14.* "jam, quod conueruntur aliquibus in locis, libris Zuinglianorum, & Calvinistarum locum datum non esse, vel Theodosii, Valentiniani, & Marciani piissimorum Imperatorum exempla, qui ne quis Nestorii, Butychetis, & Apollinistarum libros describeret, aut legeret, edixerant... nostrorum Principum pia mandata excusant." Idem à Calvinianis adversus Lutherianorum libros factum est, quod multis collectis exemplis ostendit Zaccaria *l. c. Dissert. 1. c. 7.*

(4) Confer S. Dionysium Alexandrinum apud Eusebium *Histor. l. 7. c. 7. p. 326. ed. Valesii Cantabrig. 1720.* S. Hieronymum *Ep. 84. & 107. col. 287. & 682. t. 1. ed. Vallarsii Veronæ*, Theodorum Studitam *lib. 11. ep. 167. p. 658. ed. Paris. Sirmondi 1696.*

(5) Cum Paulus divinum verbum Ephesi nuntiaret, multi ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus, uti scriptum est in *Act. Apostol. XIX.* Insigne hoc monumentum esse monet Gretserus *de Jur. & mor. prohib. l. 1. c. 5.* moris Ecclesiæ pravos eripiendi libros ex manibus Christianorum. Canon Apostolorum § 2. 59 & 60., apud Cotelerium *PP. Apostol. t. 1. p. 430. ed. Amstelædami 1724.* divulgari vetat falsos inscriptos impiorum libros, itemque libros schismaticorum à S. Cypriano vetitos fuisse, constat ex ejus *ep. 45. p. 231. ed. Amstelædami 1700. p. 128.*, Arii Thaliam à Patribus Concilii Nicæni condemnatam fuisse, scribunt Socrates *Hist. lib. 1. c. 21. p. 40. ed. Valesii Cantabrig. 1720.*, & Nicephorus *lib. 8. c. 18. p. 569. t. 1. ed. Paris. 1630.*, quod Patrum decretum ab omnibus observari iussit Constantinus edicto, quod memorat Sozomenus *loc. cit.*, describit autem Socrates similiter *laudato loco.* Concilio Carthaginensi IV. apud Gratianum *can. 1. dist. 37.* cautum est, ut *Episcopus Gentiliū libros non legat; hereticorum autem pro necessitate, & tempore.* Quid dicam de Origenis libris? Eos sane pluries damnatos, lectionemque eorum veritam fuisse testantur Sozomenus *Histor. l. 8. c. 14. p. 343.*, Socrates *lib. 6. cap. 9. p. 324. ed. cit.*, & Hieronymus *l. 2. Contr. Rufin. n. 22. t. 2. col. 515. ed. cit.* Confer etiam Africæ Episcoporum litteras contra Pelagii libros ad Innocentium I. apud Coustantium *Epist. Rom. Pont. col. 884.*, itemque litteras PP. Concilii Ephesini contra libros Nestorii ad Theodosium, & Valentinianum Imperator. *Act. l. 1. c. 3. concil. col. 1102. collect. Labbei, præterea S. Leonem M. Ep. 15. ad Turibium c. 15. & 16. opp. t. 1. col. 706. ed. Ballerin.* ubi in Hispaniis in uno lectionis usu haberi jubet Priscillianistarum libros, atque apocryphas scripturas non solum interdicens esse pronuntiat, sed etiam penitus auferendas, atque ignibus concremandas; quod idem ipse Romæ fecerat adversus Manichæorum libros, sicuti

narrat Prosper in *Chronic. col. 749. ed. Paris. 1711.* Mitto cetera, ne nimius sim. Tantum indicabo celebre decretum Gelasii Pontificis, quod pertinet ad exitum sæculi V., & quod vel unum ostendit, quanta jam esset ea ætate cura, & sollicitudo Sedis Apostolicæ, ne in Christianorum manibus versarentur libri, ex quibus ipsi damni aliquid accipere possent. De hoc decreto copiose disserit Zaccaria *l. c. l. 1. ep. 2.*, ubi etiam plura habes monumenta, quæ ad rem nostram pertinent. Videndi sunt etiam Binghamus *Orig. eccles. l. 16. c. 2. §. 14. p. 103. seq. t. 7. ed. Halæ Magdeburg. 1761.*, & Mamachi ad auct. *op. Quid est Papa? ep. 3. §. 22. t. 1. p. 304. seq.*

§. IV. Jamvero quemadmodum leges, quibus pravorum lectio librorum interdicitur, huc spectant, ut omnibus sancta, integra, inviolata Religio sit, damnunque arceatur, & periculum animarum, ita totum hoc negotium pertinet ad ecclesiasticam potestatem, cujus curam, diligentiamque desiderant sanctitas religionis, atque animarum salus. Et quoniam religioni infertur injuria, animi imbuuntur erroribus, sive publice, sive privatim hi libri legantur, imo privata lectio, quæ fieri diligentius solet, plus affert detrimenti; idcirco utraque lectio vetanda est ab ea potestate, quæ homines deterreat ab iis, quæ in aperto, ac propatulo, quæque in occulto fiunt. Atqui tantum ecclesiastica potestas, quæ animis imperat, & eos poena constringit, efficere potest, ut se homines ab iis abstineant, quæ non solum in luce, & conspectu omnium, sed etiam in abdito, atque in tenebris fugienda sunt.

§. V. Cunctos generatim libros, qui religioni, & moribus officiant, procul à nobis esse oportere, omnes facile intelligunt, quibus cordi religio, & integritas morum est. Sed nisi Ecclesiæ judicio constaret, quos speciatim libros legere sine periculo liceat, quos contra fugere oporteat, cuncta essent incerta, & unius, alteriusve libidini commissa; ac sæpe quis imprudens, & ignarus libros legeret perniciosos, quos salutare putabat, erroresque combiberet, qui semel infixi animo sæpe nunquam deponuntur. Quare Ecclesia designat libros religioni, bonisque moribus inimicos, hos legi, atque etiam retineri vetat, & poenas etiam, addit, quæ animum affligunt, ut timor non ex hominum judicio, quod facinoris occultatio fallit, sed ex peccati conscientia exoriatur (1).

(1) Atque ita sane omni ætate observatum est, scilicet pravorum lectio librorum semper ab Ecclesia vetita est, uti paulo ante demonstravi not. 5. & latius ostendi Zaccaria l. c. *Epoc. 1. ad 7. & Dissert. 2.* Quædam discepto, haud equidem inferior, etiam laicos Principes cavere suis legibus posse, ne quis legat, retineatve libros, qui adversantur iis rebus, quæ eorum curæ, potestati, administrationi commissæ sunt. Verum hæc leges sunt ad instar reliquarum legum civilium, quæ tantum pœnis temporalibus repugnantes coercent, quæque vim exerunt suam in ea regione, in qua conditæ sunt. Ecclesiæ tantum est vetare libros, qui religioni, bonoque spirituali adversantur, ejusque leges pœnas quoque irrogant spirituales, & ubique Christianos obstringunt. Quod si interdum à laico Principe vetiti sunt Hæreticorum libri, id quidem factum est, posteaquam illi Ecclesiæ judicio vetiti jam, damnatique fuerant. Arii libros jam igni tradiderant Nicæni Patres, antequam eos Constantinus edicto proseriberet. Theodosius Jun., & Valentinianus Nestorii libros improbarunt; sed hi Synodo Ephesina *anathematizante fuerunt condemnati*, ut inquit Liberatus Diaconus in *Breviar. c. 10. p. 44. ed. Garnerii Paris. 1765.* Confer S. Cælestinum *Ep. 13. ad Nestorium n. 2. seq. col. 1115. seq.* apud Constantium *Epistolar. Roman. Pontific. & Epist. Joan. Antiocheni*, quæ est 3. *inter Cælestinianas 3. n. 2. ibid. c. 1283.* Similiter in Capitularibus Caroli M. l. 1. c. 73. apud Baluzium t. 1. col. 482. *ed. Ven. 1772.* quidam libri improbantur; sed antea simile Zaccaria Pontifice decretum emissum fuerat, uti observat Phithocæus *Glosar. ad Capitular. verb. Tractatus catholici t. 2. col. 512.* Ac ne omnia prosequar, nonne Leo X. Lutheri libros condemnavit? Idem postea factum est à Carolo V., sed his primam edicto monuit, ea scripta esse à Summo Pontifice auctoritate sua Apostolica, ut præmittitur, *damnata.* Theodosius primus cum seductus à Chrysaphio Monothelita fuisset (vide 3. P. *Concil. Chalced. c. 10. t. 4. Concilior. Labbæi ed. Ven. col. 1807.*) Theodoretæ scripta nondum ab Ecclesia improbata damnavit. Verum Chalcedonense Concilium, uti constat ex *Act. 8. t. 4. Concil. col. 1522. collect. Labbæi*, nulla Imperatoris legis habita ratione Theodoretum absolvit, suæque Sedi restituit; deincepsque eandem legem Valentinianus, & Marcianus abrogarunt declarantes, "quod injusta sententia nihil obsit Eusebio quoque, & Theodoro religiosis Episcopis, qui eadem lege continentur, quoniam non possunt sacerdotes constitutione damari, quos synodicum ornat de conservata religione decretum Concilium Chalcedonense part. 3. c. 11. col. 1510. t. 4. cit. collect." Quid? Enoticon Zenonis, Eclesium Heraclii, ac Typum Constantis nonne semper Ecclesia despexit, atque rejecit? Sæpe etiam laici Principes gravissimas contra hæreticos edidit leges, verum rogati Ecclesiæ, quæ civilibus quoque pœnis in hæreticos animadverti curavit, ut facilius eorum audacia coerceretur. Ita Imperatorum (Arcadii, & Honorii) scripta, quæ de Alexandria, & Egypto Origenistas pelli jubent Hieronymo, ut ipse inquit cont. Rufin. 2. l. c. 2. *app. t. 2. col. 468. ed. Vallarsii Veronæ*, suggerente dictata sunt. Hieronymus

autem sine dubio hoc mandatum acceperat ab Anastasio I. P., qui illud Imperatorum edictum *responsa* tantum appellat *Ep. 3.* apud Labbæum t. 2. *Concil. col. 1432.* Ephesini Patres ad Theodosium, & Valentinianum Imperatores dedere litteras, ut cunctos Nestorii libros comburi curaret. Concilium Ephesinum *Act. 1. t. 3. cit. collect. col. 1102.* atque Orientales Episcopi Orthodoxi, & Archimandritæ Constantinopolitani, uti patet ex Concilio Constantinopolitano sub Menna habito *ann. 536. t. 5. Conc. col. 1006. cit. collect.*, Agapitum P. rogarunt, ut à Justiniano contra Severi libros edictum impetraret.

§. VI. Ecclesiastica autem potestas, à qua damnantur, improbanturque libri, ex quibus religio & mores detrimentum capiunt, est ipsa Ecclesia, & Summus Pontifex Ecclesiæ caput (1). Alterutrius judicio, & auctoritate opus est, ut omnes per totum Christianum orbem lege obstringantur, quodque ab iis editum est iudicium neque falli, neque fallere quemquam potest. Quare sive aliquis damnatus error fuerit (2), sive definitum in libro errorem inesse (3), sive speciatim, sive generatim, atque, ut ajunt, *in globo* proscripti errores fuerint (4); quidquid à Summo Pontifice, aut ab Ecclesia sive sparsa per terrarum orbem universum, sive in Synodum congregata pronunciatum, sancitumque est, apud omnes veritatis loco esse debet. Episcopus etiam, ac provinciale Concilium damnat, legique vetat libros, quos noxios esse animadvertit, sed ejus leges circumscribuntur terminis dioceseos, aut provinciæ, in qua latae sunt, & errori subesse possunt.

(1) Ne omnia colligam monumenta pontificiæ potestatis in damnandis, vetandisque libris religioni, bonisque moribus inimicis, quod operæ esset, descriptionisque longioris, quodque egregie præstitit Cl. Zaccaria *libro indic.*, pauca tantum indicabo, quibus cognitis facile erit de ceteris judicare. III. sæc. ad Pontianum Pontificem libri Origenis missi fuerunt, ut damnarentur. Confer Constantium in Pontian. §. *unic. n. 1. col. 116.* & in Fabian. §. *n. 1. col. 119.* Confer etiam Anastasium I. *ep. ad Joan. Hierosolimit.* apud eundem Constantium *ep. Roman. Pontific. col. 726.* Ad Innocentium I. Summum Pontificem præstantissimi quinque Africae Episcopi dedere litteras, ut Pelagii librum condemnaret. "Anasthetem ergo (inquunt illi apud Constantium *epist. Roman. Pontific. col. 884.*) Pelagius scripta sua. . . Aut si sua esse negat, aut scriptis, suis ab inimicis suis dicit immissa, quæ sua esse negat anathemet eam tamen, & damnet paterna exhortatione, & auctoritate Sanctorum tui. . . Si enim cognoverint (Pelagii socii) eundem librum, quem illius vel

, putant esse, vel norunt, Episcoporum catholicorum auctoritate, & maxime sanctitatis tuæ, quam apud eum esse majoris ponderis non dubitamus, & c. Librum Innocentius legit, & eum à quovis damnandum, atque calcandum Africanis Episcopis respondit apud Constantium l. 2. col. 905. Leo I. Priscillianistarum libros non modo legi vetuit, sed etiam flammis tradi voluit ep. 15. t. 2. opp. p. 694. ed. Ballerin. Ven. Plura quoque hæreticorum opera jussu Gelasii I. apud Anastasium Bibliothec. in Gelas. t. 1. p. 167. n. 2. ed. Romæ 1724., & Symmachi apud eundem in Symmach. n. 3. p. 175. incendio conflagrarunt. Similia habes apud Gregorium M. l. 6. ep. 66. opp. t. 2. col. 842. ed. Paris. 1705., quem in locum Monachi, & Congregatione S. Mauri rectissime adnotarunt, "agnoscendum esse scilicet in Romanis Pontificibus libros aliquos prohibendi potestatem, & consuetudinem, cui parere te- nebantur etiam orientalis Ecclesiæ alumni Constantinopolitano Patriarchæ, aut alteri alioquæ subditi." Huc etiam spectat Concilium Turonense an. 567. can. 20. apud Labbæum t. 6. Concil. col. 541., cujus hæc verba sunt: "Et quorum auctoritas valere possit prædicatio, nisi quos Sedes Apostolica aut semper intramisit, aut apocryfos fecit? & Patres nostri hoc semper custodierunt, quod, eorum præcepit auctoritas." Adde curam & sollicitudinem, quam semper præstantissimi, sanctissimique viri habuerunt, ut eorum scripta Summi Pontificis judicio probarentur. Dionysius Alexandrinus ad Dionysium alterum Summum Pontificem libros quatuor misit, ut ipse judicaret, num ejus recta esset de Trinitate fides, de quo aliqui dubitabant. Libros item quatuor contra duas Pelagianorum litteras ad Bonifacium P. misit Augustinus significans, sese ea scripta mittere "non tam discenda, quam examinanda, & ubi forsitan aliquid displicuerit, emendanda. Augustinus opp. tom. 10. col. 433. ed. Venet. 1733. De Casario Arelatensi scribit Gennadius de Script. eccles. c. 86. in t. 2. opp. S. Hieron. ed. Veron. col. 984., "quod ipse de gratia quoque, & libero arbitrio edidit testimonia Divinarum, Scripturarum, & Sanctorum Patrum judiciis munita. . . . Quod opus etiam Papa Felix per suam epistolam roboravit, & in latius promulgavit." Ipse Gennadius c. 99. & 100. ibid. col. 989. & 990. testatur, suum se de fide librum Gelasii P. judicio subjecisse, eundemque Gelasium Honorati Massiliensis scripta approbasse. Sunt etiam Nicolai I. Pontificis celebres responsiones ad consult. Bulgarorum, atque in his n. 103. apud Labbæum concil. t. 9. col. 1566. retineri vetantur, & cremari jubentur Sarracenorum libri, quos Bulgari abstulerant. Quid adversus Photii libros, quibus homo schismaticus Summum Pontificem sedemque Apostolicam audacissime insectabatur, ab Hadriano II. Pontifice actum fuerit, constat ex Concilio Romano an. 868. apud Labbæum t. 10. col. 447., atque hoc quidem factum VIII. Oecumenico Concilio probatum est act. 7. apud Labbæum, t. 10. col. 847., Joannes Diaconus ad Joannem VIII. Pontificem sæculo eodem IX. scribens de S. Gregor. Magni vita t. 4. Oper. S. Gregor. ed. Paris. col. 20. "Romano, inquit, Pontifici, Deus omnipotens probandorum, seu expellendorum

, scriptorum omnium specialem dedit procul dubio potestatem. Quid dicam de libro Joannis Scoti à Leone IX. primum in Romana, deinceps autem in Vercellensi Synodo damnato apud Labbæum t. 11. col. 1431. ed. Ven. cir., de Petri Abælardi scriptis, quæ Innocentius II. condemnavit, uti patet ex ejus ep. ad Archiepiscopos Remens. & Senonens. & ad Bernard. Abbatem apud Labbæum t. 12. col. 1415. & 1420., quid de alio opere Joannis Scoti, quod Honorius III., uti ostendit Mabilionius Præfat. ad sæc. 4. Benedictin. §. 8. n. 135. p. 66. ed. Paris. 1680. quid de libris Talmudicis Hebræorum, quos Innocentius IV. apud Raynaldum ad an. 1244. n. 42. t. 21. p. 312. ed. Lucæ ab omnibus improbari voluit, quid de libris Aristotelis, quos Gregorius IX., uti patet ex ejus Constitutione apud Raynaldum, An. t. 21. ad an. 1231. n. 48. p. 50. ed. Lucæ, in Parisiensi Universitate legi vetuit, "quousque, que examinati fuerint, & ab omni errorum suspitione purgati", de Marsilii Patavini, & Joannis Janduni libris, quos exterminari jussit Joannes XXII. apud Raynaldum ad an. 1327. n. 28. seq. t. 24. Annal. p. 347. ed. Lucæ, de aliis hæreticorum, ac de Raymundi Lullii libris, quos Gregorius XI. apud Raynaldum ad an. 1374. n. 12. t. 26. p. 252. & ad an. 1372. n. 35. p. 229. ib., atque apud Natalem Alexandrum Histor. eccl. sæc. 13. & 14. c. 3. art. 20. t. 8. p. 90. ed. Ven. 1776., de scriptis Wiclefi, quæ primum ipse Gregorius XI., deinde Alexander V. exterminari voluit apud Raynaldum ad an. 1409. n. 89. t. 27. p. 305., de erroribus, atque operibus Lutheri, quæ à Leone X. damnata sunt Constit. Exurge Domine 44. p. 487. t. 3. par. 3. Bullar. Romani? Nimius essem, si cetera hujusmodi monumenta recensere scribenda vellem.

(2) Ecclesia, ejusque caput Romanus Pontifex proponere potest modis omnino tribus alienj falsi dogmatis, aut doctrine judicium. Aut enim propositionem generatim damnat, nullo habito respectu ad illum, qui eam protulit, ex. gr. Propos. Christus non habet animam, aut ut prolatam ab aliquo ex. gr. Socino, aut ut aliquo libro comprehensam, ex eoque decerptam, vel simul cum eo damnatam. Primum illud Ecclesiæ judicium errori subesse non posse, inter catholicos omnes constat, quoniam hujusmodi quæstiones juris quæstiones dicuntur, in quibus definiendis Ecclesia errare non potest. Cetera judicia, quæ non ipsam in se doctrinam attingunt, sed ut prolatam ab homine, vel scriptis expressam, vocantur judicia circa quæstiones facti, in quibus non eadem omnium ratio est. Nam quæri potest, num Apollinaris ex. gr., aut alter aliquis certam illam propositionem docuerit, vel certum illud damnatum scriptum exaraverit. Atque hæc quidem facti quæstio dicitur de facto mere personali. Quæri etiam potest, num sensus propositionis, vel libri, quam certo moraliter prolatam, aut quem scriptum ab aliquo constat, ex. gr. Nestorio, Jansenio, quamque, aut quem Ecclesia tamquam hæreticam, hæreticumve damnavit, hæreticus revera sit, prout ab iis Auctoribus explicatur, aut in eorum libris continetur, secundum communem intelligentiam, & verborum significationem. Atque hæc facti quæstio dicitur de facto dogmatico. De facto mere personali minime sollicita est

Ecclesia, quæ suum in eo negotio iudicio minime interponit. Itaque si quis ex. gr. diceret auctorem libri *Augustinus*, qui Jansenii nomine circumfertur, non esse revera Cornelium Jansenium Ipreensem Episcopum, is quidem pugnaret contra omnium fidem, ac testimonium, sed tamen Ecclesie, quæ ea de re minime laborat, decretis non adversaretur. De facto *dogmatico* magna ab Appellantibus, Jansenianis, Quesnellianis controversia excitatur. Nam qui Jansenii propositiones quinque traditas in libro *Augustinus* tamquam catholicas omni ope, & opera defenderant, antequam ex damnarentur, uti ostendunt Du Mas. *Histoir. de 5. Proposit. t. 2.*, & Auctor libri Romæ editi an. 1745., cui titulus *Breve Istoria delle variazioni del Gianesismo*, postquam Jansenii doctrina quinque illis propositionibus comprehensa damnata est, stilum repente verterunt, ac negare coeperunt, errores illos Jansenii libro contineri, hæreticum esse sensum propositionum, uti ex sunt in illo libro descriptæ, Romanum Pontificem, & Ecclesiam in hoc iudicio librorum errare posse, eique silentio obsequi satis esse, licere autem cuivis animo fovere sententiam, quæ magis placeat. Id præsertim Antonius Arnaldus capit contendere; atque hæc celebris est *juris, & facti* distinctio. Hæc, ut verbis utar præclarissimi Fenelonii Cameracensis Archiepiscopi *Doctr. pastor. adv. lib. cas. conscient. an. 1704. p. 7.* "scriptorum infinito prope numero defenditur, Ecclesiam, nihil obstantibus Christi promissis, posse ope divina usque eo destitui, ut & fallatur ipsa, & ipsos fallat, si quando denunciaret, eo, quem legit, textu sententiam hæreticam, hoc est dogmati revelato adversam proprie significari. Adeo doctrina hæc, non offendit animos, ut contra unusquisque sic statuere assuescat, eam, adhibita jus inter, & factum distinctionis beneficio certam, & inexpugnabilem fieri." Defensores hujus tam falsæ, tamque ineptæ sententiæ gravissime exagitat ipse Fenelonius pluribus documentis Pastoralibus editis an. 1704. & 1705. Videantur etiam Jacobus Benignus Bossuetius Episcopus Meldensis *Lettre à la R. M. Abesse, & religieuses de Port Royal n. 1. seq. t. 12. oper. p. 360. seq. ed. Leod. an. 1767.*, Honoratus Tournelyus in *Theolog. tract. de Eccles. par. 2. art. 3. qu. 5. p. 344. ed. Ven. 1765.*, Simonet. *Theolog. tr. 9. de Reg. fid. disp. 9. art. 11.*, Bertius *de Theolog. discipl. l. 17. c. 5. opp. t. 2. p. 100. ed. Ven. 1765.* Præ ceteris autem videndus est Cl. Bolgenius, qui egregio opere Brixie edito an. 1788., cui titulus "Fatti dogmatici ossia della infallibilità della Chiesa nel decidere sulla dottrina buona o cattiva de' libri" totum hoc argumentum copiose, accurateque explicavit. Ceterum distinctionem illam inter jus, & factum, quam in primis Arnaldum defendisse monui, non ipse primus reperit, sed ab Ariani arripuit. Nam Eusebius Nicomediensis, & Theognis Nicænus, ut testatur Socrates *Histor. l. 1. c. 14. p. 42. ed. Valesii Cantabrig. 1720.*, fidei subscripserunt, sed anathemati adversus Arium subscribere noluerunt, negantes eum hæreticum habendum esse. Similiter religiosi silentiū in rebus dogmaticis vestigia sunt apud Nestorianos, qui per illud Alexandrum Episcopum tueri conabantur, quod damnationi Nestorii subscribere noluerat. Sic

enim ipsum excusat Theodoretus *Ep. ad Jo. Antiochenum*, quæ est c. 172. *Synodici adv. Tragediam Irenæi*, extatque apud Baluzium *New. Collect. conc. col. 871. ed. Paris. 1683.*, & apud Labbæum t. 4. *conc. col. 43. ed. Ven.* "Primo quia, quæ docet, sunt orthodoxa, secundo, quoniam silentium servat, Ecclesie pacem in nullo contaminans."

(3) Ecclesiam, ejusque caput Romanum Pontificem in definiendis factis dogmaticis, uti rem paulo ante explicavi, errare non posse, catholicis omnibus plane persuasum est. Nam Christus Ecclesie adest in munere docendi; atqui in facto dogmatico munus est docendi, per quod discimus "formam habere sanorum verborum, custodire depositum fidei, & simul devitare profanas vocum novitates," ut inquit Apostolus *II. ad Timot. I. 13. & 14.*, & *I. ad Timot. VI. 20.* Præterea quomodo Ecclesie pastores pascere gregem poterunt, *exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere*, nisi noxia pascua, quæ vitanda sunt, hoc est pravos libros indicent, deque iis comprehensa doctrina, bona ne, an mala sit, iudicium ferant? Quomodo Ecclesia erit *templum Dei vivi, columna, & firmamentum veritatis*, nisi certo iudicet de doctrina, quam quis aut sermone, aut scripto proponit? Sane de veritate, aut errore alicujus propositionis separatim sumptæ certum, ac falli nescium esse Ecclesie iudicium, inter omnes constat. Atqui ut noscatur, vera ne, & catholica, an falsa, & hæretica sit aliqua propositio, videndum est, quo sensu usurpata fuerit, & hic porro sensus non nisi ex toto sermone, aut libri contextu educi potest. Ita ex. gr. ea propositio *filius Dei est consubstantialis Patri*, tamquam hæretica damnata est adversus Paulum Samosatenum, qui iis verbis utebatur, ut Patrem, ac filium unam solum personam cum Sabellio faceret; contra vero tamquam fidei dogma firmata est adversus Arium, qui filium secundum Divinitatem Patri æqualem esse negabat. Itaque si totus sermone, aut libri contextus præsertim facit, ut aliqua propositio catholica, aut hæretica habeatur, consequens est, ut Ecclesia in expendenda, noscendaque doctrina, quæ aliquo libro comprehensa est, nimirum in definiendo facto dogmatico, errare non possit. Similiter de vero sensu Sacrarum Scripturarum Ecclesia iudicat ex toto contextu, nixa testimoniis Patrum, hoc est sententiis, quæ ex totorum operum contextu educuntur. Adde quod ad factum dogmaticum pertinet decretum Concilii Tridentini *Sess. 4. decr. 2.*, quo vulgata authentica declaratur; ad factum item dogmaticum traditio, quam Ecclesia ex Patrum scriptis educit. Quid dicam de Conciliis œcumenicis, quæ sæpe damnant hæreticorum sententias ex eorum operibus eductas, quæ sæpe legitime congregata, & approbata fuerint, ex facto quærendum est? His accedit consensus Patrum, & constans, atque perpetua Ecclesie disciplina. S. Joannes Chrysostomus œcumenici Concilii auctoritatem appellat, ut sibi exploratum sit, num Origenis doctrina damnari debeat, sicuti scribit Soerates *Histor. l. 6. c. 14. p. 329. ed. Cantabrig. 1720.*, S. Augustinus *de Cathediz. rud. c. 8. opp. tom. 6. col. 270. ed. Ven. 1731.* mittit ad Ecclesie iudicium cupientem scire, qui libri hæretici sint, atque huic iudicio obsistere, quemquam posse negat *de Util.*

croden. cap. 17. tom. 8. col. 69., S. Hieronymus *Ep. ad Pammach.* 84. *opp. tom. 1. col. 522. ed. Veron. cit.* aut subscribendum facto dogmatico de Origenistis, aut de Ecclesia eorum clamor. S. Leo *Ep. I. ad Aquilejen. Episc. c. 1. opp. t. 1. col. 591. ed. Ballerin.* Pelagii discipulos apertis professionibus damnare jubet "superbi erroris auctores, nihilque sit in verbis eorum obscurum, nihil inveniatur ambiguum;" & *ep. 93. ad Synod. Chalced. c. 3. col. 1073. t. 1. ed. cit.*, ait "pertinere ad puritatem fidei, atque doctrinæ damnare hæreses cum suis auctoribus." Confer etiam Gregorium *M. ep. 25. ad Jo. Episc. Constantinopol. l. 1. opp. t. 2. col. 515. ed. Paris. 1705.*, librum diurnum Rom. Pontific. *tit. 9. c. 2. pag. 29. ed. Garnerii Paris. 1680.*, Concilium Turonense II. *can. 20. apud Labbæum t. 6. Conc. col. 541. ed. Ven.*, Lateranense an. 649. sub Martino I. *can. 18. sess. 5. t. 7. col. 363.*, Constantiense *sess. ult. t. 16. col. 760. ejusd. collect.* Eadem Ecclesie disciplinæ ratio est. Porro Concilium Nicanum non tantum errorem Arii condemnavit, sed ejus quoque personam, & librum, quem Thalam inscripserat, ut patet ex *ep. synod. PP. Concilii ad Eccles. Alexand. apud Labbæum Conc. t. 2. col. 259.*, omnesque compulsi ad subscribendum damnationi Theodoretus *Hist. l. 1. c. 8. p. 31. ed. Cantabrig. 1720.*, & Eusebius Nicomedien-sis, ac Theognis Nicanus subscribere nolentes à Concilio sunt depositi, neque restituti, nisi antea probassent omnia, quæ à Patribus decreta fuerant Socrates *Hist. l. 1. c. 8. & 14. p. 22. & 42. ed. Cantabrig.*, quem in locum videndus est Valesius in *Notis*. In Concilio Ephesino tamquam Catholica probata est S. Cyrilli epistola ad Nestorium, ipsius autem Nestorii epistola ad Cyrillum tamquam hæretica ab omnibus damnata est, proscripique sunt Nestorii errores desumpti *ex libris, commentariisque ipsius t. 3. Concil. Act. 1. col. 1007. & 1078.* In Concilio Chalcedonensi probata est epistola S. Leonis *M. Act. 4. t. 4. col. 1382. seq.*, " & qui non subscribit epistolæ, cui omnis sancta synodus consentit, hæreticus est," inquit Concilii Patres *Act. 4. col. 1403.* In Concilio œcumenico V. damnatus est Origenes, ejusque doctrina, & scripta, uti constat *ex can. 11. ejusd. Conc. apud Labbæum t. 6. col. 211.*, & ejus discipuli aut damnationi subscribere, aut de Ecclesia exire coacti sunt, teste Hieronymo *ep. 84. ad Pammach. et Ocean. opp. t. 1. col. 522. cit. ed.* Qua eadem synodo damnata quoque sunt tria capitula, hoc est scripta Theodori Mopsuesteni, ac Theodoretii adversus S. Cyrillum, & epistola Iba Edesseni ad Marim Persam, de quibus magna animorum contentione quærebatur, num in iis Nestorii errores continerentur. Synodus hæc tria capitula damnavit, atque omnes, qui catholici haberi vellent, damnationi subscribere coegit, uti constat ex Facundo Hermianensi *l. 3. c. 1. p. 35. ed. Paris. 1686.*, & S. Gregorio *M. Ep. 2. & 39. l. 4. opp. t. 2. col. 682.*, & 719. *cit. ed. Paris.* Idem adversus Pelagium factum est, uti ostendunt Augustinus *de Peccat. origin. c. 9. opp. t. 10. col. 256.*, & de Gest. Pelag. *c. 6. t. 10. col. 200. ed. cit.*, Innocentius I. *ep. 31. ad 5. Episc. apud Constantium ep. Pontif. Roman. 5. col. 903.*, Leo *M. ep. 1. ad Episc. Aquil.*, & *ep. 2. ad Septim. opp. t. 1. col. 591.*

594. Jure igitur, ac merito catholicis omnibus certum debet esse judicium, quod de Jansenii libro *Augustinus*, deque ejus propositionibus, ac de *Moralibus observationibus* Quesnelli latum est ab Innocentio X. *Const. Cum occasione* 167. *Bullar. Roman. t. 6. part. 3. p. 248.*, Alexandro VII. *Const. Ad sanctam* 136. *t. 6. part. 4. p. 150.*, Clemente XI. *Const. Vincam Domini* 16. *et Const. Unigenitus t. 10. p. 145. et 340.* De qua quidem *Constitutione Unigenitus* perlegendæ sunt egregiæ literæ, quas Summus Pontifex PIUS VI. die 13. Septembris an. 1781. dedit ad Episcopum Brixinensem, quibus sane litteris Pontifex Sapientissimus pro ea, qua præstat, singulari, exquisitaque doctrina, flagrantique studio, quo ardet, custodiendæ, propugnandæ, propagandæ catholicæ religionis invitate, ac perspicue demonstravit, *Constitutionem Unigenitus* irreformabile Sedis Apostolicæ judicium continere. Idque etiam antea definiverant Patres omnino centum in Concilio Romano Benedicto XIII. Pontifice congregati, qui in authentico decreto *tit. 1. c. 2.* Constitutionem ipsam *fidei regulam* agnoscunt, atque *ab omnibus cujuscumque conditionis, & gradus, omnimoda, ac debita obedientia, & executione* observari volunt. Judicium idem plus semel dedit Sac. Facultas Parisiensis, præsertim die 15. Decembris an. 1729., cum declaravit, eam se Constitutionem amplecti *tamquam dogmaticum Ecclesie universalis judicium*, & idem etiam à Parisiensibus Episcoporum comitiis an. 1755. latum est. Cum enim inter Episcopos orta esset controversia de Eucharistia illis deneganda, qui Bullæ *Unigenitus* adversarentur, factum est inter eos divortium sententiarum; neque tamen ex Episcopis ullus fuit, qui Bullam *Unigenitus* tamquam dogmaticum universalis Ecclesie decretum non prædicaret. Nam qui sententiam unam sequebantur ita inquirunt in *1. et 2. artic.* "Cum igitur accesserit Ecclesie consensus, decretum illud vocatur tum judicium dogmaticum, & irreformabile Ecclesie universalis, tum judicium ejusdem ad doctrinam pertinens. Huic judicio debetur sincerum, mentis & cordis obsequium. Qui contra illud obsequium peccant, peccant in materia gravi." Qui vero in alteram sententiam descenderunt in *1. artic.* dicunt hæc: "Constitutio Clementis XI., quæ incipit *Unigenitus*, Dei filius dogmaticum est, & irreformabile Ecclesie judicium, cui sincerum mentis, & cordis obsequium sine peccato mortali denegari non potest. Vide Lettre circulaire de l'Assemblée générale du Clergé aux Archevêques, & évêques de France an. 1755. p. 2. & 4." Neque omittenda est recentior, eaque luculentissima Cleri Gallicani declaratio edita in Comitibus an. 1765. quæ extat in *Act. ejusd. an. p. 46.*, atque his est concepta verbis: "Eas ob causas agnoscunt, ut nos semper agnovimus, Constitutionem *Unigenitus* tamquam judicium dogmaticum Universalis Ecclesie, aut (quod eodem recidit) tamquam judicium irreformabile hujus ipsius Ecclesie in materia doctrinæ, cui judicio debemus, quam illa exigat, sinceram cordis, & spiritus submissionem." Confer VV. CCI. Zacchariam *Anti-Febron. vind. par. 2. Dissert. 5. cap. 6.*, & Laurentium Veith *de Gemin. delet. sect. 2. art. 2. §. 20. n. 69. seq.*, à quibus & alia plura ejusdem rei monumenta describuntur.

(4) Cum Ecclesia propositiones aliquas, uti hæreticas, aut etiam erroneas, vel temerarias, scandalosas &c., sive speciatim, sive generatim, & *in globo* damnat, judicia hæc vere dogmatica sunt, atque omnibus certum esse debet, nullam esse ex iis notam, quæ non merito in illas propositiones cadat; præterea si agatur de censura generali, & *in globo*, nullam esse ex damnatis propositionibus, quæ non aliqua ex enumeratis notis digna sit. Secus neque dogmaticum esset decretum Concilii Constantiensis *Sess. 45.* contra articulos Wiclefii, & Hussi, neque dogmatica Bulla Leonis X. contra articulos Lutheri, nec Constitutio S. Pii contra Bajum, neque item dogmaticarum rerum loco habenda essent, quæ ab Innocentio XI. contra Michaellem Molinos, ab Innocentio XII. in propositiones 23. excerptas ex libro, cui titulus *Les maximes des Saints &c.* sancita sunt. Cuncta hæc decreta, & constitutiones propositiones *in globo* damnant; & tamen cuncta catholicis omnibus dogmatica sunt. Ac Martinus V. in Bulla, qua Constantiense Concilium approbavit, expresse decrevit, ut *specialiter litteratus* (si de hæresi sit suspectus) inter cetera "interrogetur, utrum credat, sententiam sacri Constantiensis Concilii supra quadraginta, quinque Joannis Wiclef, & Joannis Hus triginta articulis superius descriptis latam fore veram, & catholicam, scilicet quod quadraginta quinque articuli Joannis Wiclef, & Joannis Hus triginta non sunt catholici, sed quidam, ex eis sunt notorie hæretici; quidam erronei, alii temerarii, & perniciosi, alii piarum aurium offensivi." Atque hæc quidem plurium propositionum condemnatio *in globo* recte, & sapienter emittitur, ne qua illarum defendatur, aut animo retineatur, licet non singulæ eandem censuram mereantur, eo fere modo, quo prudens medicus ægroto sapienter vetat, ne ulla utatur ex dapibus, quæ in opiparo convivio paratæ sunt, quoniam omnes ægroto sunt noxiæ, licet medicus non definiat, quomodo singulæ, aut quæ plus minusve noceant. Confer Pallavicinium *Histor. Conc. Trident. l. 1. c. 21.*, Tournelyum *Prælect. theolog. de censur. art. 1. t. 3.*, ubi multa habes ea de re testimonia. Sunt qui has condemnationes generales, & *in globo* recentioris disciplinæ esse putant; at idipsum satis esse deberet homini Catholico, ut hanc Ecclesiæ disciplinam eo, quo decet, obsequio veneretur. Verum falsum est, quod illi ajunt. Sane cum in Concilio Nicæno damnata sunt Arii scripta, ac nominatim ejus Thalia, non eodem prorsus loco habita sunt omnia, quæ iisdem scriptis continebantur. Cum Origenis opera Alexandria à Theophilo damnata fuerunt, ac vetita eorum lectio à S. Epiphanio Cypri, à S. Anastasio P. Romæ, an quidquid Origenes scripserat pari modo improbatum est? Cum in Concilio V. œcumenico tria capitula damnata fuerunt, an omnia, quæ epistola Ibæ Edesseni ad Marim Persam, atque scripta Theodori Mopsuesteni, ac Theodoretæ adversus S. Cyrillum comprehendebant, similibus infecta erroribus, & pari digna nota judicata sunt? In eodem Concilio damnatæ fuerunt litteræ Honorii ad Sergium, & Pirri Constantinopolitani ad Joannem IV. P., quis credat, damnatum, proscriptumque similiter fuisse quidquid duabus illis litteris scriptum fuerat?

§. VII. Summus Pontifex libros damnat, quos noxios

esse deprehendit, aut per Breve, Bullamve suam, aut per Congregationes Indicis (1), Sacræ Inquisitionis; olim etiam per S. P. Apostolici Magistrum interdum pravi libri damnabantur. Ab his quoque Congregationibus vetitorum lectio librorum iis permittitur (2), qui nihil ex ea detrimenti capere possunt. Improbantur autem libri, postquam à doctis viris cogniti, expensique diligentissime sunt, neque eadem est omnium improbandorum ratio. Sunt enim qui plus religioni, bonisve moribus adversantur, atque horum magis fugienda lectio est; alii sunt, qui ita scatent erroribus, ut non modo legi, sed ne castigari quidem possint, & alii, quorum est improbata lectio, donec corrigantur (3).

(1) Primus Paulus IV. Sac. Inquisitionis Congregationi negotium commisit, ut vetitorum librorum indicem conficiendum curaret. Re perfecta adhuc Tridentini Patres ea de re in Concilio agendum putarunt, cum inventa arte typographica facile ubique divulgaretur hæreticorum libri, qui ne ad fidelium manus pervenirent, diligentissime cavendum erat. Sed ne Concilii Patres sua auctoritate opus susciperent, quod jam Sedes Apostolica absolvendum curaverat, impetratæ sunt litteræ à Summo Pontifice, qui eos ad hoc opus hortaretur. Re quæsita, & expensa diligenter, uti narrat Cardinalis Pallavicinus *Histor. Conc. Trident. l. 15. c. 19.* denique à doctis viris quos Tridentina Synodus elegerat absolutus est index, missusque ad Pium IV. Pontificem, qui eum ipse expendit; atque aperitis viris expendi jussit, ac denique indicem ipsum edidit, cumque speciali Bulla die 34. Martii anni 1564. confirmavit. Mortuo Pio IV. Summus Pontifex renunciatus est S. Pius V., qui Sac. Indicis Congregationem instituit, cujus esse voluit vetitorum librorum indicem conficere, & curare, atque ita fungi munere, quod pridem Tridentini Concilii Patribus commissum fuerat. Errant enim, qui Indicis Congregationem primum à Sixto V. institutam putant, uti ostendit Roellius *Saggio dell' istoria dell' Indice Romano de' Libri proibiti.* Atque hujus quidem Congregationis, quæ constat ex Cardinalibus, pluribusque viris doctis, est curare indicem librorum vetitorum, qui ejus jussu in lucem emittitur, quique post annos, cum ei novis interdictis plures factæ sunt accessiones, renovari solet. Anno superiori nova Indicis librorum prohibitorum editio perfecta est jussu optimi sapientissimique Pontificis Pii VI., cujus in Religionis, morumque integritatem singulare studium, ac magnæ, præclaræque in omni genere virtutes sunt, quas nulla unquam obscuravit oblivio.

(2) Hodie Sac. Inquisitionis Congregatio libros permittit, quorum lectio difficilior conceditur, quales sunt hæreticorum de religione agentium libri, Sac. Indicis Congregatio veniam tribuit legendi libros, in quibus levius inest periculum. Certi quidam libri pro Urbe Roma etiam à

P. Magistro S. P. Apostolici permittuntur.

(3) S. Eusebius Vercellensis, uti testatur S. Hieronymus *Ep. 61. opp. t. 1. col. 346. ed. cit.*, "omnium psalmodia commentarios hæretici, hominis vertit in nostram eloquium licet hæretica prætermittens, optima, quæque transtulerit." Ipse Hieronymus eandem hanc methodum in quibusdam Origenis libris adhibuit, uti ipse testatur *Contr. Ruffinum l. 2. n. 12. col. 542. opp. t. 2.* Quantos in hoc eodem opere labores exantlarit Cassiodorus, ignorat nemo, idque Cassiodorus ipse confirmat *de Institut. divin. Litter. l. unic. c. 1. p. 540 ed. Rotomag. 1679.* Præclara hæc exempla sunt, quæ os obsturare deberent maledicis vituperatoribus Sedis Apostolicæ, quæ similiter emendari jubet libros, in quibus, mali aliquid inesse deprehendit; & qui hos libros ita emendatos legent merito in Romanos Correctores usurpare poterunt ea Hieronymi verba *ep. 84. t. 1. col. 525. ed. cit.* "cum hæc rejeceritis, & quasi censoria virgula separaveritis à fide Ecclesiæ, tuto legam cetera, nec venena jam timebo, cum antilotum præbitero." Late in hoc toto argumento versatur Zaccaria *cit. libro Storia polemica delle proibizioni de' libri*, ubi etiam *Dissert. 3.* ab hæreticorum calumniis solide vindicat Sedem Apostolicam, cujus in vetandis libris plena sapientiæ, prudentiæ, æquitatis ratio est.

TITULUS VIII.

De Hæreticæ pravitatis inquisitoribus.

- | | |
|--|--|
| I. Fidei, morumque integritas custodienda diligenter est. | VII. X. Vindicatur Tribunal Inquisitionis. |
| II. Ejus rei curandæ causa Tribunal Inquisitionis institutum est. | XI. Omnes hæreses deferre, & hæreticos accusare debent. |
| III. Hujus origo. | XII. Etiam infames testimonium dicere, atque accusare possunt. |
| IV. Congregatio Inquisitionis Romæ, cui præest Summus Pontifex. | XIII. Juramentum de observando secreto. |
| V. Ad eam graviora ex toto christiano orbe negotia referenda. | XIV. Summa æquitas, ac diligentia judicii. |
| VI. Inquisitoris munus nihil detrahit Episcopi officio, & potestati. | XV. & XVI. Contra quos judicet Tribunal Inquisitionis. |

§. I.

Non satis fidei, morumque integritati consultum videretur, si tantum esset exclusa societas illorum, qui à catholica veritate discrepant, amotique illorum libri à ma-

nibus catholicorum; nisi etiam essent magistratus, qui in fidei corruptores inquirerent, pœnisque coercerent, & ea statim removerent mala, quæ universæ societati detrimentum inferre possunt. In omni bene constituta republica suprema lex est ejus salus, & incolumitas, eamque curare maximum est officium ejus, qui reipublicæ præest. An non etiam incolumitas, salusque ecclesiasticæ reipublicæ, quæ præsertim in fidei, morumque integritate posita est, custodienda erit diligenter, eaque cura, & sollicitudo ad eum pertinebit, qui huic reipublicæ præpositus est?

§. II. Ergo Summus Pontifex, cui tota commissa est Catholica Ecclesia, curare in primis debet, ut integra sit fides, ut errores removeantur, ut inquiratur in eos, qui fidem corrumpunt, statumque ecclesiasticæ reipublicæ pervertunt. Hæc causa fuit instituendi tribunal, quod Inquisitionis vocatur, quoniam ejus est inquirere in errores, qui contaminare animos catholicorum possunt, eosque à salutaribus doctrinæ pascuis abducere. Initio unusquisque Episcopus in diœcesi sua, vel plures Episcopi in provinciali Concilio congregati in eos, qui in diœcesi, aut provincia orirentur, errores inquirebant (1); semper tamen graviora negotia ad Sedem Apostolicam referebantur, atque ita Episcopus, vel Concilium provinciale ad exitum perducendum curabat, quod à Sede Apostolica decretum fuerat (2).

(1) Vide Dadinum Altaserra *de Jurisd. Eccl. l. 4. c. 3.*, & Bianchium *Dell' esterior polizia della Chiesa t. 3. c. 3. §. 10. n. 2. & 3.*

(2) Confer quæ dixi in *Prolegomenis §. 35.*, & in *not. t. 1. p. 30. & seq.*, & *l. 3. tit. 4. §. 8. & in not. 1. p. 55. seq.*

§. III. Lapsu temporum, cum gravius malum urgere videretur, oportuit Summos Pontifices in eas regiones, in quibus hæresis longe, lateque serpebat, Legatos mittere, qui suam Episcopis opem adjungerent, ut ita facilius perditorum hominum audacia coerceri, & Christiani deterri à peregrinis, pravisque doctrinis possent (1). Sed cum novi quotidie errores erumperent, & numerus augetur hæreticorum, Legati autem neque semper præsentibus es-

P. Magistro S. P. Apostolici permittuntur.

(3) S. Eusebius Vercellensis, uti testatur S. Hieronymus *Ep.* 61. *opp. t. 1. col. 346. ed. cit.*, "omnium psalmodia commentarios hæretici, hominis vertit in nostram eloquium licet hæretica prætermittens, optima, quæque transtulerit." Ipse Hieronymus eandem hanc methodum in quibusdam Origenis libris adhibuit, uti ipse testatur *Contr. Ruffinum l. 2. n. 12. col. 542. opp. t. 2.* Quantos in hoc eodem opere labores exantlarit Cassiodorus, ignorat nemo, idque Cassiodorus ipse confirmat *de Institut. divin. Litter. l. unic. c. 1. p. 540 ed. Rotomag. 1679.* Præclara hæc exempla sunt, quæ os obsturare deberent maledicis vituperatoribus Sedis Apostolicæ, quæ similiter emendari jubet libros, in quibus, mali aliquid inesse deprehendit; & qui hos libros ita emendatos legent merito in Romanos Correctores usurpare poterunt ea Hieronymi verba *ep. 84. t. 1. col. 525. ed. cit.* "cum hæc rejeceritis, & quasi censoria virgula separaveritis à fide Ecclesiæ, tuto legam cetera, nec venena jam timebo, cum antilotum præbitero." Late in hoc toto argumento versatur Zaccaria *cit. libro Storia polemica delle proibizioni de' libri*, ubi etiam *Dissert. 3.* ab hæreticorum calumniis solide vindicat Sedem Apostolicam, cujus in vetandis libris plena sapientiæ, prudentiæ, æquitatis ratio est.

TITULUS VIII.

De Hæreticæ pravitatis inquisitoribus.

- | | |
|--|--|
| I. Fidei, morumque integritas custodienda diligenter est. | VII. X. Vindicatur Tribunal Inquisitionis. |
| II. Ejus rei curandæ causa Tribunal Inquisitionis institutum est. | XI. Omnes hæreses deferre, & hæreticos accusare debent. |
| III. Hujus origo. | XII. Etiam infames testimonium dicere, atque accusare possunt. |
| IV. Congregatio Inquisitionis Romæ, cui præest Summus Pontifex. | XIII. Juramentum de observando secreto. |
| V. Ad eam graviora ex toto christiano orbe negotia referenda. | XIV. Summa æquitas, ac diligentia judicii. |
| VI. Inquisitoris munus nihil detrahit Episcopi officio, & potestati. | XV. & XVI. Contra quos judicet Tribunal Inquisitionis. |

§. I.

Non satis fidei, morumque integritati consultum videretur, si tantum esset exclusa societas illorum, qui à catholica veritate discrepant, amotique illorum libri à ma-

nibus catholicorum; nisi etiam essent magistratus, qui in fidei corruptores inquirerent, pœnisque coercerent, & ea statim removerent mala, quæ universæ societati detrimentum inferre possunt. In omni bene constituta republica suprema lex est ejus salus, & incolumitas, eamque curare maximum est officium ejus, qui reipublicæ præest. An non etiam incolumitas, salusque ecclesiasticæ reipublicæ, quæ præsertim in fidei, morumque integritate posita est, custodienda erit diligenter, eaque cura, & sollicitudo ad eum pertinebit, qui huic reipublicæ præpositus est?

§. II. Ergo Summus Pontifex, cui tota commissa est Catholica Ecclesia, curare in primis debet, ut integra sit fides, ut errores removeantur, ut inquiretur in eos, qui fidem corrumpunt, statumque ecclesiasticæ reipublicæ pervertunt. Hæc causa fuit instituendi tribunal, quod Inquisitionis vocatur, quoniam ejus est inquirere in errores, qui contaminare animos catholicorum possunt, eosque à salutaribus doctrinæ pascuis abducere. Initio unusquisque Episcopus in diocesi sua, vel plures Episcopi in provinciali Concilio congregati in eos, qui in diocesi, aut provincia orirentur, errores inquirebant (1); semper tamen graviora negotia ad Sedem Apostolicam referebantur, atque ita Episcopus, vel Concilium provinciale ad exitum perducendum curabat, quod à Sede Apostolica decretum fuerat (2).

(1) Vide Dadinum Altaserra *de Jurisd. Eccl. l. 4. c. 3.*, & Bianchium *Dell' esterior polizia della Chiesa t. 3. c. 3. §. 10. n. 2. & 3.*

(2) Confer quæ dixi in *Prolegomenis §. 35.*, & in *not. t. 1. p. 30. & seq.*, & *l. 3. tit. 4. §. 8. & in not. 1. p. 55. seq.*

§. III. Lapsu temporum, cum gravius malum urgere videretur, oportuit Summos Pontifices in eas regiones, in quibus hæresis longe, lateque serpebat, Legatos mittere, qui suam Episcopis opem adjungerent, ut ita facilius perditorum hominum audacia coerceri, & Christiani deterri à peregrinis, pravisque doctrinis possent (1). Sed cum novi quotidie errores erumperent, & numerus augetur hæreticorum, Legati autem neque semper præsentibus es-

sent, neque semper satis aptum malo remedium adhiberent, visum est perpetuos instituere magistratus, qui semper praesentes essent, ac semper in unaquaque regione ad fidei integritatem animum intenderent, erroresque omnes vix natos comprimerent, & repellerent (1). Ita instituti sunt Inquisitores; nimirum probatae pietatis, & doctrinae, viri praesertim ex Dominicanorum (3), aut Franciscanorum familia, qui vicaria funguntur opera Sedis Apostolicae in avertendis, tollendisque erroribus, atque in fide integra, & incolumi conservanda.

(1) Innocentium III. ante exitum saeculi XII., hoc est anno 1198. Raynerium, & Guidonem in Narbonensem provinciam ad retundendos haereticos Legatos misisse constat *ex ejus ep. 122. et 123. l. 2. t. 2. ed. Baluzii p. 420.* Quam autem ob causam hujusmodi homines cum delegata auctoritate in regiones mitteret Sedes Apostolica, ut socii acciderent Episcopis, qui ordinaria auctoritate poterantur, ostendunt Innocentii III. litterae ad Cistercienses apud Manriquesium *Annual. Cisterciens. t. 3. p. 420. et seq.*; quibus quidem consonant historiarum monumenta.

(2) Quantum boni attulerit, & mali averterit institutio quaesitorum fidei, competum omnibus est. Nam eorum cura, & diligentia factum est, ut sensim post annum 1300. decreverit in Italia cumprimis seclarum pestilentia, neque ulla amplius aut nova, aut vetusta haereticis apud Italos radices egerit, uti observat Muratorius *Antiq. Italic. Dissert. 60.* Mirum hinc videri non debet, quod hoc tribunal adeo, sit invisum haereticis, quorum errores, & audaciam comprimit. Vide Richium *in Ven. Monetam Diss. 1. c. 7. §. 5. seq. p. XXXI. ed. Romae 1743.*

(3) Qui primus Inquisitor fuerit à Summo Pontifice constitutus, incertum, controversumque est. Alii cum Manriquesio *Cisterciensium Annualium* Scriptore manus hoc commissum fuisse primum existimant monachis quibusdam ejus Ordinis, praesertim vero Arnaldo, B. Petro de Castronovo, & Rodulfo *an. 1204.* Innocentii III. auctoritate. Contra alii sunt, qui cum Jacobo Echardo *de Script. Ord. Praedic. t. 1. p. 88. ed. Paris. 1719.* tantum à Gregorio IX. an. 1231. munus, & nomen Inquisitoris institutum, ac primum ad Fratres Ord. Praed. delatum fuisse arbitrantur. Bollandiani litam hoc modo dirimere voluerunt, ajentes nimirum, veriore esse Echardi sententiam si de nomine ipso Inquisitoris quaeratur, contra vero si quaestio sit de potestate inquirendi in haereticos in qua totum est positum officium, ac dignitas Inquisitoris, dubitari non posse, quin primum Cistercienses, posteaque S. Dominicus eo numero functi sint. Verum eruditi *Annalium Ord. Praed. Scriptores ad ann. 1207. n. 19. seq.* certamen integrarunt defendentes, primum Inquisito-

rem fuisse S. Dominicum, laudantque testimonium Petri Cali nobilis, ac vetusti scriptoris, graviterque, & copiose contraria argumenta refutanda susceperunt. Meum non est in hac tanta, quae inter doctissimos viros agitur, controversia judicium interponere. Hoc tantum dicam, non satis exploratum videri, quod propter haeresim Albigensium Inquisitionis Tribunal primum constitutum, quale nunc est, ac plane firmatum fuerit. Res fere, ut in ceteris evenire solet, à quibusdam veluti rudimentis profecta denique omnino stabilita, absolutaque est. Itaque jam ab anno 1227. Conrado Marpurgensi ex Ord. Praed. à Gregorio IX. munus Inquisitoris ad capiendos, condemnandos, ac postremo judici saeculari tradendos haereticos commissum fuit, uti patet ex Bullario Ord. Praed. t. 1. p. 20. *Const. 7.* Eodem anno Joanni Salernitano ex Ord. Praed. officium inquirendi in haereticos datum est, uti patet ex Bulla Gregorii IX. *apud Annal. Ord. Praed. p. 203. in Not.,* deincepsque annis consequentibus in pluribus regionibus Inquisitio constituta est, qua de re videndi sunt laudati *Annales Ord. Praed. p. 20. 37. 38. 45. 47., Spondanus ad an. 1228. n. 11. t. 1. p. 101. et ann. 1234. n. 3. p. 116. et ann. 1256. n. 17. p. 200. ed. Lugdun. 1678., Paramus de Orig. Inquisit. l. 2. t. 2. c. 2. n. 7. et seq. et c. 51. n. 10., Albitius Risposta all' istoria dell' Inquisitione pluribus locis.* Qui his Tribunalibus per totum orbem diffusis praepositi erant in gravioribus quibusque negotiis aut litteras dabant ad Summum Pontificem, aut ad eum veniebant, ut ejus consilio, & auctoritate rem omnem expedirent. Lidet enim initio nondum ea, quae nunc est, Supremae Inquisitionis Congregatio instituta esset, tamen aut ipse Pontifex rebus praerant auctoritate, & judicio suo, aut Cardinalem aliquem eligebat, qui rerum omnium curam gereret. Ita Urbanus IV. an. 1263. Cardinalem S. Nicolai in carcere Tulliano generalem Inquisitorem constituit, ut ex vetusto Bononiensi authographo deprehendit Pegna *in Direct. inquis. par. 3. comm. 11.;* similiter Nicolaus III. Cardinalem Latinum Ursinum consanguineum suum, Clemens IV. Cardinalem Guillelmum Tholosanum Inquisitorem creavit, ut testatur Paramus *Decret. inquisit. t. 2. c. 2. n. 11.,* atque id quidem à ceteris quoque Summis Pontificibus factum fuisse, credibile est. Decessorum suorum consuetudinem sequutus Paulus III., & Inquisitionis utilitati consulens an. 1542. edita Constitutione *Licet ab initio 41. in Bullar. Rom. t. 4. par. 1. p. 211,* sex Cardinales elegit, qui in universa christiana Republica super negotiis fidei Commissarii essent, ac generales Inquisitores, atque hunc Cardinalium coetum, seu Congregationem praesesse voluit ceteris Tribunalibus ea de re institutis, ad eamque ardua quaeque referri, ut ita singula membra cum suo unitatis centro copularentur. Quam Pauli constitutionem PIUS IV. & V. confirmarunt, quorum alter duos addidit Cardinales, idque deinceps SIXTO V. probatum est in *Const. Immensa 118. Bullar. Roman. t. 4. par. 4. p. 392.* Atque hi sunt octo Cardinales, qui Praeside ipso Romano Pontifice, ac pluribus spectatae fidei, & doctrinae ministris stipati Congregationem consociunt, quam

S. Officii, aut Supremæ Inquisitionis vocamus, & cujus munera, partesque describit Cardinalis de Luca in *Relat. Cur. Roman.*

§. IV. Sed ut his Inquisitoribus in re tam gravi, qualis est integritas fidei, ea sit copulatio, conjunctioque animorum, ac sententiarum, quæ cum Sede Apostolica, centroque unitatis esse debet, Romæ à Summis Pontificibus institutus est cœtus, seu Congregatio Cardinalium, cui ipse Pontifex præest, & quæ præter ministros, plures habet consultores spectatæ integritatis, atque doctrinæ, quorum opera, atque consilio utuntur Cardinales, ut enucleatius, & diligentius difficiliora quæque expediantur. Hæc Congregatio præest omnibus Inquisitoribus, qui per totum orbem diffusi sunt, atque ad eam cuncti deferunt difficiliora quæque negotia, ut ejus auctoritate, & judicio finiantur. Quod recte, atque sapienter constitutum est, cohæretque munerii, & Potestati Summi Pontificis.

§. V. Nam eum esse unitatis centrum, & caput Ecclesiæ, eique à Christo Domino datam fuisse Christianos omnes pasceendi, docendi, regendi gubernandi plenam (1) potestatem; & ad Romanam Ecclesiam propter potiorem principalitatem Ecclesias omnes convenire oportere (2), inter catholicos constat. Quare in unum commune centrum convenire debent ii, ad quos in singulis regionibus fidei custodia pertinet, & quorum est errores in fidem avertere.

(1) Joannes XXV. 15. Synodus Florentina in *Definit. t. 18. Concil. col. 126. collect. Labbxi.*

(2) S. Irenæus l. 3. contra *Hæres. c. 3. t. 1. ed. Ven. p. 175.*

§. VI. Haud tamen Inquisitoris munus quidquam detrahit, Episcopi officio, & potestati. Nam ejus in primis est curam gerere particularis Ecclesiæ, quam regendam accepit. Ergo & ipse fidei integritati consulere debet, atque in errores inquirere, & dare operam diligenter, ne quis è populo sibi commisso à vera, & catholice Ecclesiæ probata doctrina abducatur. Officium hoc, & hæc potestas Episcopo non adimitur per Inquisitores (1), sed hi instituti sunt, ut ei opem ferant, ut quas ipse neglexit, partes expleant, ut pluribus subjecta oculis tutior sit in-

tegritas fidei, ut qui unam particularem, & qui totam universalem Ecclesiam regit simul collatis consiliis, & opibus custodiant Religionem, qua nihil Christiano homini antiquius esse debet.

(1) Illud in primis Episcopi est curare diligenter, ne qui contra orthodoxam doctrinam in diocesim irrepit error, quod diserte scripsit Apostolus I. ad *Timoth. c. 3. & ad Titum c. 1.* Itaque nemo dubitat, quin præsertim ad Episcopum pertineat in hæreticos inquirere, atque in eos, qui obfirmato animo in errore perseverant, meritis poenis animadvertere. Hoc Episcopi officium expressit Auctor epistolæ ad *Episc. Gal. atque Hispan.* Apud Labbæum *Concil. t. 1. col. 745. ed. Ven.*, quæ Lucii P. nomen præsert, revera tamen alium habet auctorem, uti ostendit Berardus *Gratiani canones genuini &c. par. 2. c. 20.* Idem statuit Concilium Remense an. 625., vel 630. *Can. 4.* apud Labbæum *tom. 6. Concil. col. 1433.*; ac ne multis utar in re satis nota, Concilium Lateranense IV. c. 3. apud eundem Labbæum t. 13. col. 938. decrevit, ut Episcopi singulis annis vel per se, vel per Archidiaconos diocesim lustrent, quarantque diligenter, num in ea latitet aliquis hæretica contagione infectus; qui vero hoc officium neglexerint tamquam gravioris flagitii rei, ac minus digni Episcopatu è gradu deiciuntur. Lapsu temporum à Sede Apostolica institutum est Tribunal Inquisitionis, sed non ideo Episcopi soluti sunt onere, aut iis adempta facultas est in hæreticos inquirendi, sicuti declaravit Bonifacius VIII in c. 17. de *hæret. in 6.* Nam quivis Episcopus omni ope, & opera eniti debet, ut pestis hæreseos à sua diocesi arceatur, idque unum cavere, ut ubi sunt fidei Quæitores ab Apostolica Sede constituti, nullum ipsis impedimentum interat, quominus suum munus exercere possint, sed pari studio, & animorum consentione uterque debet in tam salutare opus, incumbere, servata lege, quæ datur in *cit. c. 17. & in Clement. 1. eod. tit. & in Extravag. 1. de Hæret. int. commun.* Porro tam Inquisitor, quam Episcopus potest resipiscenti hæretico aut ad se sponte venienti, aut ad suum forum adducto veniam attribuere, & pro utroque foro laxare censuram in quam propter hæresim incidit: & potest etiam eundem hæreticum, postquam suos ejuravit errores, mittere ad simplicem Confessarium, à quo in foro poenitentiae absolvatur, quæ absolutio etiam in foro externo prodest. Id ostendit Benedictus XIV. de *Synod. diocæs. l. 9. c. 4. n. 3.*, qui deinceps *num. 5. seq.* illam expendit controversiam, num Episcopus in foro poenitentiae absolvere possit reum hæreseos externæ occultæ, quæ nondum ad ejus forum delata est.

§. VII. Fuere semper, & nunc sunt, qui Tribunal Inquisitionis ægre ferant. Nam iis, quibus nulla, aut erroribus infuscata religio est, qui libere genio indulgere cu-

piunt, vitæque licentia delectantur, nonnisi grave, & molestum esse potest tribunal, quod religionem, ejusque sanctitatem, integritatemque custodit, quod errores avertit, quod improbam licentiam coercet (1). Atque hi crudelitatis accusant Inquisitionem, quasi plures ejus jussu dirum in modum necati fuerint. Verum ab iudicibus sæculi ex legibus Principum, non à ministris sacrorum reis hæreseos supplicium fuit constitutum (2). Quod quidem merito factum est, tum ut Principes tueantur religionem, quam imperio potiore habere debent, tum ut comprimant audaciam eorum, qui in civili republica turbas excitant, ejusque statum pervertunt.

(1) Mitto generatim hæreticos omnes, quorum in tribunal Inquisitionis magnæ sunt; semperque erunt querelæ, atque calumniæ, & his quidem non parcunt etiam aliqui, qui se catholicos profitentur. Præsertim vero ægre ferunt, atque reprehendunt Tribunal Inquisitionis Voltairius, Rousseus, Bullangerus, Sarpus, Giannonius, Montesquieu, *Esprit de loix* liv. 25. chap. 15. & liv. 26. chap. 11. Auctor libelli, cui titulus *Le manuel des Inquisiteurs*, Scriptores Encyclopediæ verb. *Inquisition*, Cavallarius *Inst. Can. par. 3. c. 13.*, Eybelius libello *Quid est Papa?* quem postremum contra tribunal Inquisitionis impudenter garrientem gravissime exagitat Cl. Mamachus *ep. 3. §. 22. t. 1. p. 304. & seq.*

(2) Concilium Lateranense *can. 3. t. 13. Concil. col. 926. Collect. Labbæi*; "Damnati, inquit, hæretici sæcularibus potestatibus, aut eorum, balivis relinquuntur animadversione debita puniendi." Eodemque recidit, quod à Gregorio IX. contra Patarenos constitutum est, *t. 7. Concil. p. 163. Collect. Harduini*. Leges autem Imperatorum, quibus contra hæreticos capitales pœnæ indicuntur; multæ sunt, & huc porro spectant leges Constantini M. apud Socratem *Hist. l. 1. c. 9. p. 31.* & Sozomenum *l. 1. c. 21. p. 40. cit. ed. Cantabrig.*, Theodosii M. quæ est *l. 9. cod. Theod. de hæret.*, Arcadii quæ est *l. 34. cod. eod. Theodosii Jun. p. 3. Actor. Synod. Ephesinæ, t. 3. Concil. col. 1603. Collect. Labbæi, Marciani par. 3. Actor. Synod. Chalced. c. 6. t. 4. col. 1786.* Istis quidem legibus contra hæreticos, eorumque fautores capitales pœnæ constituuntur. Erunt igitur crudelitatis accusandi Imperatores, quæ leges illas tulerunt, & quorum omnium historiæ monumentis celebrate pietas, mansuetudoque est: sed nulla hujusmodi accusatio cadere potest in Inquisitores, qui nunquam tale aliquid commiserunt. Quod de ceteris pœnis, nimirum de gravissimis jejuniis, de flagellationibus, de aliquot precum formulis ad recitandum propositis jactant Limborchius homo de Remonstrantium secta *Histor. Inquisit. l. 1. c. 10. p. 40. ed. Amstelæd. 1602.*, aliique similes, id certe nihil immanitatis habet. Sunt

enim omnia multo leviora iis, quæ prioribus, Ecclesiæ sæculis ob multo minora crimina poenitentibus imponi consueverunt: neque aliquis qui recte sentiat, immanes, dirosque prædicet antiquos Patres, qui eas poenas constituerunt. Quod si etiam interdum alicui videatur paulo severius actum ab Inquisitoribus, id quidem pietati, curandæque communis salutis sollicitudini, non crudelitati tribuendum est S. Augustinus *ep. 91. ad Sixtum E. R. Præsbyterum in sine opp. t. 2. col. 709. ed. Ven. 1729.* "Profuit diu ista distinctio, inquit S. Leo M. *ep. 15. ad Turricium Asturicem. præf. col. 696. t. 1. opp. ed. Ballerin. Ven. 1753.* Ecclesiasticæ lenitati, quæ etsi sacerdotali contenta iudicio, cruentas re, fugit ultiones, severis tamen Christianorum Principum constitutionibus, adjuvatur, dum ad spirituale nonnumquam recurrunt remedium, qui, tinent corporale supplicium. . . Ex quo autem inter Sacerdotes Dei, difficiles comiteas, & rari coeperunt esse conventus, invenit ob publicam perturbationem secreta perfidia libertatem, & ad multarum, mentium subversionem his malis est incitata, quibus debuit esse correcta." Ac Synodus incerti loci in Gallia habita anno circiter 860. *t. 5. Concil. p. 672. Collect. Harduini.* "Lege, inquit, l. 16. Legis Romanæ, lege decreta Damasi, percurre Leonis epistolæ, & ceterorum Pontificum, cum de diversis Conciliis ad Imperatores transmissas: revolve Augustorum edicta de hæreticis ad petitionem Pontificum promulgata: scrutare Cæsarem nostrorum capitula, & invenies, quantum profuerit, atque prosit legum severitas non solum ecclesiasticæ lenitati, verum totius christianitatis optandæ paci, & colendæ tranquillitati." Quod si in eos, qui monetam adulterant, aut aliorum graviorum criminum rei sunt, licet Principi capitis pœnam constituere, cur non eadem pœna constitui poterit adversus eos, qui adulterant, atque corrumpunt sanctissimam religionem, extra quam nemo æternam salutem consequi potest?

§. VIII. Ministri sacrorum tantum quærunt integritatem fidei, & salutem animarum; & ideo suis pœnis hoc tantum propositum habent, ut pravæ unitis, alteriusve hominis opiniones aliis minime noceant, atque ut ii, qui in errorem delapsi sunt, eum agnoscant, ac detestentur. Quæ in re quis reprehendat Inquisitores, quod omni ope, & opera entuntur, ut arceatur error ab iis, qui integra fide sunt? Qui vero in errore sunt, non vi coguntur amplecti religionem, sed potius metu pœnæ ab errore deterrentur, ut divino præsidio adducantur ad colendam amore veritatem, quam in discrimen revocaverant (1).

(1) Vetus hæc est conquestio Donatianorum agentium, penas in hæreticos non esse constituendas, quoniam amore, non vi colenda religio

est. Sed horum ineptiis satisfacit Augustinus *Ep. 89. ad Festum & Ep. 185. ad Bonifac. opp. t. 2. col. 219. & seq. & col. 643. & seq. ed. Ven. 1729.* Valdensium quoque, præterea Catharorum, Beguardorum, Wiclefitarum, Husitarum opinio erat, quod "Deus non vult pseudo-apostolos, & hæresiarchas extinguere, sed tolerari, si forte respiciant, & è zizaniis vertantur in triticum. Quod si non respiciant, serventur suo iudicio, cui pœnas dabunt aliquando." Quem errorem damnavit Synodus Senonensis an. 1528. t. 19. *Conc. col. 1178. cit. coll. extatque hic error n. 35. in eo, quem Synodus ipsa exhibet ibidem, indiculo. Confer etiam ejusdem Synodi exhortationem ad Principes Christianos de elaborando pro hæreticis exterminandis col. 1180. ibid.*

§. IX. Quod si aliqui Inquisitores fuerunt aliquando, qui aut decepti, aut auctoritate sua abusi sunt, id quidem unius, alteriusve hominis, non Tribunalis vitium est. Fuisse pluries ex Magistratibus, qui in civium perniciem converterunt potestatem, quam in eorum utilitatem acceperant. An ideo Magistratus omnes abrogandos putabis? Munus Inquisitoris semper committitur viris, quorum spectata habetur integritas, atque doctrina; si quis forte eorum, qui tam gravi funguntur munere, huic deest, superior extat, cujus imperio, & auctoritate omnis mali causa renovetur, & qui pares noxæ pœnas repetit ab Inquisitoribus, qui suo muneri defuerunt (1). Alicubi cum auctoritate Sedis Apostolicæ Assessores etiam adstant è numero laicorum, per quos eorum quoque, quæ ad civilem rempublicam pertinent, ratio habetur.

(1) Vide Emericum *Direct. par. 2. c. 1. p. 112. ed. Rom. 1587.* & pluribus aliis locis, ibique Pegnam, & Albiium in *cit. Risposta all' Istoria dell' Inquis. di F. Paolo p. 77. seq.*

§. X. Est etiam reprehensionis causa injusta, & inanis, quod Inquisitores sunt Regulares, qui forte partium studiis abripi posse videntur. Principio quid vetat Summum Pontificem, qui omnium Ecclesiarum curam, & sollicitudinem gerit, ex Regularibus familiis, quæ optime de re Christiana meritæ sunt, ac sæpe functæ, cum magna laude sua, & aliorum utilitate, amplissimis, difficilissimisque legationibus, eligere viros doctos, & probos, quorum consilio, auctoritate, sapientia ubique integra Religio conservetur? Deinde ab Hispanica Inquisitione Regulares absunt; ubi autem

hi sunt, haud ipsis quidlibet audere licet, cum subsint Supremæ Inquisitioni, cui Pontifex ipse præest, pœnisque gravissimis provisum sit, ne quis eorum à recta iudiciorum methodo, à legibus, à veritate, & æquitate discedat.

§. XI. Jam ad tribunal Inquisitionis, omnes, quibus nota res est, hæreses, atque hæreticos aut suspectos hæreseos deferre atque accusare debent. Quod quidem consentaneum est Apostoli præcepto, & legibus, cum quibus omnis bene constituta respublica administratur. Nam Apostoli præceptum est (1), ut omnes attendant iis, qui dissensiones faciunt, & depositum fidei pervertunt, & hinc merito in causa Religionis unumquemque Christianum militem esse oportet, ut in reos majestatis, & publicos hostes omnis homo miles est (2). Leges autem cujusque rei publicæ bene constitutæ sunt, ut omnis civis Magistratui significare debeat, si quis studeat rebus nobis, si in republica turbas excitet; si quid in publicam salutem, tranquillitatemque moliatur, si qui patriæ proditor sit. An quod in civili republica sapientissimis legibus sancitum est, non etiam faciendum erit in republica ecclesiastica, quam suis erroribus hæretici perturbant, & in extremum pene discrimen adducunt?

(1) *Epist. ad Rom. XVI. 17. seq.*

(2) Tertulianus *Apologetici c. 2. p. 3. ed. Ven. 1744.*

§. XII. Admittuntur ad accusandum, atque ad ferendum testimonium etiam infames; quoniam omni ope evitandum est, ut tam grave crimen, quod Deum ipsum, ejusque religionem oppugnat, coerceatur. Ob lesam majestatem humanam infames quoque accusant, dicuntque testimonium; an non idem adversus reos læsæ majestatis divinæ jus recte constituetur? Nihil vero metuendum est ex vitio acausatoris, aut testium; primum quia pœnarum severitate provisum est, ne quis falso accuset, aut testimonium ferat (1); deinde quia nemo acausatoris, ac testium minus idoneorum fide condemnatur. Hæc testimonia, & accusatio faciunt, ut Inquisitores in denunciatum intentos habeant oculos, atque ut quærant diligenter, qui ejus mores, quæ vita, doctrinaque sit, & cum re diu multumque quæsita, ex certis monumentis evidenter constat, aliquem

talem revera esse; qualis accusatus est, tum demum contra eum, non propter vitiosos testes, aut accusatorem, sed propter certissimas probationes iudicium emittitur.

(1) Adversus falsos accusatores, aut testes, præter spirituales temporales etiam, eæque gravissima poenæ sunt constitutæ. Celebris in primis ea de re est Constitutio *Intelleximus* 32. Leonis X. data ad Hispaniæ Quæsitores anno 1518. in *Bullar. Roman. t. 3. par. 3. p. 465*. Neque vero has poenas declinare potest quisquis falsam detulit accusationem aut falsum testimonium dixit. Nam quævis accusatio, & quodvis testimonium Inquisitoris excitat diligentiam, ut magno studio, atque cura veritatem querat. Necessario autem inveniendæ veritas querendo est. Unum autem de duobus effici debet, aut ut verum consistet esse crimen, & tunc vera accusatio, itemque vera testimonia sunt, aut contra crimen est falsum, & tunc de falso accusatore, falsisque testibus poena sumitur. Si ad hæc advertisset Cavallarius *Inst. Canonic. par. 3. c. 13. §. 8.*, haud certe exagitasset Tribunal Inquisitionis, quod omnes ad accusandum, atque ad dicendum testimonium admittat. Nemo enim propter hanc accusationem, aut testimonium condemnatur, & sunt inanitatis plenissima illa ejus verba: "Quæ enim æquitas, quæ justitia esse potest, ubi indiscriminata, omnes ad accusandum, ubi omnes ad dicendum testimonium admittuntur?"

§. XIII. Accusatoris autem, ac testium nomina non divulgantur, atque omnibus arcani sacramentum impositum est. Id vero sapienter est constitutum, ut omnis accusatorum, ac testium invidia, metusque arceatur, ut procul absit gratia, favor, seductio, ut liberius iudices sententiam ferant, & magis tutum iudicium sit. Accedit, quod rerum bene gerendarum anima arcanum est; & ideo in civilibus quoque negociis, quæ graviora, & difficiliora sunt, arcani lex observatur.

§. XIV. In expendendis causis, iudicandisque personis nihil est, quod non plane consonum æquitati sit. Nam mentiuntur, qui etiam hominum cogitationes ab Inquisitione iudicari inquirunt (1), qui reos per fraudem, & dolum adduci existimant, ad confitendum crimen, quod nunquam admiserunt, qui eos habere negant defensiones, & beneficium appellationis, per quam editæ sententiæ error emendetur. Tantum qui exteriori actu religionem violarunt, poenas luunt, nulla contra ipsos vis, fraus, dolus adhibetur, suas iidem habent defensiones, & eas sane accuratas,

habentque beneficium appellationis ad Supremam Inquisitionem, per quam omne, si quod immerito illatum est, damnum removetur. Imo ea Inquisitionis mansuetudo, & lenitas est, ut qui sponte denunciat crimen suum, & qui illud ab alio accusatus confitetur, ac detestatur, non alias sufferat poenas, quam quæ sunt ad salutem animæ comparatæ (2).

(1) Atque adeo falsum est, ab Inquisitoribus etiam hominum cogitationes iudicari, ut quivis Confessarius facultatem habeat absolvendi ab hæresi tantum interna, ac sola mente concepta, quæ nullo exteriori signo patefacta est. Nam in hæresi Summo Pontifici reservatum est jus dandæ veniæ propter censuram, quæ hæresi adjuncta est. Verum Ecclesia sicuti non potest per se directe, & immediate præcipere, aut prohibere actum mere internum, quæ communis est Theologorum sententia, uti docet S. Thomas 1. 2. q. 91. art. 4. q. 100. art. 9. ita non potest censuram constituere in hæresim, quæ exteriori actu manifeste deprehensa non sit. Consume Benedictum XIV. *de Synod. dioces. l. 9. c. 4. n. 4.*

(2) Confer Pasqualonium *Pract. del S. Offic.*

§. XV. Inquiritur in omnes Catholicos, qui in religionem criminis rei facti sunt; exceptis Principibus, Cardinalibus, Episcopis quorum ea de re crimina ad Summum Pontificem ab Inquisitoribus referuntur. Judæi, & omnes, qui in hæresi, aut in schismate nati, educatique sunt, & in ea regione tolerantur, dummodo contra catholicam religionem nihil agant, Inquisitorum iudicio non subjiciuntur. Qui aliquid contra catholicam religionem moliantur, ii tantum propter hoc crimen non propter nativam hæresim, aut schisma meritis plectuntur poenis. Non enim ferendi sunt, qui Principis beneficium, propter quod in ea regione vitam traducere possunt, convertunt in perniciem populi, & religionis, quæ in civitate dominatur (1).

(1) Confer S. Thomam 2. 2. q. 10. art. 9. ad 2. ac vide etiam Cardinalem Albitium *cit. Rispost. p. 143. & seq.*, qui solide contra Sarpium tuetur, quæ à Gregorio XIII. ea de re constituta.

§. XVI. Sed non contra hæreticos, & omnes, qui à fide defecerunt, iudicium exercet Tribunal Inquisitionis, verum etiam contra illos, qui facinus aliquod, quod manifestam hæresim sapiat, admiserunt. Huc sane spectant divinationes, sortilegium, blasphemia hæreticalis, poligamia simultanea, abusus sacramentorum, sacrarum imaginum injuria; quæ

crimina Deum oppugnant, & catholicam veritatem, gravemque afferunt hæreseos suspicionem. Similiter qui libros damnatos legunt, aut vendunt, qui contra Ecclesiæ præcepta vetitis vescuntur cibus erroris, aut pravæ voluntatis suspicionem ingerunt; & ideo iudicium Inquisitionis subeunt (1). Quo iudicio tenentur etiam Sacerdotes, qui aliquem in Sacramentali confessione ad turpia sollicitant (2), quique à pœnitentibus exquirunt nomina eorum, quos criminis socios habuerunt (3); quoniam hi sacramenti dignitate, ac sanctitate abutuntur.

(1) Consule Cardinalem Albitium *l. c. p. 123. et seq. p. 131. et seq. p. 218. et seq. et p. 246.*, ubi de his omnibus præsertim contra Paulum Sarpium solide disputatur.

(2) Benedictus XIV. *Const. Sacram. Pœnit. 20. t. 1. ejus Bullar. p. 30. ed. Ven. 1754.*

(3) Benedictus XIV. *Const. Ubi primum 8. p. 33. et const. Ad eradicandum. 20. p. 87. t. 2.*

TITULUS IX.

De Simonia.

- | | |
|---|--|
| I. Simonia quid? | hibenda. |
| II. Ejus divisio. | VIII. Simonia palliata. |
| III. Quomodo committitur? | IX. Redemptio vexationis. |
| IV. An ei sit locus semper, cum data pecunia est? | X. ad XII. Poenæ in simoniacos. |
| V. Res spirituales, quæ pretio dari nequeunt. | XIII. & XIV. An propter ingressum in religionem, & professionem religiosam quidquam dari possit? |
| VI. Sponte oblata simoniam non inducunt. | XV. Poenæ propter simoniam confidentialem. |
| VII. Cautio in his oblationibus ad- | |

§. I.

Proximum hæresi crimen ecclesiasticum est simonia, quam passim canones *simoniacam hæresim* appellant (1). Nomen accepit à Simone Mago, qui primus in lege Evangelica hujus scelèris auctor fuit; eaque committitur, cum quis pecunia, vel re alia, quæ pretio æstimatur, dat, vel accipit rem spiritualem, aut spirituali annexam. Quin etiam animo contrahitur simonia, quæ *mentalis* dicitur, cum quis

per simulationem officii aliquid offert collatori, spe beneficii ab eo impetrandi; sed hæc simonia cum intus lateat, non mortalem judicem, sed solum Deum habet ultorem (2).

(1) *Can. 3. 11. 13. 20. 21. 28. 105. 117. c. 1. qu. 1. c. 32. de Simon. Tertullianus Apolog. c. 13. p. 13. ed. Ven. 1744. ethnicos Deorum quos se colere profitebantur, revera contemptores, & irrisores fuisse demonstrat, quia nimirum illos vendebant.*

(2) *Cap. 33. & 34. de Simonia.*

§. II. Est igitur, quæ humanis punitur legibus, simonia vel conventionalis, vel realis, vel confidentialis. Conventionalis est, quæ tantum pacto constat, sed tamen nulla, vel ex una solum parte rei traditio accessit. Realis est, quando ad pacta factum ipsum accessit, hoc est numerata pecunia, ac per eam spiritualia sunt data, atque hujus criminis rei sunt non modo contrahentes, sed etiam interpretes, quos *mediatores* vocamus, sponsores, depositarii. Denique confidentialis simonia contrahitur, cum quis beneficium recipit, ut ejus fructus alteri reddat, aut certo post tempore titulum restituat; aut cum usque ad certam infantis ætatem alicui beneficium tribuitur, ut illud ipse deinceps in adultum transferat. Item reservatio pensionis sine superioris auctoritate, & beneficii renunciatio, servato ad idem regressu, ceteraque hujusmodi pacta, quæ *fiduciaria* vocamus, ad simoniam confidentialem pertinent (1).

(1) Concilium Tridentinum *Sess. 25. c. 7. de Reform. Pius IV. Const. Romanum Pontificem tom. 4. par. 2. p. 191. Bullar. Roman., S. Pius V. Const. Intolerabilis 117. t. 4. par. 3. p. 67.*

§. III. Tribus modis committitur simonia munere à manu ab obsequio, à lingua (1); nam his omnibus modis datur pecunia, vel res, quæ pretio æstimatur. Munere à manu simoniacus est, qui res sacras emit, aut vendit pecunia, cujus nomine continetur quidquid homines in terra possident (2). Munere ab obsequio simoniacus habetur, qui subjectione, vel servitute indebite impensa res sacras obtinet (3); nam hujusmodi obsequium pretio æstimatur. Denique munere à lingua admittitur simonia, cum quid spiritualis, aut quasi iis detur, pro quibus *majorum quispiam rogaverit* (4). Quod adeo verum est, ut simoniacus apud Deum sit, qui digno quidem viro rem spiritualem attri-

crimina Deum oppugnant, & catholicam veritatem, gravemque afferunt hæreseos suspicionem. Similiter qui libros damnatos legunt, aut vendunt, qui contra Ecclesiæ præcepta vetitis vescuntur cibus erroris, aut pravæ voluntatis suspicionem ingerunt; & ideo iudicium Inquisitionis subeunt (1). Quo iudicio tenentur etiam Sacerdotes, qui aliquem in Sacramentali confessione ad turpia sollicitant (2), quique à pœnitentibus exquirunt nomina eorum, quos criminis socios habuerunt (3); quoniam hi sacramenti dignitate, ac sanctitate abutuntur.

(1) Consule Cardinalem Albitium *l. c. p. 125. et seq. p. 131. et seq. p. 218. et seq. et p. 246.*, ubi de his omnibus præsertim contra Paulum Sarpium solide disputatur.

(2) Benedictus XIV. *Const. Sacram. Pœnit. 20. t. 1. ejus Bullar. p. 30. ed. Ven. 1754.*

(3) Benedictus XIV. *Const. Ubi primum 8. p. 33. et const. Ad eradicandum. 20. p. 87. t. 2.*

TITULUS IX.

De Simonia.

- | | |
|---|--|
| I. Simonia quid? | hibenda. |
| II. Ejus divisio. | VIII. Simonia palliata. |
| III. Quomodo committitur? | IX. Redemptio vexationis. |
| IV. An ei sit locus semper, cum data pecunia est? | X. ad XII. Poenæ in simoniacos. |
| V. Res spirituales, quæ prætio dari nequeunt. | XIII. & XIV. An propter ingressum in religionem, & professionem religiosam quidquam dari possit? |
| VI. Sponte oblata simoniam non inducunt. | XV. Poenæ propter simoniam confidentialem. |
| VII. Cautio in his oblationibus ad- | |

§. I.

Proximum hæresi crimen ecclesiasticum est simonia, quam passim canones *simoniacam hæresim* appellant (1). Nomen accepit à Simone Mago, qui primus in lege Evangelica hujus scelèris auctor fuit; eaque committitur, cum quis pecunia, vel re alia, quæ pretio æstimatur, dat, vel accipit rem spiritualem, aut spirituali annexam. Quin etiam animo contrahitur simonia, quæ *mentalis* dicitur, cum quis

per simulationem officii aliquid offert collatori, spe beneficii ab eo impetrandi; sed hæc simonia cum intus lateat, non mortalem iudicem, sed solum Deum habet ultorem (2).

(1) *Can. 3. 11. 13. 20. 21. 28. 105. 117. c. 1. qu. 1. c. 32. de Simon. Tertullianus Apolog. c. 13. p. 13. ed. Ven. 1744. ethnicos Deorum quos se colere profitebantur, revera contemptores, & irrisores fuisse demonstrat, quia nimirum illos vendebant.*

(2) *Cap. 33. & 34. de Simonia.*

§. II. Est igitur, quæ humanis punitur legibus, simonia vel conventionalis, vel realis, vel confidentialis. Conventionalis est, quæ tantum pacto constat, sed tamen nulla, vel ex una solum parte rei traditio accessit. Realis est, quando ad pacta factum ipsum accessit, hoc est numerata pecunia, ac per eam spiritualia sunt data, atque hujus criminis rei sunt non modo contrahentes, sed etiam interpretes, quos *mediatores* vocamus, sponsores, depositarii. Denique confidentialis simonia contrahitur, cum quis beneficium recipit, ut ejus fructus alteri reddat, aut certo post tempore titulum restituat; aut cum usque ad certam infantis ætatem alicui beneficium tribuitur, ut illud ipse deinceps in adultum transferat. Item reservatio pensionis sine superioris auctoritate, & beneficii renunciatio, servato ad idem regressu, ceteraque hujusmodi pacta, quæ *fiduciaria* vocamus, ad simoniam confidentialem pertinent (1).

(1) Concilium Tridentinum *Sess. 25. c. 7. de Reform. Pius IV. Const. Romanum Pontificem tom. 4. par. 2. p. 191. Bullar. Roman., S. Pius V. Const. Intolerabilis 117. t. 4. par. 3. p. 67.*

§. III. Tribus modis committitur simonia munere à manu ab obsequio, à lingua (1); nam his omnibus modis datur pecunia, vel res, quæ pretio æstimatur. Munere à manu simoniacus est, qui res sacras emit, aut vendit pecunia, cujus nomine continetur quidquid homines in terra possident (2). Munere ab obsequio simoniacus habetur, qui subjectione, vel servitute indebite impensa res sacras obtinet (3); nam hujusmodi obsequium prætio æstimatur. Denique munere à lingua admittitur simonia, cum quid spiritualis, aut quasi iis detur, pro quibus *majorum quispiam rogaverit* (4). Quod adeo verum est, ut simoniacus apud Deum sit, qui digno quidem viro rem spiritualem attri-

buit, sed tamen gratia, a ut metu rogantis non pro illius merito; contra simoniæ vitium abest; cum preces potentiorum tantum movent antistitem ad inquirendum in viri merita, & inde non ob preces, sed **ob** vera merita accipientis beneficium confert (5).

(1) *Can. 114. c. 1. qu. 1.*, & *can. 8. c. 1. qu. 3.* Eandem hanc sententiam expressit Concilium Aquisgranense an. 816. *can. 38.* apud Labbaum t. 9. *concl. col. 446.*; & multo ante divisionem ipsam non obscure intuit S. Hieronymus in *Ep. ad Tit. c. 1. vers. 5. opp. t. 7. par. 1. col. 694. ed. Vallarsii Ven. 1769.*, cuius locum describit Gratianus *can. 6. cap. 8. qu. 1.* Confer etiam S. Thomam in 4. *Sentent. dist. 25. qu. 3. art. 3.*, & 2. 2. *qu. 100. art. 5.*

(1) Ita loquitur Augustinus *can. 6. caus. 1. qu. 3.* Ad hoc quidem simoniæ genus pertinent *c. 11. et 20. de Simon. et c. 6. de Pactis.*

(3) Sic Gregorius M. *cit. can. 114.* Aulici quidam clerici Petro Damiano suppares, licet indebitis obsequiis beneficia inhærent, se tamen simoniacos non existimabant, quod pecuniam non darent. Eos ita reprehendit Petrus Damianus *Ep. ad. Episcop. Card. Ep. 1. p. 26. opp. ed. Paris. 1664.* "Dic mihi, o clerice, quisquis es, si redempto quolibet, aureo vase, vel prædio, distractor exigeret, ut retenti apud te vice, pretii, huiusmodi sibi sedulitatis impendium exhiberes, numquid non, postmodum constanter assereres, te, quod acceptum est, justo pretio comparasse?" Vide etiam S. Anselmum *Ep. 44. p. 383. ed. Paris. 1675.* Recte igitur, atque sapienter S. Carolus Borromeus in *Concil. Mediolanen. II. Const. advers. simoniacos n. 13.* monet, regatque Episcopos, ut certam familiaribus suis mercedem constituant, ne quis eorum tamquam suæ pretium operæ ecclesiastica beneficia quarat.

(4) *Can. 6. caus. 8. qu. 1.* S. Thomas 2. 2. *qu. 100. art. 5.* "Si, aliquis principaliter, inquit, ad hoc intendit, simoniam committit. Videtur autem ad hoc principaliter intendere, qui preces pro indigno, porrectas exaudit: Unde ipsum factum est simoniacum. Si autem preces pro digno porriguntur, ipsum factum non est simoniacum; quia subest debita causa ex qua illi, pro quo preces porriguntur, spirituale aliquid conferetur; tamen potest esse simonia in intentione: si non attendatur ad dignitatem personæ, sed ad favorem humanum."

(5) S. Thomas *cit. qu. 100. art. 5.*

§. IV. Cum autem simoniace acta res est, nihil refert, num ille, qui rem spiritualem, aut quasi spiritualem accipit, improbum contractum noverit, an potius ignoraverit. Quare si beneficii collator revera pecuniam acceperit, admittitur simonia, quamquam beneficiario competitum non sit vitium, cum quo beneficium accepit (1). Semper enim verum est, pretio data fuisse Ecclesiæ ministeria, quicun-

que tandem sit, qui pretium dederit (2). Verum si quis pretium fraudulenter solvit eo consilio, ut alteri detrimentum inferret, ejusque electionem irritam faceret, valet electio, quoniam hominum malitiæ indulgere non decet (3); sed tamen qui dedit, accepitque pecuniam simoniæ reus est.

(1) *Cap. 27. de Simon.*

(2) *Can. 3. caus. 2. q. 5.*

(3) *Cap. 3. de Simon.*

§. V. Jam vero res spirituales, aut quasi spirituales, quæ pretio comparari nequeunt, sunt potestate spirituales, puta potestas imponendi manus, quam à Petro emere volebat Simon, gratia Spiritus Sancti, Sacramenta; absolutio à censuris, voti relaxatio, ordinationes, consecratio Ecclesiarum, benedictiones Abbatum, sacrarum virginum, similia, ecclesiastica beneficia, officia, dignitates, cetera generis ejusdem. Horum quædam Divino jure spiritualia sunt, & quædam ob Ecclesiæ bonum in spiritualium censum jure ecclesiastico relata sunt; ideoque alia juris Divini simonia, & alia ecclesiastici juris est. In his tamen omnibus distinguenda sunt diligenter sponte oblata ab iis, quæ ideo dantur, ut spiritualia accipiantur. Sponte oblata sine vitio simoniæ in rerum spiritualium administratione recipi possunt (1). Non enim dantur tamquam pretium rerum spiritualium, sed potius dantur, ut eorum ope Ecclesiæ ministri vitam traducant.

(1) Consule Thomassinum *Ver. et nov. Eccles. disciplin. par. 3. l. 1. c. 69. et seq.*, itemque consule, quæ ego scripsi *l. 2. tit. 2. sect. 3. §. 64. p. 117.*, et *tit. 17. §. 6. p. 438.*

§. VI. Sane Christus Dominus Apostolos mittens in orbem terrarum eos vivere voluit de Evangelio, quod nuntiabant. Ex qua doctrina sive in administrandis sacramentis, sive in aliis ecclesiasticis officiis exercendis semper Ecclesia recte, ac merito sponte oblata recipit. Eodemque jure censentur redditus ecclesiastici, quos clerici accipiunt, non tamquam pretium rerum spiritualium, quas administrant, sed ut ex iis habeant, quæ sunt ad vitam necessaria (1).

(1) Consule S. Thomam 2. 2. *q. 100. art. 2. et 3.*

§. VII. At quamquam sponte oblata recte accipiuntur, tamen cavendum est diligenter, ut in his quoque rebus

ab Ecclesiæ ministris omnis procul absit turpis quæstus, & avaritiæ suspicio. Quare Synodus Eliberitana sancivit, ut catechumeni baptismum suscepturi de more nummos in concham non mitterent, *ne sacerdos quod gratis accipit, pretio distrahere videatur* (1). Hinc etiam à Tridentinis Patribus (2) Episcopi, eorumque ministri quidquam in sacris ordinationibus, quamquam sponte sit oblatum, accipere vetiti sunt; & S. Carolus Borromeus Sacerdotem sacramenta administrantem nihil etiam eleemosinæ loco datum, accipere voluit (3).

(1) Concilium Eliberitanum *can. 48.* apud Labbæum *Concil. t. 1. col. 598.* Quo loco observandum est verbum illud *videatur*, quod Eliberitani Patres utuntur, quodque ostendit, non malum, sed mali speciem canoni causam dedisse. Verum non eadem ubique obtinuit disciplina. Nam eam consuetudinem sua ætate apud Græcos fuisse tradit Gregorius Nazianzenus *Orat. 40. opp. t. 1. p. 55. ed. Coloniae 1690.*, qui eam non reprehendit, & idem etiam scriptum reliquit Paulinus *ep. 32. n. 3. col. 195. ed. Veron. 1736.* Quin etiam in Hispaniis Eliberitanus Canon non diu observatus est. Nam Concilium Bracaraense II. aliis III. ann. 572. *can. 7.* apud Labbæum *t. 6. Conc. col. 580.* sponte oblata accipi permisit; quæ generatim totius Ecclesiæ disciplina fuit.

(2) Concilium Tridentinum *sess. 21. c. 1. de Reform.*

(3) Confer Jussanum *in Vit. S. Caroli l. 8. c. 4.*

§. VIII. Sed quoniam nihil est tam sanctum, quod non hominum malitia violetur, inventa sunt à quibusdam involucra, & effugia quædam, quibus ses ipsos excusare, & simoniam, ut vulgo loquimur *palliare* conantur. Nam alii sese temporalia dare iniquunt, non propter ipsa sacra ministeria, sed propter opes, & reditu qui ex iis percipiuntur; & alii solvere se pecuniam dicunt non tamquam pretium rei spiritualis, sed tamquam honorarium, & tamquam causam impellentem, per quam aliquis ad rem spiritualem concedendam impellitur. Sed larvæ hæ sunt, quibus frustra simoniaci tegunt scelus suum. Nam redditus ecclesiastici sacro ministerio adhærent, & deo qui pecuniam dedit, pro utroque dedisse censetur (1); illa autem species, & simulatio honorarii nullam in Ecclesia simoniam relinqueret; præterea non lucrum temporale, sed personarum merita, & Ecclesiæ utilitas impellentes tantum causæ esse debent, propter quas beneficia concedantur (2).

(1) Recte Paschalis P. *Can. 7. c. 1. q. 3.* "Quisquis horum, inquit, alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum inventum, derelinquit.

(2) Confer Decretum Innocentii XI. apud Schmalzgrueber *Jus eccl. c. 5. par. 1. tit. 3. num. 72.* Hinc merito damnatæ sunt tum ab Alexandro VII., tum ab Innocentio XI. propositiones quædam, quæ ad excusandam quodammodo, aut obtegendam simoniam pertinebant, quæque describit Natalis Alexander *Theolog. dogm. et moral. l. 2. c. 7. art. 2.*

§. IX. Est etiam simoniæ tegumentum redemptio vexationis, quæ fit, cum temporalia dantur, ne quis impedimento sit, quominus alter rem spiritualement, aut quasi consequatur. Qua in re videndum est, num ille, qui impedimento infert, jus in re habeat, & num alter, qui illud remove conatur, rei possessionem obtinuerit, an secus. Cum illi jus est, atque alter nondum rei possessionem acquisivit, simonia contrahitur (1); contra nulla simonia est, si nullum ipse jus habeat, atque alter jus perfectum acquisiverit, quia revera nihil spirituale pretio comparatur, licet injuste agat, qui pecuniam accipit, ne alteri impedimento sit (2). Sed quoniam hic etiam latere simonia potest, neque nos in rebus nostris iudices esse decet, recte à S. Carolo Borromeo sancitum est, ut nemini liceat, ad redimendam vexationem, *ne in casibus quidem jure permissis pecuniam dare, quidquamve pacisci, aut transigere, nisi Episcopi consensus accesserit* (3).

(1) *Cap. 23. de Simonia.*

(2) *Cap. 28. eod. ibique Glossa.* Vide S. Thomam 2. 2. *qu. 100. art. 2. ad 5.* Verum si agatur de obtinenda gratia, vel justitia apud Sedem Apostolicam, etiam super jure quæsito, sive petitio sit de re spirituali, sive de temporalis, & mixta *ex const. Ab ipso 39. Gregorii XIII. in Bullar. Rom t. 4. par. 3. p. 293., & const. Inter gravissimas 100. Alexandri VII. t. 6. par. 4. Bullar. p. 104.* vetitum plane est aliquid dando vexationem redimere.

(3) S. Carolus Borromeus *conc. 1. Mediolanen. tit. Qua pertin. ad collat. benef. par. 1. t. 1. p. 13. ed. Patav. 1754.*

§. X. Improbum simoniæ crimen semper Ecclesia detestata est; & ideo semper contra hujus criminis reos gravissimis poenis animadvertit. Ex veteri disciplina poena clericorum erat depositio, laicorum excommunicatio (1). Illa autem clerici depositio perpetua erat, adeout ipse, nunquam gradum suum recuperaret, & poenitentiam, quam

diu viveret, in monasterio agere cogeretur (2). Perpetua depositio ab antiquis canonibus constituta proprie ad simoniacas ordinationes pertinebat. Non enim beneficia sejuncta erant ab ordinatione; sed clericus, cum ordinabatur, certa adscribebatur Ecclesie, cui servire debebat, & cujus redditibus alebatur.

(1) Concilium Toletanum VIII. an. 653. *can. 3.* apud Labbæum t. 7. *Concil. col. 419.* "Si clerici fuerint, inquit, honoris amissione multentur; si vero laici, anathemate perpetuo condemnentur." Idem antea de reverat Concilium Chalcedonense *can. 2.* apud Labbæum t. 4. *col. 1682.* Bracaraense an. 572. *can. 3. t. 6. col. 579.* & Aurelianense II. *can. 4. t. 5. col. 927.* Confer etiam Gelasium *Ep. 9. ad Episc. Luc. m. c. 24.* apud eundem Labbæum t. 5. *col. 319.* Hormisdam *Ep. 25. ad Episc. Hisp. c. 2. t. eod. col. 604.* Symmachum *Ep. 5. ad Cæsar. Arel. c. 2. t. eod. col. 427.* Gregorium M. *Ep. 13. l. 4. opp. t. 2. col. 694. ed. Paris. 1705.* Verum Canon Apostolorum 30. *al. 22.* apud Coelerium PP. *Apostol. t. 1. p. 446. ed. Amstelædami 1724.* adversus clericum simoniacè ordinatum utramque pœnam tum depositionis, tum excommunicationis constituit.

(2) *Can. 7. caus. 1. qu. 1.*, & *can. 4. caus. 1. qu. 7.*

§. XI. Cum beneficia ab ordinatione seungi cœperunt, vetusti canones de simoniacis ordinationibus ad simoniacas beneficiorum collationes traducti sunt (1). Quin hujusmodi collationes plane irritæ, inanesque sunt (2); idque obtinet sive ab utraque parte simonia perfecta sit, sive conventionem nitatur (3), tam si ipse electus, quam si eo ignaro ejus amici, & consanguinei pecuniam dederint, aut promiserint (4). Itaque simoniaci abdicare se beneficio debent, neque suos faciunt fructus, si quos interim percipiant, perceptosque omnes restituere coguntur (5). Simonia tamen mente concepta beneficiarium non cogit ad beneficium dimittendum, sed ea tantum per pœnitentiam apud Deum eluitur (6).

(1) *Can. 9. caus. 1. qu. 3.*

(2) *Extrav. 2. de Simon. inter commun.*

(3) *Can. 5. caus. 1. qu. 4.*

(4) *Cap. 27. de Simonia.*

(5) *Extrav. 2. cit. S. Pius V. const. Cum primum 9. §. 8. Bullar. Roman. t. 4. par. 2. p. 285.* Vide etiam S. Thomam 2. 2. *qu. 100. art. 6. & in Respons. ad 3.*

(6) *Cap. ult. eod. Confer Fagnanum in cap. ex parte 12. de Offic. delegat. n. 19.*

§. XII. Jure novo depositionis pœnæ, qua simoniacè ordinantes, & ordinati plecebantur, suspensio suffecta est. Et ordinantes quidem ab omnium ordinum, etiam primæ tonsuræ, collatione suspenduntur, eamque suspensionem, quæ antea triennalis erat (1), Sixtus V. perpetuam fecit (2), illosque etiam Ecclesie ingressu, & Pontificalium usu prohibuit. Ordinati autem per simoniam à susceptorum ordinum usu suspenduntur, donec à Summo Pontifice veniam impetraverint. Præterea tam ordinantes, quam ordinati afficiuntur excommunicatione latæ sententiæ Romano Pontifici reservatæ, eidemque pœnæ subsunt, qui tanti criminis sequestres fuerunt (3). Quod etiam dictum volo de iis, qui simoniacè contulerunt, aut acceperunt beneficium; nam & hi simili excommunicationi subjecti sunt (4).

(1) *Cap. 45. de Simonia.*

(2) Sixtus V. *Const. Sanctum & salutare 140. p. 40. t. 5. par. 1. Bullar. Roman.* quam quidem constitutionem in iis, quæ pertinent ad pœnas contra simoniacos stabilitas, integram esse voluit Clemens VIII. *const. Romanum Pontificem 121. §. 2. p. 97. t. 5. par. 2. Bullar. Rom.* Vide etiam Concilium Tridentinum *Sess. 21. de Reform. c. 1.*

(3) *Extravag. 2. de Simonia inter commun.*

(4) *Cit. Extrav. 2.*

§. XIII. Similes fere pœnæ indictæ sunt adversus eos, qui propter ingressum in Religionem, aut propter regularem professionem simoniæ crimen admittunt. Scilicet qui ob eam rem dederunt, acceperuntve pecuniam, afficiuntur excommunicatione latæ sententiæ Summo Pontifici reservatæ; præterea collegium, aut monasterium monachorum, à quo aliquis simoniacè receptus est, ab officiis capitularibus, atque ab omni jurisdictionis actu suspenditur (1). Sunt autem hujus criminis rei, qui dant, aut accipiunt pecuniam tamquam pretium ingressus in religionem, aut professionis religiosæ; eidemque sceleri locus est etiam, cum monasterium abundat opibus, quibus plures alit, & tamen propter alimenta pecuniam exigit ab eo, qui sese in Religionem recipit.

(1) *Extravag. 1. de Simonia int. commun.*

§. XIV. Verum cum tenues sunt opus monasterii, quibus plures alii nequeunt, licet aliquid pro victu accipere

ab eo, qui regulare institutum amplectitur, atque inde omne simoniæ vitium prorsus habest (1). Ea de causa lege, & usu receptum est, ut mulieres, quæ moniales fiunt, dotale subsidium attribuant, cujus ope monasterium sumptus sustineat, quos pro victu, & cultu monialium facere oportet (2). Nam experientia compertum est, nullum esse monialium cœnobium, ut ut opulentum habeatur, quod novis non iugeat dotium accessionibus; ac sæpe inopinati casus eveniunt, quorum præcavenda sunt damna, & incommoda, ne serum remedium frustra quærat, si quando subito existant (3).

(1) Vide S. Thomam 2. 2. qu. 100. art. 3. ad 4., S. Bonaventuram Apologet. contr. advers. Fr. Minor. qu. 18., S. Raymundum l. 1. tit. 1. §. 22., S. Antonium part. 2. c. 5. §. 18., Dionysium Carthusianum de Simon. l. 2.

(2) Sac. Congregatio Concilii in Bononien. 14. Apr. 1725. t. 3. The-saur. resolut. p. 153. et seq., Consule Fagnanum in cap. Non amplius de Instit. n. 24.

(3) Hanc quidem consuetudinem, quæ fere ubique viget, quamque probant Romæ Congregationes, & S. Carolus Borromeus in Concil. Mediolan. 1. tit. de Novit. ad profess. recipien. & Conc. II. inter capita quædam ad Monial. pertinen. s. 2. Ad. Eccles. Mediolan. part. 1. p. 41. et 65. ed. Patavii 1754., improbat Van-Espenius de Vitio simon. circ. ingress. Religion. c. 2., et c. 3. §. 3., atque ait contra jus Divinum, & naturale peccare monasteria, quæ cum idoneos habeant redditus, neminem gratis accipiunt. Sed nullum est, ut observat Benedictus XIV. de Synod. dioces. l. 11. c. 6. n. 5., ita opibus abundans monialium cœnobium, quod novis non egeat dotium accessionibus, ut remedium adhibeat facturæ rei familiaris, quam quotidie facit. Confer Christianum Lupum in Not. ad Can. 19. Concilii Nicæni II. opp. t. 3. p. 300. ed. Ven. an. 1724., & Cabassutum in Theor. & prax. jur. canon. l. 5. c. 5. n. 13.

§. XV. Contra simoniam confidentialem alia quoque sunt à Summis Pontificibus Pio IV. (1), & S. Pio V. (2) constituta. Nimirum, qui eam admisit, privatur etiam beneficiis, quæ antea legitime obtinuerat, & collatio beneficiorum, quæ contracta fiducia impetrata sunt, Sedi Apostolicæ reservantur. Præterea simoniaci collatores ab Ecclesia interdicuntur; atque ut his pœnis locus sit, satis est, quod simoniacus contractus ex una tantum parte absolutus sit.

(1) Pius IV. Const. Romanum Pontificem 99. p. 190. t. 4. part. 2. Bullar. Roman.

(2) S. Pius V. Const. Intolerabilis 117. p. 67. t. 4. part. 3. Bullar. Roman.

De maledicto sive blasphemia.

I. Blasphemia quid? Ejus species. III. Pœnæ in blasphemos.
II. Blasphemia imprecativa.

§. I.

Maledictum, sive blasphemia, qua Deo ore injuria irrogatur, duplex distingui solet alia nimirum *enunciativa*, alia *imprecativa* est. Enunciativa blasfemia committitur, cum Deo negatur, quod ipsi convenit, ut si quis neget, eum esse omnipotentem, justum, immensum &c. vel eum ei tribuitur, quod ab ipso alienum est, ut si quis eum non providum, injustum, insipientem &c. dicat, vel denique cum creaturæ, quod unius Dei proprium est, adscribitur. Hujusmodi blasphemiarum, cum manifestum errorem contineant, hæreticales appellantur, ideoque blasphemii habentur instar hæreticorum, licet revera hæretici non sint, si illis, quos ore evomunt, erroribus non assentiantur.

§. II. Imprecativa blasphemia est, cum quis in Deum malum aliquod imprecatur, vel cum eum conviciis, & maledictis insectatur. Olim ethnicis nihil erat antiquius, quam Christianos ad blasphemias in Deum ore promendas adigere (1); atque hæc communis erat Christianæ religionis abjiciendæ ratio (2). Est etiam blasphemia in Deiparam Virginem, vel in Sanctos, quæ in ipsius Dei convicium & injuriam redundat, ideoque blasphemia dicitur (3).

(1) De Christianis, qui à religione defecerant, scribit Plinius ad Trajanum l. 10. Ep. 97. n. 6. p. 629. ed. Cellarii Lypsiæ 1711. "omnes & imaginem tuam, deorumque simulacra venerati sunt, iique & Christo maledixerunt."

(2) Id ex iis constat, quæ de Polycarpo narrat Eusebius l. 4. Histor. c. 15. p. 167. ed. cit. Cum enim Asiæ Proconsul juberet, eum in Christum convicia proferre, ut ita ab se abjectam Christianam religionem ostenderet, ipse respondit: "tres & octuaginta continuos annos ei ministravi, nec ulla me unquam affect injuria; & quomodo possum impie loqui, adversus Dominum meum, auctoremque salutis meæ?" Idem quoque constat ex Dionysii Alexandrini epistola apud eundem Eusebium l. 6.

c. 41. p. 304. ed. Cantabrig. cit., & ex Justino Mart. *Apol.* 2. n. 31 p. 62. ed. Paris. 1742.

(3) S. Thomas 2. 2. qu. 23. art. 1.: *Sicut Deus, inquit*, "in sanctis suis laudatur, in quantum laudantur opera, quæ in sanctis suis efficit; ita, & blasphemia, quæ fit in Sanctos, ex consequenti in Deum redundat."

§. III. Utrumque genus blasphemiae, sive enunciativæ, sive imprecativæ, semper atrocissimum habitum est crimen, planeque dignum, quod gravioribus pœnis coerceatur (1). Antiquo jure canonico blasphemi, maxime si hæreticalem blasphemiam effudissent, iisdem, quibus hæretici, pœnis plectebantur. Quare clerici depositioni, laici excommunicationi suberant; civilibus legibus erat etiam pœna mortis constituta (2). In veteri lege blasphemi lapidibus obruebantur (3). Nunc variæ contra blasphemos pœnæ sunt, sed tamen omnes judicis arbitrio, habita ratione criminis, & personarum infliguntur (4). In hæreticalem blasphemiam tantum Judex ecclesiasticus (5), in blasphemiam non hæreticalem, quod crimen est mixti fori, etiam laicus inquiri (6).

(1) Hinc Synesius Episcopus, cum ei multa, & gravia nunciata fuissent crimina ab Andronico Ptolemaidis Præsidi admissa, eum monendum, & mitius corripiendum censuit; verum cum rescivit, eo Præsidem impudentia processisse, ut diceret, neminem sibi è manibus elabi permittendum, ne si ipsius quidem Christi pedes amplecteretur, ipsum non amplius admonendum, sed de Ecclesia solemnè ritu ejiciendum duxit Synesius *ep.* 58. p. 201. ed. Paris. 1633. Omnium autem deterrima est blasphemia in Spiritum S., de qua ipse Christus apud Matthæum XII. 32. dicit hæc: "Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum S., non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro." Verum de blasphemia in Spiritum S. non eadem Patrum sententia est. Cyprianus *ep.* 16. p. 195. ed. Amstelædami 1700. grande hoc peccatum ad eos refert, qui in apostasiam, & idololatriam lapsi essent, Christumque abnegassent; Hilarius in *Matth.* c. 15. *opp.* t. 1. col. 730. ed. Veron. 1730., & Athanasius in illud quicumque dixerit verbum *opp.* t. 1. p. 358. & 519. & 570. & 783. ed. Patav. 1777. ad eos, qui Christum Deum esse negant; Ambrosius de *Spiritus S.* l. 1. c. 3. *opp.* t. 6. p. 405. ed. Ven. 1781. scelus hoc Pneumatomachorum proprium fuisse credit, atque eadem sententia est Epiphani *Hæres.* 74. *Pneumat.* n. 14. t. 1. p. 903. ed. Coloniae 1682., & Philastri de *Hæres.* c. 67. p. 49. in *collekt. PP. Brixianæ Ecclesiæ* ed. Brixiae an. 1738., & idem etiam sentire videtur Chrysostomus *Homil.* 41. in *Matth.* n. 3. t. 7. p. 448. ed. Paris. Montfauconii; Basilius *ep.* 188. *can.* 1. *opp.* t. 3. p. 269. ed. Paris.

1730. illud attribuit Pepuzonis, qui "in Spiritum S., inquit, blasphema-
verunt, Montano, & Priscillæ Paracleti appellationem nefarie, impu-
denterque attribuentes." Sed Augustinus, quem Fulgentius, atque alii
sequuntur, eum in Spiritum S. peccare existimat, qui perditam voluntate
scelus sceleri addit, divinæque misericordiæ incitamenta aut desperans,
aut etiam negligens usque ad vitæ exitum flagitiosum animum obfirma-
te retinet, atque in scelere perrevertat. *Ille peccat*, inquit Augustinus in
ep. 1. ad Roman. n. 14. *opp.* t. 3. part. 2. col. 933. ed. Ven. 1730.,
"in Spiritum S., qui desperans, vel irridens, vel contemnens prædicatio-
nem gratiæ, per quam peccata diluuntur, & paci, per quam reconcili-
amur Deo, detrectat agere pœnitentiam in peccatis suis, & in eorum
impia, atque mortifera quadam suavitate perdurandum sibi esse decer-
nit, & in finem usque perdurat." Tum paulo post ostendit, Hebræos,
quos Christus hujus sceleris arguit, in id incidisse, propterea quod Bel-
zebubo Spiritus S. miracula tribuentes, ejusdem Spiritus gratiam, qua
ad vitam redirent, recusabant, & ideo, si in ea voluntate permansissent,
merito nullam iis spem veniæ futuram affirmat. Eodem fere redit sententia
Hieronymi in *Matth.* l. 2. c. 12. *opp.* t. 7. col. 81. ed. Vallarsii
Ven. 1769. Confer Calmetum *Diss. de Peccat. in Spirit. S.*

(2) *Novell.* 77.; idemque jus etiam in Capitularibus Regum Franco-
rum constitutum est c. 101. l. 6. *Addit.* 3. c. 84. t. 1. col. 385. ed.
Baluzii Ven. 1772.

(3) *Levit.* XXIV. 16.

(4) Adversus blasphemos alias indixit pœnas Leo X. *Constit. Super-
næ dispositionis* apud Giraldum *Expos. jur. Pontif.* l. 5. tit. 26. *sect.*
860. p. 697., & alias Julius III. *Const. In multis* 31. p. 308. t. 4. *par.*
1. *Bullar. Roman.* His recentior S. Pius V. *const. cum primum* 9. §.
10. p. 284. t. 4. *par.* 2. *Bullar. Roman.* sancivit, ut laicus, "qui
Deum, & Dominum nostrum Jesum Christum, vel Gloriosam Virgi-
nem Mariam ejus Genitricem expresse blasphemaverit, pro prima vice
pœnam vinctiquinque ducatorum incurrat, pro secunda pœna duplica-
bitur, pro tertia autem centum ducatos solvet, & ignominia notatus
exilio multabitur." Plebejus, qui solvendo non sit, "pro prima vice
manibus post tergum ligatis ante fores Ecclesiæ constituetur per diem
integrum, pro secunda fustigabitur per urbem, pro tertia ei perfora-
bitur lingua, & mittetur ad triremes." Clericus vero blasphemus ex
eadem Pii constitutione pro prima vice privandus est fructibus unius anni
omnium beneficiorum, pro secunda ipsis beneficiis, pro tertia demum
omnibus etiam Dignitatibus privatus deponendus, atque in exilium mit-
tendus est. Clericus vero, qui beneficium non habet, pro prima vice pec-
uniaria, vel corporali pœna plectendus est, pro altera in carceres detur-
trudendus, pro tertia demum verbaliter degradandus, atque ad triremes
mittendus. Qui in Sanctos blasphemias effuderit, eum S. Pius V. *Judicis*
arbitrio, ratione criminis, ac personarum habita, puniri voluit. Verum,
uti monet Cardinalis Albitius de *Inconstant. in Fid.* c. 31. n. 139. &
seq., nunc à Tribunali Sac. Inquisitionis contra blasphemos, respectu hæ-

bito ad crimen, atque ad personas arbitrariæ poenæ constituuntur.

(5) *Cap. 18. de Hæret. in 6.*

(6) *Cap. 2. de Maledic. ibique Gonzalez n. 7.*

TITULUS XI.

De sacrilegio.

I. Sacrilegium quid, & quotuplex? III. Quomodo sacrilegium reale?

II. Quomodo personale, aut locale? IV. Poenæ in sacrilegos.
le sacrilegium admittitur?

§. I.

Ut blasphemia verbis, ita sacrilegium facto injuriam Deo irrogat. Est autem sacrilegium violatio rei sacræ, quæ scilicet cultui divino addita est, ac triplex ejus genus distinguitur (1). Aliud nimirum est sacrilegium personale, per quod injuria personæ sacræ, clerico, regulari, moniali infertur; aliud locale, per quod debitus sacro loco honor, & reverentia denegatur; denique aliud reale, quod admittitur contra res sacras, quæ speciatim ad cultum divinum pertinent, uti sunt sacramenta, calices, Sanctorum imagines, reliquiæ.

(1) Confer S. Thomam 2. 2. qu. 99. art. 1.

§. II. Personale sacrilegium committunt, qui ecclesiasticam clericorum immunitatem violant, aut in eos violentas manus injiciunt, quique cum personis coeunt Deo dicatis. Localis sacrilegii reus est, qui localem violat ecclesiasticam immunitatem, aut in loco sacro vetitos exercet actus, qui speciatim Ecclesiæ lege loci sanctitati adversantur. Hujusmodi sunt homicidium, humani sanguinis, aut seminis effusio, sepultura infidelis, aut excommunicati vitandi, per quæ omnia locum sacrum pollui, superiore loco demonstratum est.

§. III. Sacrilegium reale pluribus modis admittitur. Graviora hujusmodi sacrilegia sunt, cum in profanos & multo magis cum in pravos, turpesque usus convertuntur Ecclesiæ, altaria, sacra vasa, vestes altaris ministerio additæ, sacri codices, cetera generis ejusdem (1). Furtum quoque sacrilegium est, si res sacra, aut non sacra, sed ta-

men Ecclesiæ tutelæ, & custodiæ commendata, auferatur (2). Eodem recidunt, qui fidelium oblationes aut negant Ecclesiis, aut cum difficultate reddunt, quos *tamquam egentium nêcatores* antiqua concilia execrantur (3).

(1) Adversus eos, qui audent: "convertere, & torquere sententias, Sac. Scripturæ ad scurrilia, scilicet fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias, & diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos," gravissimum decretum est Concilii Tridentini *Sess. 4. in Decret. de Edit. & usus sacr. libror.*

(2) Non desunt, qui semper sacrilegium admitti putant, cum res aliqua ex loco sacro auferatur, licet ea sacra non sit. Sed plerique distinguunt res non sacras, quæ Ecclesiæ tutelæ, & custodiæ sunt creditæ, à rebus non sacris, quæ nullam habent hujusmodi tutelam, quæque casu in Ecclesia reperiuntur. Tantum cum illæ, non item cum hæ auferuntur, sacrilegium committitur. Confer Gonzalezium *in c. 8. de For. competen. n. 4. Canon Apostolorum 72. al 64. apud Cotelierium PP. Apostolic. t. 1. p. 451. ed. Amstelæd. 1724. segregari jubet clericum, aut laicum qui abstulerit ex Sancta Ecclesia ceram, vel oleam.* Huc etiam referendi sunt *Traditores*, vel *Proditores*, qui scilicet persecutionis tempore sacros codices, vel sacra vasa ethnicis tradidissent, & de quibus agit Concilium Arelatense I. *can. 13. t. 1. col. 1452. Collect. Labbæi.* Hujus criminis rerum Cæcilianum accusabant Donatistæ; quibus respondet Augustinus *Ep. 185. n. 4. ad Bonifac. opp. tom. 2. col. 644. ed. Venet. 1729. Si vera essent, quæ ab eis Cæciliano objecta sunt. . . ipsum jam mortuum anathematizarem.* Revera qui hæc Cæciliano objiciebant, ipsi Traditores erant, uti ex actis Concilii Cirtensis ostendunt Opratus Milevitanus *l. 1. de Schism. Donat. c. 13. & 14. p. 14. & 15. ed. cit.*, & Augustinus *Ep. 76. al 17. ad Donatistas n. 2. opp. t. 2. col. 180. ed. cit.*

(3) Ita loquitur Concilium Carthaginense IV. *can. 95. t. 2. concil. col. 1444. collect. Labbæi*, cum quo consentiunt Vasense II. *can. 4. t. 4. col. 718.*, & Turonense II. *can. 25. t. 6. col. 546.* Videndus quoque Ambrosius *de Peniten. l. 2. c. 9. opp. t. 5. p. 261. ed. Maurin. Ven. 1781.*

§. IV. Poenæ in sacrilegos partim legibus constitutæ sunt & partim judicis arbitrio infliguntur. Poena legibus constituta est excommunicatio, in quam incidunt ipso facto, ut ajunt, qui in clericum, aut monachum violentas manus injecerunt, qui ecclesiasticam immunitatem violarunt, qui ecclesiam violenter confringere, ac spoliare ausi sunt (1), qui eam incenderunt (1). Reliquæ poenæ sunt carceres, triremes, & qui gravius deliquerunt, etiam capitis poena plectuntur.

bito ad crimen, atque ad personas arbitrariæ poenæ constituuntur.

(5) *Cap. 18. de Hæret. in 6.*

(6) *Cap. 2. de Maledic. ibique Gonzalez n. 7.*

TITULUS XI.

De sacrilegio.

I. Sacrilegium quid, & quotuplex? III. Quomodo sacrilegium reale?

II. Quomodo personale, aut locale? IV. Poenæ in sacrilegos.
le sacrilegium admittitur?

§. I.

Ut blasphemia verbis, ita sacrilegium facto injuriam Deo irrogat. Est autem sacrilegium violatio rei sacræ, quæ scilicet cultui divino addita est, ac triplex ejus genus distinguitur (1). Aliud nimirum est sacrilegium personale, per quod injuria personæ sacræ, clerico, regulari, moniali infertur; aliud locale, per quod debitus sacro loco honor, & reverentia denegatur; denique aliud reale, quod admittitur contra res sacras, quæ speciatim ad cultum divinum pertinent, uti sunt sacramenta, calices, Sanctorum imagines, reliquiæ.

(1) Confer S. Thomam 2. 2. qu. 99. art. 1.

§. II. Personale sacrilegium committunt, qui ecclesiasticam clericorum immunitatem violant, aut in eos violentas manus injiciunt, quique cum personis coeunt Deo dicatis. Localis sacrilegii reus est, qui localem violat ecclesiasticam immunitatem, aut in loco sacro vetitos exercet actus, qui speciatim Ecclesiæ lege loci sanctitati adversantur. Hujusmodi sunt homicidium, humani sanguinis, aut seminis effusio, sepultura infidelis, aut excommunicati vitandi, per quæ omnia locum sacrum pollui, superiore loco demonstratum est.

§. III. Sacrilegium reale pluribus modis admittitur. Graviora hujusmodi sacrilegia sunt, cum in profanos & multo magis cum in pravos, turpesque usus convertuntur Ecclesiæ, altaria, sacra vasa, vestes altaris ministerio additæ, sacri codices, cetera generis ejusdem (1). Furtum quoque sacrilegium est, si res sacra, aut non sacra, sed ta-

men Ecclesiæ tutelæ, & custodiæ commendata, auferatur (2). Eodem recidunt, qui fidelium oblationes aut negant Ecclesiis, aut cum difficultate reddunt, quos *tamquam egentium nêcatores* antiqua concilia execrantur (3).

(1) Adversus eos, qui audent: "convertere, & torquere sententias, Sac. Scripturæ ad scurrilia, scilicet fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias, & diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos," gravissimum decretum est Concilii Tridentini *Sess. 4. in Decret. de Edit. & usus sacr. libror.*

(2) Non desunt, qui semper sacrilegium admitti putant, cum res aliqua ex loco sacro auferatur, licet ea sacra non sit. Sed plerique distinguunt res non sacras, quæ Ecclesiæ tutelæ, & custodiæ sunt creditæ, à rebus non sacris, quæ nullam habent hujusmodi tutelam, quæque casu in Ecclesia reperiuntur. Tantum cum illæ, non item cum hæ auferuntur, sacrilegium committitur. Confer Gonzalezium *in c. 8. de For. competen. n. 4. Canon Apostolorum 72. al 64. apud Cotelierium PP. Apostolic. t. 1. p. 451. ed. Amstelæd. 1724. segregari jubet clericum, aut laicum qui abstulerit ex Sancta Ecclesia ceram, vel oleam.* Huc etiam referendi sunt *Traditores, vel Proditores*, qui scilicet persecutionis tempore sacros codices, vel sacra vasa ethnicis tradidissent, & de quibus agit Concilium Arelatense I. *can. 13. t. 1. col. 1452. Collect. Labbæi.* Hujus criminis rerum Cæcilianum accusabant Donatistæ; quibus respondet Augustinus *Ep. 185. n. 4. ad Bonifac. opp. tom. 2. col. 644. ed. Venet. 1729. Si vera essent, quæ ab eis Cæciliano objecta sunt. . . ipsum jam mortuum anathematizarem.* Revera qui hæc Cæciliano objiciebant, ipsi Traditores erant, uti ex actis Concilii Cirtensis ostendunt Opratus Milevitanus *l. 1. de Schism. Donat. c. 13. & 14. p. 14. & 15. ed. cit.*, & Augustinus *Ep. 76. al 17. ad Donatistas n. 2. opp. t. 2. col. 180. ed. cit.*

(3) Ita loquitur Concilium Carthaginense IV. *can. 95. t. 2. concil. col. 1444. collect. Labbæi, cum quo consentiunt Vasense II. can. 4. t. 4. col. 718., & Turonense II. can. 25. t. 6. col. 546.* Videndus quoque Ambrosius *de Peniten. l. 2. c. 9. opp. t. 5. p. 261. ed. Maurin. Ven. 1781.*

§. IV. Poenæ in sacrilegos partim legibus constitutæ sunt & partim judicis arbitrio infliguntur. Poena legibus constituta est excommunicatio, in quam incidunt ipso facto, ut ajunt, qui in clericum, aut monachum violentas manus injecerunt, qui ecclesiasticam immunitatem violarunt, qui ecclesiam violenter confringere, ac spoliare ausi sunt (1), qui eam incenderunt (1). Reliquæ poenæ sunt carceres, triremes, & qui gravius deliquerunt, etiam capitis poena plectuntur.

(1) *Cap. 22. de Sentent. excom.*(2) *Cap. 19. cod.*

TITULUS XII.

De Perjurio.

I. Jusjurandum ab Ecclesia approbatum. II. Poenae in perjuros.

§. I.

Nullum vinculum ad stringendam fidem jurejurando acutius esse, omnes semper intellexerunt. Vix enim credibile est, esse hominem tam impudentem, ac perditum, qui non totis artibus contremiscat, cum audet fidem fallere ab se datam, Deo interposito tum iudice, tum teste. Quare Ecclesia probat, semperque probavit jusjurandum, ut homines firmiter teneant, quod Deo teste affirmate dixerunt; & plane desipiunt, qui commune jusjurandum improbant, quod justis de causis emittitur (1). Vetat quidem Ecclesia aliquem temere, & inconsiderate, atque ex levi, & inani causa jurare (2); sed fides, & religio jurisjurandi, quæ justas habet causas, merito recepta, & probata est (3).

(1) Paschasius Quesnellus *Obscr. moral. Matth. c. 5. vers. 37.* "nihil Spiritui Dei, & doctrinæ Jesu Christi magis opponi arbitratur, quam communia facere juramenta in Ecclesia, quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis, & effundere, ut nomen, & veritas Dei aliquando deserviat consilio impiorum, "Quæ est propositio 101. damnata in *Const. Unigenitus*. Sed, quod bene animadvertentur 40. Galliarum Præsules in *Instruct. Pastoral. accept. Const. Unigenitus*, sua hac sententia Quesnellus hoc sibi unum propositum habuit, ut vituperaret commune juramentum, quod ex formula Alexandri VII. exigitur, licet deinceps ejus assecræ hanc sententiam traduxerint ad omnia juramenta quæ à legitimis Potestatibus requiruntur. Ante Quesnellum Pelagiani, ut testatur Augustinus *Ep. 157. n. 40. & 41. opp. t. 2. col. 559. ed. Ven. cit.*, commune jusjurandum improbarunt. Errorem hunc, cui nunc adhærent, qui sunt de secta Quackerorum, & Anabaptistarum, integrarunt Cathari, & Valdenses, quos refutavit Vne. Moneta peculiari opere *adversus Catharos, & Valdenses l. 5. c. 9. p. 462. & seq. ed. Rom. 1743.* in Synodo Constantiensi damnatus hic error Wiclei est *Sess. 8. art. 43. t. 16. concil. col. 936. Collect. Labbæi. Juramenta illicita sunt, quæ fiunt ad roborandos humanos contractus, & commercia civilia*. Est autem distinguenda, quod perperam aliqui non faciunt, invocatio Dei in testem ab imprecatione, seu

execratione, qua sibi jurans, si fallat, imprecatur, ut sibi ex. gr. Deus iratus sit. Sane utrumque esse distinguendum, constat ex juramenti formula, quæ extat apud Plautum in *Ruden. act. 5. scen. 2. vers. 51. & seq. p. 1033. ed. Lugduni Batav. 1669.*, atque ex aliis formulis quas collegit Barnabas Brissonius de *Formulis*. Consule Sigonium l. 3. de *Republ. Atheniens.*, ubi refertur jusjurandum, quo se Heliastæ Atheniensium iudices obstringebant. Pulchre S. Thomas duplex jusjurandum distinguit 2. 2. qu. 89. art. 1. ad 3. arg. "Alterum quidem est, inquit, per simplicem contestationem, sicut cum aliquis dicit: Est mihi Deus, testis, vel coram Deo loquor, vel per Deum, quod idem est; aliud, est per execrationem &c."

(1) Deum vocare testem in re ludicra, & inani est in *vanum Dei nomen assumere*. Confer S. Joannem Chrysostomum *Hom. 9. n. 5. in Act. Apostolor. t. 9. p. 76. ed. Montsiauconii Paris.* S. Augustinus *Serm. 180. al. 28. de Verb. Apostol. c. 9. opp. t. 7. col. 864. ed. Maurin. Ven. 1762.* Catechismus Romanum de *Secund. præcept. par. 3. c. 3. n. 7. et 13.* Quod si peccat, qui Deum testem appellat in re, quæ parvi interest, multo magis peccat, qui se peccatum aliquod sive lethale, sive veniale facturum jurat. Peccat autem lethaliter. Adis S. Ambrosium de *Offic. ministror. l. 3. c. 12. t. 4. p. 471. ed. Ven. 1781.*, Salvianum l. 4. de *Gubernat. Dei n. 15. 16. p. 83. ed. Pedepont. 1743.*, Concilium Toletanum VIII. c. 2. t. 7. *Concil. col. 414. Collect. Labbæi, Ilerdense can. 7. t. 5. col. 752.*, & S. Thomam 2. 2. qu. 98. art. 2. ad 1. argum. Hinc merito ab Innocentio XI. an. 1679. damnata est hæc propositio: "vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem."

(3) Juramenti auctoritatem, religionem, fidem probant Sacræ Litteræ, in quibus ea occurrunt: "Vivit Dominus: per memetipsum, juravi, & non poenitebit eum," & alia similia. Imo passim Theologi observant, omnem Dei promissionem, atque assertionem juramentum esse. Jeremias IV. 2. *jurabitis, inquit in veritate, & iudicio, & justitia*, quæ sunt tres conditiones, quas & Ecclesia in juramento requirit, quibusque servatis recte commune jusjurandum emittitur. Paulus etiam non semel in epistolis jurat, ut I. ad *Corinth. XV. 31. Roman. I. 9. Philipp. I. 8.*, & ad *Hebræos VI. 12. & seq.* ubi Apostolus à Deo emissum jusjurandum memorat. Idemque quoque confirmant Patres, in primis vero Athanasius *Apolo. ad Constant. n. 8. opp. t. 1. p. 238.*, et *Exposit. in psalm. 62. p. 881. ed. Patavii 1777.*, Hilarius in *Psalm. 62. opp. t. 1. col. 176.*, & de *Trit. l. 5. n. 30. t. 2. col. 123. ed. Verone 1730.*, Liberius *ep. 4. ad Constant. n. 3. apud Coustantium ep. Rom. Pontific. col. 425.* Augustinus *Serm. 180. al. 28. de Verb. Apostolic. c. 4. t. 5. col. 861. ed. cit. Si peccatum, inquit, esset juratio, nec in veteri Lege diceretur, non perjurabis, reddes autem Domino jusjurandum tuum.* "Non enim peccatum præciperetur nobis . . . & c. 5. ut nove-

, veritis verum jurare non esse peccatum, invenimus & Apostolum Paulum jurasse &c., & c. 2. col. 859. Invenimus jurasse primitus ipsum Dominum, in quo non est omnino peccatum. *Juravit Dominus, & non panitebit eum &c.* Aternitatem Sacerdotii filio cum juramento promisit. Habet etiam, *per memetipsum juro dicit Dominus: & illud juratio est: vivo ego dicit Dominus: Quomodo homo per Deum, ita Deus per seipsum.* Non est ergo peccatum jurare . . . jurat Deus, qui peccatum non habet. Non ergo est peccatum jurare; sed magis peccatum est perjurare. Vide etiam S. Thomam 2. 2. q. 89. art. 2., & Innocentium III. in c. 26. de Jurejur. Eadem est perpetua Ecclesie disciplina. Evagrium Constantinopolitanum Diaconum lectis Evangelicis jurasse, scribit Sozomenus *Histor. t. 6. cap. 30. p. 263. ed. Cantabrig. 1720.* Concilium Toletanum VIII. can. 2. t. 7. col. 414. *Collect. ejusd.* justas jurandi causas describit. Patres Concilii Constantinopolitani Oecumenici VI. Act. 14. t. 7. col. 1011. Georgium Diaconum in singulis propositis questionibus jurare coegerunt; de jurejurando à Marcellino Comite interposito in collatione inter Catholicos, ac Donatistas testimonium perhibet Augustinus *Collat. Carthag. die 1. c. 5. opp. t. 9. col. 546. ed. cit.* Constantinus M. Arij juramentum accepit, ipseque L. 4. *cod. Theod. de Accusat.* jurejurando concludit. Similiter jurisjurandi mentionem facit Arcadius L. 8. *Theod. de Pactis*, atque illud ad dirimendas lites precidendas quæ calumnias interponi vult Justinianus L. 2. *cod. de Juram. propt. calumn.* Ne omnia persequar, quæ prope innumera sunt, Concilium Constantiense reconciliandos singulis propositis articulis jurejurando respondere jussit: ac Synodus Tridentina à Magistris, à novis Canonicis, atque ab aliis sacramentum emitti voluit Quæ ex Sacris Litteris contra jusjurandum educi solent, præclare diluuntur à S. Augustino *Serm. 180. cit. col. 859 seq.*, S. Hieronymo *Comment. in Matth. c. 5. ver. 34. t. 7. col. 30. ed. Vallarsii Verona. S. Thoma cit. qu. 89. art. 2. ad arg. 1 & 2.*, Pilichdorffio *contr. Valdens. c. 36. t. 25. Biblioth. PP. p. 298. ed. Lugdun.*, Ebrardo in *Antihæresi adver. Valdens. c. 14. t. 24. ejusdem Biblioth. p. 1555.*, Ven. Moneta *L. cit. par. 1. §. 1. et seq. p. 463. et seq.*, Innocentio III. *cit. cap. 26. de Jurejur.* S. Joannem Chrysostomum ab ea, quam illi Anabaptistæ impingunt, calumnia egregie liberat doctus Auctor notationum in Ven. Moneta *l. c. not. 36. p. 475.* Consule *Cathechismum Romanum de 2. Præcept. par. 3. c. 3. n. 15. et 16.* Interpretes Sac. Scripturæ in *Eccles. c. 23., et in Matth. c. 5.* præterea PP. Maurinos in *Hilarium in Matth. c. 4. n. 23. lit. g. col. 687. t. 1. ed. Verona 1730.*, Paulum la Fontaine *t. 3. const. Unig. prop. ult.*, P. Paulum a Lugduno *t. 2. Antieapl. prop. ult.*, Vivam *prop. damnat. Quesnelli 101.*

§. II. Cum autem jurisjurandi fides sancta esse debeat, facile intelligitur, quam grave sit scelus eorum, qui hanc fidem fallunt, hoc est perjurium admittunt. Nam hi non tantum fidem, sed etiam graviter negligunt reverentiam de-

bitam Deo, quem fidei testem advocarunt (1). Hinc plures adversus perjuros poenæ sunt constitutæ. Eos non secus ac fures, & adulteros sese ab altari rejecturum minatur Chrysostomus (2); per undecim vero annos communio- nis expertes esse Basilius jubet (3). Jure civili, & canonico perjuri infames sunt (4), arcentur à ferendo testimonio (5), atque ecclesiasticis beneficiis (6); & aliis etiam pro rerum, criminisque ratione poenis subjiciantur.

(1) Confer S. Augustinum *Serm. 180. al. 28. c. 6. et 7. opp. t. 7. col. 862. ed. Ven. 1762.*, S. Joannem Damascenum *Sacr. paral- lel. lit. o. tit. 12. opp. t. 2. p. 631. ed. Leqhiensis Ven. 1748.*, S. Thomam 2. 2. qu. 98. art. 2., *Cathechismum Romanum p. 3. c. 3. n. 20.*

(2) S. Joannes Chrysostomus *Homil. 17. in Matth. n. 5. opp. t. 7. col. 28. ed. Paris. 1727.*

(3) S. Basilius *Epist. canon. can. 64. apud Labbæum conc. t. 2. col. 1526. ed. Ven.*

(4) L. 8. *cod. Theod. de Pactis, can. 9. caus. 3. qu. 5., can. 17. caus. 6. qu. 1., can. 7. caus. 22. qu. 5.*

(5) *Cap. 7. et 54. de Testib.*

(6) Confer Gonzalezium in c. 11. de Jurejur. n. 8.

TITULUS XIII.

De divinatione.

- I. Divinatio quid, & quotuplex? IV. Pactum cum Satana.
 II. Augurium. V. Pœnæ in eos, qui divinationi, &
 III. Sortilegium. sortilegio student.

§. I.

Divinatio significat præensionem, & scientiam rerum futurarum. Hæc autem ars non solum vana, & inutilis, sed etiam impia comprehendit astrologiam, augurium, sortilegium, divinationem per pactum, quod cum Satana conventum dicitur. Astrologia pertinet ad trajectiones, motusque stellarum, & qui ex earum rerum observatione significari, prædicique putant, quid cuique eventurum, & quò quisque fato natus sit, Astrologi dicuntur; olim & Mathematici vulgo dicebantur. Genus hominum ineptissimorum vehementer improbant non ecclesiasticæ solum (1), sed etiam civiles leges (2).

(1) Vide Tertullianum *de Idololatr. c. 9. p. 89. ed. Paris. Rigaltii 1675.*, Auctorem *Constit. Apostol. l. 8. c. 32.* apud Cotelierum *PP. Apostol. t. 1. p. 417. ed. cit.*, S. Leonem M. *Serm. 27. c. 3. et 4. opp. t. 1. col. 94. et Serm. 57. c. 5. col. 217. ed. Ballerin. Ven. 1753.*, S. Augustinum *de Doctrin. Christ. l. 2. c. 23. opp. t. 3. col. 43. & Serm. 9. c. 3. t. 7. col. 50. ed. Ven. 1762.*, S. Hieronymum *in Isaiam l. 13. c. 48. opp. t. 4. col. 453. et 454. ed. Vallarsii Ven. 1767.*, præterea Concilium Tolitanum I. *in Regul. fidei contr. Priscillianist. t. 2. Concil. col. 1477. Collect. Labbæi*, quod ob hoc potissimum crimen anathematis pœnam in Priscillianistas constituit. Hi enim, ut testantur Leo M. *ep. 25. ad Turribium c. 11. opp. t. 1. col. 703. ed. Ballerin. Ven. 1753.*, S. Augustinus *de Hæres. c. 70. opp. t. 10. col. 25. ed. cit.* omnia fato, ac syderum conversioni adscribebant. Eadem ars dicta etiam fuit Astrologia *Apotelesmatica*; quoniam occulti effectus, & potestates astrorum in conjunctione, & oppositione *Apotelesmata* vocabantur. Hinc qui eam artem exercebant *Apotelesmatici* appellati sunt, atque etiam *Mathematici*, & *Chaldaei*, eaque ars eadem fuit, ac *Astrologia judiciaria*, quam vocamus. Eusebium Emisenum accusatum fuisse, quod hanc artem tractaret, eaque de causa relicto Episcopatu fugam arripuisse, scribit Sozomenus *Histor. l. 3. c. 6. p. 99.*

ed. Cantabrig.; & Aquilam Ponticum, quod nimium Mathematicorum artibus tribueret ab Ecclesia ejectum fuisse, narrat Epiphanius *de Mensur. et pond. §. 15. opp. t. 2. p. 171. ed. Coloniae 1682.* Aliud simile de Astrologo exemplum habet Augustinus *de Mathemat. ad calc. Tract. in ps. 61. opp. t. 5. col. 803. ed. cit.*

(2) Consule utrumque Codicem Theodosianum, & Justinianum *tit. de Mathem. et malefic.*

§. II. Augurium comprehendit *Haruspisium*, & *Aruspicinam*, quibus signa, & indicia quærentur in extis victimarum; & *augurium* angustiori significatione acceptum, quod volatibus avium, cantibusque, ut certissimis signis, declarari res futuras docet, & *omen*, per quod ex hominis voce, atque etiam ex sternutamento indicia capiuntur; & *chiromantiam*, *metoposcopiam*, & *notomantiam*, quibus aliquis ex manibus, ex vultu, ac fronte, vel ex dorso res occultas, & latentes indagare conatur. Quantam Romani inanissimis hisce artibus operam dederint, res est nota cunctis, & mandata monumentis; sed eas semper Ecclesia gravissime improbavit (1).

(1) Consule Auctorem *Const. Apostol. l. 8. c. 32.* apud Cotelierum *PP. Apost. t. 1. p. 417. ed. cit.*, S. Cyrillum Hierosol. *Cath. 19. mistag. 1. n. 8. p. 309. ed. Ven. 1763.*, S. Augustinum *de Doctrin. Christ. l. 2. c. 20. seq. opp. t. 3. col. 40. ed. Ven. 1759.*, S. Thomam 2. 2. q. 95. art. 2. Concilium Eliberitanum *can. 62. t. 1. Conc. col. 999. Collect. Labbæi*, Agathense *can. 42. t. 5. col. 528.* Veneticum *can. 16. t. 5. col. 82. Aurelianense I. can. 30. t. eod. col. 547.*

§. III. Sortilegium, sive divinatio per sortes fit, cum per sortes quæritur, quid agendum quidve vitandum sit. Ethnici divinabant per sortes, quas *Virgilianas* vocabant; cum scilicet temere arrepto Virgilii Poætæ libro, quicumque versus primum occurreret pro sorte, & oraculi loco habebatur. Ita Hadrianum, & Alexandrum Severum Virgilianas sortes de Imperio consuluisse Spartianus (1), & Lampridius (2) memoriæ prodiderunt. Eodem prorsus modo superstitiosi quidam Christiani sacris Biblis abutebantur, quod *sacras sortes* appellabant, quodque complurium Synodorum canonibus damnatum est (3). Haud tamen ve-

titum est adhibere sortes, quas *politicas* vocamus (4), ut si agri sortibus dividantur, aut in exercitu definiatur, quis primus impetum in hostem facere debeat. Verum Ecclesiastica officia, & canonicæ erectiones sortibus committi non debent (5); nisi ea de re peculiare Christi mandatum sit, uti in electione Matthiæ Apostoli factum est (6).

(1) Spartianus in *Vit. Hadrian. p. 19. & 20. inter Histor. August. Script. tit. 1. ed. Lugdun. Batav. 1671.*

(2) Lampridius in *Vit. Alex. Sever. p. 899. eod. loc. t. 1.*

(3) Confer Concilium Agathense, Venevicum, Aurelianense I. *loc. mox cit.*, & vide etiam S. Augustinum *ep. 55. c. 20. opp. t. 2. col. 189. ed. Ven. 1759.*

(4) Consule Augustinum *ep. 228. ad Honorat. num. 12. opp. t. 2. col. 1086. ed. cit.*, & de *Doctrin. Christian. l. 1. c. 28. t. 3. col. 17.*

(5) *Cap. ult. de Sortileg.*

(6) De hac Matthiæ per sortes facta electione Hieronymus in *Jonam c. 1. ver. 7. opp. t. 6. col. 398. ed. Vallar. Veron.* habet hæc: "Nec statim debemus sub hoc exemplo sortibus credere, vel illud de actibus, Apostolorum huic testimonio copulare, ubi sorte in Apostolatum Matthiæ eligitur; cum privilegia singulorum non possint facere legem communi." Confer N. Alexandrum *Hist. eccles. l. 1. c. 1. t. 3. p. 7. ed. Ven. 1776.*

§. IV. Deterior est divinatio per explicitum pactum cum Satana; nimirum cum ipse Satanus dat responsa consulenti aut per imagines, & idola, quæ *oracula* dicebantur; aut per suos vates, quos *Pythones*, aut *Pythonsas* vocabant, hoc est genio familiari, si-ve spiritu fatidico agitato; aut per somnia, quod appellabant *νεπρομαντείας*, hoc est *vaticinationem per somnia*; aut per spectra, & visiones mortuorum, quod proprie dicebant *νεπρομαντείας*, hoc est *vaticinationem*, quæ fiebat evocatis mortuis, aut per cranium hominis mortui, quod *κρανομαντεία* dicebatur; aut per certa signa, & figuras factas in terra, vel aqua, aere, igne, vitro, cibro, & sexcentis aliis fallaciarum modis (1). Gravissimum hoc crimen quod aliquid in se admixtum habet ex idololatria, hæresi, incredulitate, apostasia, sacrilegio, hyprocrisi, curiositate, & ambitione, semper asperioribus pœnis non ecclesiasticæ solum (2), sed etiam civiles leges (3) coarctant.

(1) Late de his omnibus agunt, præter ceteros, Martinus Delrio *Disquis. magic. l. 4. c. 2.*, & Leonardus Lessius *de Justit. et jur. l. 2. c. 43. dub. 5.*

(2) Confer Auctorem *Const. Apostol. l. 8. c. 32. cit.*, & Concilium Ancyranum *can. 23. t. 1. Concil. col. 1506. Colect. Labbæi.*

(3) *L. 4. cod. Theod. de Malefic. et mathem.*, quam in legem vide Gothofredum.

§. V. Romani Pontifices pro cura, & solitudine, quam habent, totius Ecclesiæ, saluberrimas edidere leges, quibus antiquiora ecclesiastica decreta confirmata sunt, & provisum est diligentius, ut Christiani homines ab inani, & improbo divinationis studio deterreantur. Huc sane spectant Decretales à Gregorio IX. descriptæ (1), & his recentiores Constitutiones Leonis X (2), Sixti V. (3), Gregorii XV. (4), Urbani VIII. (5), quibus sortilegiorum rei pœnitentiæ subji- ciuntur, & infamia notantur, perseverantes autem in sce- le, laici excommunicationis, clerici depositionis pœna plec- tuntur, atque ecclesiasticis beneficiis privantur, aliisque e- tiam tam clerici, quam laici pro criminis immanitate pœ- nis afficiuntur. Non tantum autem his pœnis subsunt, sed etiam à sacrificio Missæ celebrando perpetuo repelluntur Sacerdotes, qui ipso sacrificio abuti ad sortilegia ausi sunt (6).

(1) *Cap. 1. & 2. de Sortileg.*

(2) Leo X. *const. supernæ 8. §. 41. in Bullar. Roman. ult. ed. t. 3. part. 3. p. 400.*

(3) Sixtus V. *const. cæli & terræ 26. t. 4. part. 4. p. 176. Bullar. Roman.*

(4) Gregorius XV. *const. omnipotentis Dei 101. t. 5. part. 5. Bul- lar. Roman. p. 97.*

(5) Urbanus VIII. *const. inscrutabilis 362. t. 6. part. 1. Bullar. p. 268.* qua quidem constitutione præsertim gravissimis afficiuntur pœnis Astrologi, qui de statu Christianæ Reipublicæ, vel Sedis Apostolicæ, aut de vita Summi Pontificis, ejusque consanguineorum judicium ferunt.

(6) Decretum sac. Romanæ Inquisitionis *die 5. Augusti 1745*, quod à Benedicto XIV. comprobatum est.

TITULUS XIV.

De magia.

I. Magia quid?

II. Poenæ in magos.

§. I.

Divinationi affinis est magia superstitiosa, quæ proprie à rei Canonice Scriptoribus magia nuncupatur, per quam scilicet ope doemonis magna, & mirabilia fieri videntur (1); eaque sic distinguitur à magia naturali, per quam à philosophis per causas naturales sæpe mira patrantur. Sed magia à divinatione differt, quod per illam fiunt, quæ mirabilia apparent, per hanc autem occulta quærentur. Magi sæpe *venefici*, & *malefici* appellantur, quoniam aliis veneno, atque præstigiis mala afferre conantur. Hos morte mulctari jubet Constantinus (2), atque ipsis etiam spem prorsus adimit veniæ, quæ in Paschate criminum reis concedebatur (3).

(1) Confer Mamachium, qui *Origin. & antiquit. Cristian. l. 3. c. 1. §. 8. t. 3. p. 128. & seq.* copiose refellit opinionem eorum, qui magos unquam vixisse inficiantur.

(2) *L. 3. & 5. cod. Theod. de Malefic.*

(3) *L. 1. 3. 4. 6. 7. 8. cod. Theod. de Indulgent. crimin.*

§. II. Ecclesie legibus magi iisdem, quibus sortilegi, poenis afficiuntur, nimirum excommunicatione, & si clerici fuerint, depositione (1). Qui sortilegio, aut maleficio suo alienæ mortis causa fuit, sæculari curiæ tradendus est, ut meritis plectatur poenis; qui maleficio, & sortilegio mortis causam non dedit, in perpetuum carcerem detruditur (2). Etiam consules magos, atque sortilegos in excommunicationem incidunt, & si clerici fuerint, gradu, ac dignitate moti perpetuæ poenitentiae subjiciuntur (3). Sed his in rebus, ut plurimum, locus est arbitrio judicis, qui pro criminis, & rerum ratione modo leviores, & modo asperiores poenas infligit.

(1) Consule Decretum *caus. 26. qu. 5.*, & *Decretales in tit. de Sortileg.*; item Concilium Laodicense *can. 36. t. 1. Concil. col. 1538. Collect. Labbæi, Ancyranum can. 23. t. 1. col. 1500.*, Carthaginense IV. *can. 89. t. 2. col. 1444.*, ut mittam quæ Auctor *Recognitionum l. 4. n. 26. & seq.* apud Cotelierum *PP. Apostol. t. 1. p. 543. ed. Amstæled. cit.*, Tertullianus *de Idololatr. c. 9. p. 89. ed. Paris. 1675.* Origenes *contr. Cels. l. 1. n. 24. p. 342, & l. 4. n. 34. opp. t. 1. p. 527. seq. ed. Paris. 1733.* adversus hoc crimen scriptum reliquerunt.

(2) Gregorius XV. *cit. const. Omnipotentis Dei.*

(3) Concilium Triletanum IV. *can. 29. Concil. t. 6. col. 1460. Collect. Labbæi.* Confer etiam paulo ante laudatam Urbani VIII. *Constitut.*

TITULUS XV.

De delictis venereis.

- | | |
|--|--|
| I. Venereorum criminum species. | VI. Incestus. |
| II. & III. Pœnæ fornicationis, & concubinatus. | VII. Sacrilegii. |
| IV. Stupri. | VIII. Raptus. |
| V. Adulterii. | IX. Sodomiz, & concubitus cum bestiis. |

§. I.

Venereorum criminum species sunt fornicatio simplex, concubinatus, stuprum, adulterium, incestus, sacrilegium, raptus, sodomia, conjunctio cum bestiis, quæ vulgo *bestialitas* appellatur. Fornicatio est voluntarius concubitus viri cum muliere, qui duo inter se inire matrimonium possent, quoniam neuter alio vinculo obstrictus est. Concubinatus est conjunctio, seu consuetudo viri soluti, hoc est matrimonio non obligati, cum soluta item fœmina, quæ uxoris loco non est: stuprum vetita compressio virginis; adulterium alieni thori violatio (1); incestus conjunctio affinium, aut consanguineorum; sacrilegium concubitus cum persona, quæ se Deo vovit; raptus violenta abductio honestæ personæ libidinis explendæ causa (2). Sodomia est conjunctio duarum personarum ejusdem sexus, quæ sodomia *perfecta* dicitur, eam vero proxime sequitur sodomia *imperfecta*, quam admittunt duæ personæ dissimilis sexus, quæ corporum copulatione violarunt ordinem, quem liberorum procreandorum causa natura constituit. Denique est *bestialitas*, cum quis libidine sua bestias appetivit.

(1) Adulterium jure civili tantum in alienam conjugem l. 34. ff. ad l. Jul. de Adulter.; jure vero canonico à marito alieno in quamlibet etiam innuptam fœminam committitur can. 13. 15. cau. 32. qu. 5. Falso autem Cujacius in *Decretal. c. 4. tit. 1. l. 1. opp. t. 6. col. 762. ed. Ven.* reprehendit Alexandrum III., quod, ut ipse inquit, in c. 4. de jud. adulterium inter leviora crimina recensuit. Cujacium sequuntur hæretici complu-

res, quorum in Romanos Pontifices insigne odium est, atque inter eos Antonius Mathæus de crim. proleg. c. 6. eo usque impudentia progreditur, ut ad hoc vitium proclivem audacissime dicat sanctissimum Pontificem, cujus continentia omnibus monumentis testata est, ac ne in suspicionem quidem adducta in eo dicitur, ac diuturno schismate, quo ipse vexatus fuit, opera præsertim Friderici I. Imperatoris, qui contra eum tres, aut quatuor, ut alii putant, Anti-Papas impense fovit. Sed impudentissimam calumiam invicte refutavit Carolus Blaschus *Diatrib. 2. ad c. 4. de jud. inter ejus opuscul. canonic. Neapoli edita an. 1758. t. 1. p. 163. seq.*

(2) De his, ceterisque criminibus, quorum hoc loco mentio est, copiose agit Renazzius *Instit. crimin. l. 4. per tot.*

§. II. Simplex fornicatio, præsertim clericorum, antiquis canonibus variis puniebatur pœnis (1); nunc fere omnes judicis arbitrio relictae sunt. De concubinato multa jure novo Concilii Tridentini (2) sapienter sunt constituta. Nimirum qui in ejus sceleris contagione versantur; ter ab Episcopo monendi, & si monitis non obediant, excommunicandi, aliisque etiam plectendi sunt pœnis, cum per annum censuras neglexerunt. Concubinæ vero ab Episcopis ex officio graviter puniendæ sunt, atque extra oppidum, vel diocesim relegandæ.

(1) Canon Apostolicus 53. apud Cotelierum l. c. p. 450., & Concilium Neocæsariense can. 9. t. 1. Concil. col. 1511. collect. Labbæi hujus criminis reos nunquam inter clericos cooptari, & cooptatos per ignorantiam offerendi munere privari voluerunt. Virginibus, quæ virginitatem suam non custodierint, pœnitentiam imponit Concilium Eliberitanum can. 14. col. 994. t. 1. Concil. collect. Labbæi.

(2) Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 8. de Reform. matrim.

§. III. Clerici concubinarii, si nullum habeant beneficium, in carceres detruduntur, suspenduntur ab ordine, ab obtinendis in posterum beneficiis repelluntur, aliisque etiam, pro Episcopi arbitrio, & prudentia, criminisque natura pœnis subjiciuntur. Clericus autem beneficiarius semel monitus, & in scelere perseverans privatur tertia parte fructuum beneficiorum, qui ab Episcopo Ecclesiæ, vel alteri pio loco adscribuntur. Si iterum monitus non resipiscat, cunctis privatur fructibus, atque etiam Episcopi arbitrio à beneficii administratione suspenditur; si neque his monitis pareat,

cuncta ei beneficia, & officia adimuntur, spesque omnis prædicatur aliorum in posterum obtinendorum; denique si nondum deserat pravum vitæ institutum, pœna excommunicationis plectitur. Episcopus hujus criminis reus à provinciali Synodo monendus est, monita despiciens suspenditur, & adhuc flagitiose vivens à Summo Pontifice Episcopatu privatur (1).

(1) Concilium Tridentinum *Sess. 25. c. 14. de Reform.*

§. IV. Stuprum à Clerico illatum Ecclesiæ leges multant pœna depositionis ab officio, & onere dotandi puellam, quæ vim passa est (1). Hodie præter dotationem, suspensio, multa pecuniaria, carcer etiam perpetuus, aliæque pœnæ Episcopi arbitrio infliguntur. Laicus, qui hujusmodi crimen patravit, aut dotare, aut uxorem ducere debet mulierem, cum qua concubuit (2); nisi aliud status personarum, aut rerum conditio postulet, quia tunc pecunia dotis loco danda est. Verum qui mulierem compressit, data matrimonii fide, is eandem fidem liberare omnino debet (3). Civiles leges capitis etiam condemnant hominem, qui mulierem per vim stupravit, præsertim valde honestam, aut puellam nondum maturam viro (4). Qui vim intulit, sed stuprum perficere non potuit, subest pœnis, quæ judicis arbitrio infliguntur.

(1) *C. 1. de Adulter. et stupr.*

(2) In *c. 1. cit.* statuitur, ut qui stuprum intulit, utrumque præstet, scilicet & dotet, & uxorem ducat mulierem, cum qua concubuit. Verum Juris Canonici Interpretes conjunctivam particulam & disjunctivæ accipiunt, ut scilicet criminis reus alterutrum tantum præstare cogatur. Confer Fagnanum in *c. 2. de Adulter. et stupr. n. 2. et 3.*, & Maschat. *Instit. Canonic. l. 5. tit. 16. n. 12.*

(3) Consule Giraldum *Exposit. jur. pontific. l. 5. tit. 16. sect. 834.*

(4) *L. 1. §. ult. ff. de Extraord. crim.*

§. V. Adulterium à Jure Civili gladio (1), à Jure Canonico in laico excommunicatione, in clerico depositione punitur (2), aut uterque certæ pœnitentiæ subjicitur (3)

Mulieres autem in monasterium ad perpetuam pœnitentiam, si eas viri recipere noluerint, detruduntur (4). Hodie adulteri in carceres conjiciuntur, atque aliis subsunt pœnis, quæ legibus, moribusque populorum receptæ sunt; & alicubi adulterium etiam morte multatur (5). Ubique tamen receptum est, ut propter adulterium perpetuum inter conjuges divortium fiat, uti demonstratum supra est.

(1) *L. 30. Cod. ad L. Jul. de Adulter., §. 4. Instit. de Publ. judic.*

(2) *Cap. 6. de Adulter. et stupr.*

(3) Confer Basilium *ep. canon. 1. ad Amphilocho. canon. 3.* apud Labbæum *t. 2. Concil. col. 1509. ed. Ven. Concilia Ancyranum can. 20. t. 1. col. 1494., Eliberitanum can. 64. et 69. t. eod. col. 998. et 1000 Collect. Labbæi.*

(4) *Cap. 19. de Convers. conjug. Auth. Sed hodie, Cod. ad L. Jul. de Adulter.*

(5) Confer Maschatum *Inst. Jur. Canon. l. 5. tit. 16. n. 15.* Huc etiam spectat Constitutio *Ad compescendam 70. in Bullar. t. 4. par. 4. p. 267.* quam contra adulteros, & adulteras. Itemque contra lenones & lenas. Sixtus V. evulgavit.

§. VI. Adulterorum quoque pœnis, aliisque gravioribus, aut levioribus, uti fert ratio criminis, & prudentia judicis, plectuntur incesti, qui scilicet cum consanguineis, aut affinibus usque ad gradus prohibitos concubuerunt. Eodemque jure censentur, qui liberis dedere operam cum ea, quam de sacro fonte susceperunt, vel in chrismate tenuerunt. Illud præsertim est proprium incestus, quod qui eam scieas commisit cum conjugis consanguineis, conjugale debitum petere non potest (1).

(1) *Cap. 1. & 4. De eo qui cognov. consanguin. uxor.* In Urbe, atque in ecclesiastica ditione etiam ultimi suspicii pœna in casibus quibusdam constituta est à Sixto V. *Const. Volentes 80. t. 4. part. 4. Bullar. Roman. p. 294.*

§. VII. Fornicatio clerici, qui in sacris ordinibus versatur, quamquam verum sit sacrilegium, tamen ut simplex fornicatio punitur. At sacrilegium cum moniali commissum gravio-

ri poenæ subjicitur. Num Jus civile hujus criminis reum morte multat, ejusque bona monasterio adscribit (1). Jure canonico laicus, qui monialem compressit, excommunicatur, clericus privatur beneficio, & depositus ab ordine in monasterium, seu potius in carcerem detruditur; ipsa vero monialis, quæ se violari passa est; aut in arctius monasterium, aut in carcerem conjicitur (2). Concubitus Christiani hominis cum Judæa, vel ethnica muliere, licet à simplici fornicatione non differat, plerumque tamen gravius punitur ob injuriam Christiano nomini illatam; ac si promissio accesserit matrimonii, etiam adulterii, non tamen capitis poena à Jure civili coercetur (3).

(1) *L. 5. cod. de Episc. et cleric.*, Nov. 123. c. 43. Sed hodie criminosi bona heredibus relinqui solent *Author. Bona cod. de Bön. proscripi.*

(2) *Can. 6. 11. 25. 28. caus. 27. q. 1.*

(3) *L. 6. cod. de Judæis.*

§. VIII. Raptores virginum, nisi assentiente puella crimen matrimonio purgetur, excommunicatione puniuntur; aut depositione, si clericus raptor fuerit (1). Raptores mulieris, quæ virum habet, subsunt poenis adulterorum, ac ceteris, quæ singularum gentium moribus receptæ sunt (2), sacrarum autem virginum, sive monialium raptores poenas perferunt, quæ à sacris Canonibus contra raptores simul, & sacrilegos sunt constitutæ (3). Jus Civile poena capitis animadvertit in raptoem mulieris, præsertim nuptæ, & illius bona addicit ipsi mulieri, quæ rapta est, modo ingenua, non ancilla, aut libertina sit (4).

(1) *Can. 1. caus. 36. q. 2.*

(2) Concilium Tridentinum *sess. 24. c. 6. de Reform. matrim.* plures constituit poenas contra eos, qui matrimonii ineundi causa mulierem rapiunt. Verum hoc decretum non pertinere ad eos, qui ut suam explerent libidinem, raptum committunt, fere omnes sentiunt. Quare adversus eos obtinere debent poenæ, quæ gentium moribus, & legibus sunt constitutæ, quod recte observat Maschatus *Instit. Jur. Canon. l. 5. tit. 17. n. 4.*

(3) *Can. 2. et seq. caus. 36. q. 2.*

(4) *L. un. cod. de Raptor. virg.*

§. IX. Sodomia, & conjunctio cum bestiis non delicta sed monstra, & prodigia sunt. Olim quisquis tam foeda, & immania patrasset crimina, quæ contra naturam dicuntur, non solum à limine, verum etiam ab omni Ecclesiæ tecto removebatur (1). Hodie sodomia perfecta à Jure civili morte punitur, quæ poena ita exasperatur, ut infandi criminis rei vivi, vel saltem eorum cadavera igne comburantur (2). Jure canonico excommunicatio in laicum, in clericum vero depositio ab officio, beneficio, ordine clericali, & in monasterium detrusio constituta est (3). Eodem quoque modo puniuntur, qui sua cum bestiis corpora commiscuerunt.

(1) Tertullianus *de Pudicit. c. 4. p. 517. ed. Rigaltii Paris. 1679.* "Reliquas autem, inquit, libidinum furias & in corpora, & in sexus, ultræ juræ naturæ, non mode limine, verum omni Ecclesiæ tecto submovemus, quia non sunt delicta, sed monstra." Atque hi sunt, quos *hyemantes* appellat Synodus Ancyrana, quique ob eriminis immanitatem ne digni quidem habebantur, qui locum obtinerent inter *flentes*, qui primus erat poenitentiae gradus. Vide quæ scripsi *l. 2. tit. 2. §. 74. not. 1. p. 130.*

(2) *L. 31. Cod. ad L. Jul. de Adulter. §. 4. Instit. de Publ. judic. Novell. 77. c. 1. l. 6. cod. Theod. ad L. Jul. de Adulter.* quam legem integram describit Auctor *Collat. Mosaic. et Roman. leg. tit. 5. de Stupratoribus* apud Schultingium *Jurispr. veter. ante Justinian. p. 753. ed. Lipsiæ 1737.*

(3) *Cap. 4. de Exces. Prælat.* Clerici, qui se spurcissimo crimine pluries inquinant, degradari, & curiæ sæculari tradi debent, sicut demonstravi. *l. 1. tit. 8. §. 23. p. 392.*

TITULUS XVI.

De usuris.

- | | |
|--|---|
| I. Usura quid? | XV. <i>Commissoria lex</i> in pignoribus. |
| II. Usuræ veritate. | XVI. ad XVIII. Montes Pietatis. |
| III. ad V. Non solum humano, sed etiam divino, ac naturali jure. | XIX. ad XX. Census realis. |
| VI. Num usuræ aliquando percipi possint? | XXI. & XXII. Census personalis. |
| VII. Lucrum cessans. | XXIII. Census <i>vitalitius</i> . |
| VIII. Damnum emergens. | XXIV. Cambium. |
| IX. Pactum de solvendis usuris. | XXV. Cambium siccum. |
| X. Mora, & interpellatio. | XXVI. ad XXIX. Cambium obliquum. |
| XI. Periculum amittendæ sortis, & fœnus nauticum. | XXX. Societas <i>ad caput salvum</i> . |
| XII. Contractus <i>Mohatra</i> . | XXXI. ad XXXV. Contractus trinus. |
| XIII. Pactum <i>Antichresis</i> . | XXXVI. Pœnæ in usurarios. |
| XIV. Quando hoc pactum non improbet Jus Canonicum? | XXXVII. Quomodo aliquem usurarium esse constet? |

§. I.

Criminis loco est etiam usura, cujus nomine intelligimus lucrum, quod ex mero mutuo percipitur, cum scilicet post statutum tempus plus exigitur, quam mutuo datum est (1). Ethnicis permittebat usuras jus devium à veritate, quo ipsi utebantur (2), & antiquo errore, falsaque opinione decepti ipsi etiam Christiani Imperatores suis legibus usuras ferendas putarunt (3). Verum hi omnes in illis quoque tenebris erroris malum in usuris inesse intellexerunt; easque propterea certis coercere legi-

bus, modumque constituerunt, quem in exercendis usuris tenere oportebat (4).

(1) Usuræ nomen etiam rei usum, partamque ex re utilitatem significat; sed proprie Theologi, & Canonistæ comprehendunt lucrum, quod ex mutuo percipitur. Videlicet usuram, aut fœnus committit, qui ex ipsomet mutuo, ut inquit Benedictus XIV. in *Encyclic. Vix pervenit* 143. ad *Episcop. Ital. t. 1. ejus Bullarii p. 353. ed. Ven.*, "quod suapte, natura tantamdem reddi postulat, quantum receptum est, plus sibi reddi velit, quam est receptum; ideoque ultra sortem lucrum aliquod ratione mutui sibi debet contendat."

(2) *L. 1. ff. de Pignor., l. 29. ff. de Usur.* Apud Athenienses frequentes erant usuræ, ut ostendit Samuel Petrus *l. Attic. l. 5. c. 4.*, eas tamen vehementer improbant Plato, Aristoteles, Plutarchus, alique antiqui scriptores. Usitatissimæ apud Romanos erant usuræ *centesima*, quæ scilicet centesimam sortis partem quoque mense reddebant, ac duodecim ex cententis per annum conficiebant. Nam Romani usuras per menses, nimirum ipsis Kalendis, seu primo cujusque mensis die accipiebant, ut late demonstrat Heineccius *Antiquit. Roman. ad Instit. l. 3. tit. 15. §. 4. opp. t. 3. p. 348. ed. Neap. 1769.*, unde orta est actio *Kalendarii l. pen. ff. Si cert. pet., & l. ult. ff. de Pecul.*, quam etiam memorat Seneca *de Benefic. l. 7. c. 10. opp. t. 1. p. 846. ed. Amstelædami 1672.* "quid fœnus, inquit, & Kalendarium, & usuræ, nisi humanæ cupiditatis extra naturam quæsitâ nomina?" Hinc Basilius in *Psalm. 14. n. 2. opp. t. 1. p. 108. ed. Paris. 1721.* menses *usurarum parentes* vocat; & Ambrosius *de Tobia c. 12. opp. t. 1. p. 14. ed. Ven. eit.* habet hæc: τινος "Græci appellaverunt usuras, eo quod doloris partus, animi debitoris excitare videantur. Veniunt Kalendæ, parit sors centesimam. Veniunt menses singuli, generantur usuræ." Hæ usuræ *legitimæ* appellantur in *l. 8. cod. Theod. de Usur.*, ut observant Cironius *Observ. lib. 4. c. 5. n. 3. p. 81. ed. Vindobon. 1761.*, & Brissonius *Select. antiquit. l. 3. c. 1. p. 64. & seq. ed. Lugduni Batav. 1749.*, ac dicuntur etiam *unciarie*, quod singulis mensibus *unciam* darent, quæ postea, uti restatur Tacitus *Annal. l. 6. n. 16. opp. t. 1. p. 20. ed. Ven. 1708.*, rogatione tribunicia ad *semuncias* redactæ sunt. Scilicet tantum est, ut ex centenis non amplius duodecim, sed tantum sex quoque anno solverentur. Non enim eadem semper usurarum ratio fuit. Theodosio M. Imperatore centesima aucta erat uno semisse, & aliæ etiam aliis temporibus fuerunt centesimæ usuræ vices, quas narrat Gothofredus in *l. 1. cod. Theod. de Usur. t. 1. p. 270. & seq. ed. Lipsiæ 1736.* A Græcis centesima usura dicitur τρεῖς δραχμῶν, cum pro mina singulis mensibus drachma solvèbatur, quod drachma esset centesima pars minæ.

Genus omne usurarum, quibus Romani utebantur, præter ceteros, explicat Binghamus *Origin. eccles. l. 6. c. 2. §. 6. t. 2. p. 318. seq. ed. Hala Magdeburg. 1751.*

(3) *L. 1. cod. Theod. de Usur., l. 16. cod. de Usur.* Usuras vetuit Basilius Macedo Imperator, uti constat ex ejus constitutione apud Harmenopolim in *Prompt. l. 3. tit. 7. in fin.*, sed Patris constitutione abrogata eas restituit Leo filius *Novell. 34.* Anatocismus vero, sive usurae usurarum civilibus quoque legibus vetitæ sunt, & solutæ conditione indebiti repetuntur *l. 26. §. 1. ff. de Condiç. indeb., l. ult. cod. de Usur. rei judic.*

(4) Constantinus M. in *cit. l. 1. cod. Theod. de Usur.* usurarum modum definiit, statuitque, ut ex pecunia tantum una centissima, ex frugibus vero usura exigeretur, quæ dimidiam partem sortis æquaret, quod postremum usurae genus describit, & nominatim damnat Hieronymus in *Ezechiel. l. 6. c. 18. opp. t. 5. col. 210. ed. Vallarsii Veronæ.* Atque hæc quidem sunt, uti animadvertit Contius *Lection. subseciv. l. 2. c. 2. p. 26. edit. Neapol. 1724.*, usurae *sescupleæ*, quas una cum centesimis à clericis exerceri vietat Synodus Nicæna *can. 17. t. 2. concil. col. 47. Collect. Labbæi.* Hemiolia scilicet usurae sunt, cum tertia pars sorti usurarum nomine accedit, sive, ut inquit Dionysius Exiguus, *cum ad summam capitis dimidium summæ accedit.* A. Gellius *Noct. Attic. l. 18. c. 14. p. 1049. ed. Lugduni Batav. 1666.* inter Græca numerorum vocabula, quibus Latina lingua carebat, hemiolion ponit, atque ita definit: "est autem hemiolios, qui numerum aliquem totum in se habet, dimidiumque ejus, ut tres ad duo, quindecim ad decem, triginta ad viginti." De hemiolis, deque centesimis usuris copiose disputat Jacobus Gothofredus in *l. 1. cod. Theod. de Usur. t. 1. p. 268. & seq. ed. Lipsiæ 1736.*

§. II. Hebræis cum exteris gentibus usuras exercere licebat, vel quod ipsis Deus jure belli earum bona addixerat, vel ut à fœnore cum suis fratribus arcerentur (1); verum usuras accipere non poterant à proximo suo, quo nomine tantum Hebraicus populus comprehendebatur. Sed postquam à Christiana charitate vocabulum hoc ad omnes homines tractatum fuit, eadem quoque usurarum prohibitio latius processit; ita ut nobis neque cum exteris gentibus usuras exercere liceat. Atque hæc quidem constans, & perpetua semper fuit Catholice Ecclesiae sententia, neque ex pecunia, neque ex ceteris rebus fungibilibus, quae secundum quantitatem estimantur, uti sunt frumentum,

vinum, similia mutuo data, quaestum esse faciendum.

(1) Confer S. Ambrosium in *can. 12. caus. 14. qu. 4.*, & S. Thomam *l. 3. Sent. dist. 37. qu. 1. art. 6.*, & *Disp. de Malo qu. 13. art. 5.*

§. III. Genus hoc usurarum non tantum Ecclesiasticis (1). Divinisque legibus (2) est interdictum, sed etiam sua natura turpe, ac nefarium est, & naturali aequitati adversatur. Nam qui ex mutuo plus accipit, quam quod ipse dedit, aequalitatem tollit, quae in omni contractu servanda, & custodienda diligenter est. In venditione, permutatione, atque aliis hujusmodi contractibus pecunia exaquetur, tolliturque discrimen, quod forte inter datum, & acceptum intercedit.

(1) Concilium Nicænum *can. 17. t. 2. Concil. col. 47. collect. Labbæi,* Carthaginense *l. can. 13. t. 2. col. 751.*, Eliberitanum *can. 20. t. 1. col. 994.*, Turonense *l. can. 13. t. 5. col. 77.*, Lateranense II. *can. 13. t. 12. col. 1503.*, Lateranense III. *c. 25. t. 13. col. 430.*, *can. 5. dist. 45. can. 9. dist. 46.*, *can. 1. & 2. dist. 47.*, *can. 2. §. 6. 8. caus. 14. qu. 4. c. 4. §. 7. de Usuris, c. 1. & 2. cod. in 6.*, *Clem. unic. cod. tit.*, Benedictus XIV. in *cit. Encyclic. Vix pervenit p. 353. t. 1. ejus Bullar. ed. cit.* Vide etiam librum meum *de Notissimis in jure legibus p. 197. ed. Romæ.* Eademque est Patrum omnium sententia, atque ita præter ceteros docent Tertullianus *contr. Marcion. l. 4. c. 17. p. 430. ed. Paris. 1675.*, S. Cyprianus *de Lapsis paulo post initium p. 89. ed. Oxon. Felli 1682.*, Origenes *Hom. 3. in Psalm. 36. n. 6. opp. t. 2. p. 665. ed. Paris. 1742.*, S. Clemens Alexandrinus *Pædagog. l. 1. c. 10. t. 1. p. 154. ed. Ven. 1757.*, S. Justinus *Apolog. 1. ad Antonin. p. 52. ed. Paris 1721.*, S. Gregorius Nyssenus *Orat. contr. fœnerat. in fin. p. 978. t. 1. ed. Paris. 1615.*, S. Basilius in *Psalm. 14. opp. t. 1. p. 107. seq. ed. Paris. 1721.*, S. Leo M. *Ep. 4. ad Episc. Campan. Picen. et Thusc. c. 8. opp. t. 1. col. 615. ed. Ballerin. Ven. 1753.*, S. Ambrosius *de Tobia c. 14. n. 49. opp. t. 2. p. 57. ed. Ven. 1781.*, S. Augustinus *Ep. 153. ad Macedon. n. 25. opp. t. 2. col. 534. et in Psalm. 36. Ser. 3. n. 6. t. 4. col. 285. ed. Ven. 1730.*, S. Hieronymus in *Ezech. l. 6. c. 18. t. 5. col. 210. ed. Vallarsii Veronæ.*, S. Hilarius in *Psalm. 14. n. 15. opp. t. 1. col. 76. ed. Veron. 1730.*, Lactantius *Divin. inst. l. 6. c. 18. p. 483. opp. t. 1. ed. Paris. 1648.*

(2) Exod. XXII. 25., Deuteronom. XXIII. 19., Levitic. XXV. 35., Tom. IV.

Eccles. XXIX. 2., Ezechiel. XVIII. 22.; Psalm. XIV. 6., LIV. 12. LXXI. 14., Lucas VI. 34. & 35.

§. IV. In mutuo cum minus est datum, & plus exigitur, quæ dati, & accepti æqualitas est; aut quo jure illud, quod datum superat, percipi potest? Res ipsa data incrementum respuit, ne dati, & accepti tollatur æqualitas; an forte usus, quem alter alteri concedit, lucrum, & accessionem afferet? Sed qui rem mutuo accipit, is ejusdem rei dominium adipiscitur (1). Ergo habet usum, quia Dominus est rei, quæ usum præstat. Cur igitur dominus, qui usum habet jure domini sui, non alieno beneficio, usuras alteri solvet pro usu rei non alienæ, sed suæ? Lucrum igitur ex re data est contra æqualitatem contractus; lucrum ex usu rei omni juri adversatur, quoniam facit, ut dominus ex re sua fructus non domino persolvat.

(1) L. 1. §. 2. ff. de Obligat. et act. Simile argumentum urget S. Thomas 2. 2. qu. 78. art. 1. Atque hanc quidem domini translationem ex mutuante in mutuatarium fieri, ipsi etiam fatentur Carolus Molinæus de Usur. n. 449., Salmasius de Mod. usur. c. 1. et 14. Noodtius de Fanor. et usur. l. 1. c. 8., atque alii, qui usuras cum jure Divino, & naturali æquitate pugnare inficiantur. Est hic sane error, in quo primum hæsitaverunt Patareni, vel Cathari, ut testatur Ven. Moneta in opere adversus Catharos, et Valdenses l. 5. c. 14. §. 2. edito à Ricchinio. Per duodecim sæcula nullum dogmaticum de usuris errorem, sed tantum falsam ex imperitia natam opinionem fuisse observat Ballerinius de Usur. in præfat. §. 3. Catharos aliquanto post sequenti sunt Christiani quidam, qui non verebantur asserere, usuram non esse peccatum, ut constat ex litteris Alexandri V. apud Wandingum Annal. t. 5. p. 61., & Martini V. apud Bremondum Bullar. Domin. t. 2. n. 41. p. 567. Errorem hunc integravit Calvinus, qui non omnem quidem usuram permisit, sed tamen à divite, non item à paupere, modicum aliquod lucrum propter mutui rationem exigi posse censuit. Calvinum complures hæretici sequuti sunt, inter ceteros autem Claudius Salmasius in duplici tractatu, altero de Usuris, altero de Trapezitico fanore, Carolus Molinæus in Tract. de Usur., quem iterum deinceps edidit nomine Gasparis Caballini, Petrus Heingius l. 2. qu. 1., Gerardus Noodtius de Fanor., & usur. l. 1., Puffendorffius de Jur. nat. & gent. l. 5. c. 7. §. 9. & seq., Gronovius, & Barbeyracus

in Notis ad Grotium l. 2. c. 12., & ad Puffendorffium de Jur. natur. et gent. l. 5. c. 7. §. 9. & seq. not. 7., Bohemerus Jur. eccles. Protestant. t. 5. l. 5. tit. 19. Mitto ceteros, qui hunc eundem de usuris errorem licetis mandare ausi sunt. Quod ad Græcos attinet, Ballerinius loc cit. ostendit, eos diu cum Romana Ecclesia consensisse, eorum autem, in quo nunc versantur, de usuris errorem induci coeptum à Maximo Margunio sæculo XVI., ut testatur Papadopulus Præn. mystag. resp. 1. sect. 7. n. 3., atque etiam ipsos Moschos rectam de usuris fovere sententiam, quamquam ipsi sese ab iis non absteineant, tradit Sigismundus L. Baro in rer. Mosc. comm. quæ extant in Script. rer. Mosc. p. 44. Sed celebris est de usuris controversia à Jansenianis Schismaticis in Belgio excitata, cujus controversiæ occasio explicatur in opusculo Memoire sur l'état present de refugietz Francois en Hollande au sujet de la Religion Paris. 1728. Cum enim contractus usurarii in Belgio fœderato, quo plures confugerant, passim inirentur, alii iis magno animo resisterunt, alii Calvinianorum sententiam Reipublicæ metu perterriti tueri cœperunt, quorum opera recensent Ballerinius cit. præfat. n. 31. Inter eos principem locum obtinet Nicolaus Broedersen Pastor Delphensis; qui tractatum edidit de Usuris licitis et illicitis; quo quidem tractatu Calvinianorum de usuris sententia defenditur, sed tamen non despiciuntur traditiones, quod faciunt Calviniani, potius hæc secundum eorum sententiam explantur. Huic præsertim Scriptori favere visus est Scipio Maffejus in opere dell' Impiego del denaro, quod quidem opus doctissimi Viri solide, invicteque refutarunt. Catholicam vero sententiam de usuris late demonstrant, atque tuentur Pougetus Instit. catholic. t. 1. par. 2. sect. 3. c. 8. §. 2. p. 634. seq. ed. Augustæ Vindellicorum 1764., Natalis Alexander Theolog. dogmatic. et moral. t. 2. l. 3. c. 7., Gennett Theolog. moral. t. 1. tract. 4. de Mutuo et usur. qu. 6. seq., Saintebeuvius Resol. cas. conscien. t. 2. cas. 210. p. 422. et seq. ed. Paris. 1700., Aloysius Bulteau seu Bultellus Apolog. pro Lactant. in mater. usur., Benedictus XIV. de Synod. Dioces. l. 10. c. 4., Zecchius in lib. Rigor moderatus circa usuras, Daniel Concina de Usuris, Auctor operis Insulis editi anno 1730., cui titulus Dogma Ecclesie circa usuras, Ballerinius de Usuris, qui alios præterea describunt à quibus eadem materia illustratur.

§. V. Accedit, quod inter officia humanitatis, & beneficentiæ, quibus homines mutuæ charitatis lege obstringuntur, illud præcipuum est, ut alteri concedamus, quæ ei necessaria, nobis vero inutilia sunt (1). Quod est fundamentum contractum, quos gratuitos appellamus, ut mu-

tui, depositi. Sane amico denegari non potest officium ejus custodiendi pecuniam ea diligentia, qua suam ipsam quisque custodiret, & injustus esset, qui ob hoc officium præmium postularet. Pari ratione amico, cujus est explorata, & comperta fides, deneganda non est pecunia, quæ est ei, qui accipit, necessaria, danti autem inutilis, quæ si statim tempore restituatur, nihil aliud salva æquitate peti potest (2).

(1) Confer Tullium *de Offic. l. 1. §. 16. op. t. 3. p. 277. ed Oliveti Genev. 1743.*

(2) Sed qui usuras tuentur, urgere solent utilitatem, quam qui mutuum accepit, ex ejus usu, atque ex dilata restitutione consequitur; atque hanc pretio æstimari posse defendunt. Verum his egregie satisfacit S. Thomas *in 3. disp. 37. qu. 1. art. 6.* inquit: "Quidquid vero, de utilitate contingit ei, cui mutuum dedi, ultra mensuram mutui ex pecunia mutata; hoc est ex industria ejus, qui sagaciter pecunia usus est. Industriam autem ipsius ei vendere non debeo. Secus nec pro stultitia ejus habere minus debeo."

§. VI. Atque hæc quidem apud omnes Catholicos certissima sententia est, cum quis alteri sine sui detrimento mutuum attribuit, hoc est officium præstat accipienti utile, danti non molesum. Verum sæpe evenit, ut quis ex officio suo damnum accipiat, aut amittat lucrum, quod consequi debuisset. Quare hujus detrimenti habenda ratio est, & ideo recte exiguntur usuræ non propter mutuum, sed propter damnum, quod in mutuantem redundat (1). Ita si quis alteri concedat domum, aut vestes, quibus ipse utatur, earum dominus recte aliquid percipit pro usu, ex quo damnum capit, quoniam res datæ usu teruntur. Similiter dato prædio, quo alter utatur fruatur, dominus amittit fructus; quos ex eo percepisset, & hoc quidem resarciri damnum, æquitati congruens, & conveniens est.

(1) Benedictus XIV. *cit. Encycl. art. 3.* "nequaquam negatur, inquit, posse quandoque una cum mutui contractu quosdam alios, ut ajunt, titulos, eosdemque ipsimet universim naturæ mutui innatos; & intrinsecos forte concurrere, ex quibus justa omnino, legitimaque causa consurgat quidam amplius supra sortem ex mutuo debitam rite exigendi. Neque item negatur, posse multoties pecuniam ab unoquoque, que suam per alios diverse prorsus à mutui natura contractus recte collocari, & impendi sive ad proventus sibi annuos conquirendos, sive etiam ad licitam mercaturam, & negociationem exercendam, honestaque iidem lucra percipienda.

§. VII. Sed & ex pecunia mutuo data licet fructus percipere, quando mora debitoris, qui alienam pecuniam retinet, danti affert damni causam, aut lucrum intercipit, quod ipse ex re sua consequi potuisset (1). Scilicet qui pecuniam in honesta negociatione collocare solet, & vero ostendit, se habuisse in promptu merces, quas comparare potuisset, is recte usuras postulat ob interceptum lucrum culpa, & mora debitoris, qui alienam pecuniam retinuit (2). Erunt autem in fructus ademto lucro pares, & congruentes. Quare creditor demonstrabit, quanti ejus interesset habere pecuniam, cum qua negociationem exerceret, & judex in ejus rei æstimatione rationem habebit periculi, dubii eventus, laboris, sumptuum, remque omnem ex adjunctis personarum, loci ac temporis, regionisque more estimabit (3).

(1) Vide S. Thomam 2. 2. qu. 78 art. 2. ad 1. et qu. 62. art. 4.

(2) Ut creditor propter amissum lucrum, quod è sua pecunia consequi potuisset, recte usuras petat, tria demonstrare debet. Primum est, quod ipse pecuniam suam non ociosam, & inutilem retinere, sed cum ea negociationem exercere soleat. Alterum est, quod habuerit in promptu venales mer-

ces, quas sine dubio comparasset, nisi pecunia sua caruisset. Postrimum, quod debitor in mora fuerit, hoc est idoneo tempore alienam pecuniam non restituerit, atque ita lucrum interceperit. Quae tria vulgo dicuntur *tria requisita Pauli de Castro*, quoniam ea primus numeravit, & explicatius, quam ceteri, tradidit Paulus de Castro in l. 2. §. ult. ff. de Eo quod cert. loc.

(3) L. 3. ff. de Eo quod certo loc., §. 7. et ult. Inst. de Verb. oblig.

§. VIII. Eadem accepti damni causa est. Nimirum si quis, ob datam alteri pecuniam, damnum pertulit, hoc quidem resarcire oportet, atque ejus causa recte à debitore fructus percipiuntur. Ita qui domus ruinam avertere, qui agrum colere, & cultura fructuosum facere non potuit, quia caruit pecunia sua, qui æs alienum cum fœnore contrahere debuit, ut suis creditoribus satisfaceret, jure agit, ut debitor; qui causam damni teneatur (1).

(1) L. uu. cod. de Sentent. quas pro eo quod interest. Recte tamen, praeter ceteros, animadvertit Carolus Galiardus Inst. Jur. canon. l. 4. tit. 17. §. 51., quod creditor non tantum acceptum ab se damnum perspicuum facere, sed etiam demonstrare debet, sese alio modo damnum avertere non potuisse. Quare si ipse in promptu habuisset aliam pecuniam, cum qua damnum vitare potuisset, nullae à debitore usurae ex mutuo accepta pecunia solvendae sunt.

§. IX. Atque hæc quidem debito usurarum tum

initio in pactum deduci potest, tum postea lapsu temporis exoriri. Videlicet si initio cum contractus perficitur, qui mutuo dat pecuniam statim damnum capit, idque verum, atque exploratum, non dubium, & simulatum est, recte propter hoc damnum usurae initio constituuntur (1). Quod si lapsu temporis oriatur damnum, quod initio procul aberat, eo demum orto solvendæ erunt usurae; sed primum monendus est debitor, ut rem omnem intelligat, ac certior fiat de usurarum onere, quo premetur in posterum, nisi stato die pecuniam restituat (2).

(1) S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 2. ad 1. ibique Nicolaus in Notis. Confer etiam Card. de Lugo de Just. et jur. t. 2. d. 25. sect. 6. n. 72., Molinam Just. de Jur. d. 314. n. 7., Canisium de Usur. c. 1. n. 7.

(2) Atque hoc est, quod Pragmatici dicunt, necessariam esse *interpellationem*, ut usurae debeantur.

§. X. Monitio hæc, & lapsus temporis, quo expedienda solutio est, facit, ut debitor *in mora* constitutus dicatur; quæ mora nullam quidem per se tantum inducere usurarum debitionem potest (1), inducit autem, cum ea damnum affert, aut lucrum intercipit. Atque hæc mora est, quam *veram*, aut *propriam*, aut *regularem* dicimus, quæque fieri intelligitur *non ex re, sed ex persona, idest si interpellatus oportuno loco, & tempore non solverit* (2). Cui moræ alia opponitur, quæ *irregularis* appellatur, & cui locus est cum sine ulla creditoris petitione debitor, qui constituto die æs

alienum non solvit, ipso jure cogitur præstare id quod creditoris interest, ratione habita solius rei debitæ, quam opportuno tempore, condictoque loco non solvit (3).

(1) Solam certe moram satis non esse, ut ex pecunia mutuo date usuræ percipiantur, ex Catholica Ecclesiæ sententia docent periti Juris Canonici, & Scriptores rerum Theologicarum; quamquam aliud scripserint antiqui Romani Jurisconsulti, quos hæretici complures sequuti sunt. Sane re cognita, & expensa diligenter Alexander VII. in Congregatione generali Sanctæ Romanæ Ecclesiæ decreto edito de 18. Martii 1666. hanc damnavit propositionem: "licitum esse mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem, usque ad certum tempus." Nam ratio, et æquitas naturalis ostendit, nullam habendam esse rationem moræ, quæ neque lucrum ademit, neque aliquid attulit detrimenti. Si nihil intersit actoris, inquit Paulus in L. 2. ff. "Si quis in jus vocat. non erit, adversarium in jus vocatum venisse conditio die, Præter more poenam remittit." Cum quo consentit Cajus in L. 8. ff. Si quis caution. in judic. sisten. caus. fact. non obtemper. Quod in omnibus generatim causis constitui desiderat Hotomannus in disp. de Mora c. 3. n. 13. Vehementer autem errant, qui presentem pecuniam ex se ipsa pretiosorem, quam futuram putant, eosque merito refellit Innocentius XI., dum in tor damnatas proscripsit propositionem 41. conceptam his verbis: "cum numerata pecunia pretiosior sit, quam numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

(2) Sic Marcianus in L. 33. ff. de Usur. & fructib.

(3) Moræ irregularis multa in Jure præsertim Civili exempla sunt. Celebre in primis est illud, quod suppeditat L. Curabit 5. Cod. de Act. em. t., qua sancitum est, ut emptor, qui re accepta pretium non numeravit, debeat statim post rem traditam pretii usuras persolvere, quamquam nulla earum petitio à creditore facta sit. Non enim debet emptor cum venditoris jactura rem, & pretium simul retinere. Alia similis moræ irregularis exempla occurrunt in L. 14. ff. Locat., L. 29. §. 4., & L. 59. ff. de Negot. gesti., L. 12. §. 9. ff. Mandat., L. 60. ff. Pro socio, L. 1. §. 2. ff. de Usur., L. 46. §. 3. ff. de Adminis. & pericul. tutor., L. 5. ff. Commodat., L. 7. ff. de Eo quod cert. loc., L. 23. ff. de Pignorat. act., L. 2 & 3. Cod. de posit.

§. XI. Sed & periculum amittendæ pecuniæ, quam aliquis alteri dedit, usuras accipi permittit. Ita qui alteri dat mutuam pecuniam ut eam trans mare trajiciat, & cum ea in nundinis negotiationem exercent, potest inire pactum de solvendis usuris propter periculum, cui ipse subest in ea trafectione plena discriminis, per quam facile rei jacturam facere potest. Ea de causa nauticum fœnus, quod Juri Civili probatum est (1), non improbat Jus Canonicum (2); modo lucrum procul habeat omnes mutui causas, atque ad unum periculum referatur.

(1) Confer titulos Pandectarum, & Codicis de Nautico fœnore. Fœnus nauticum, inquit Henricus Coccejus ad Grotium de Jur. bell. & pac. t. 2. l. 2. c. 12. §. 5. de Contractib., est quando quis aliis credit pecuniam mari transvehendam ea lege, ut periculum sit penes creditorem; unde differt à mutuo, quia natura mutui in eo consistit, ut periculum sit debitoris, qui dominus est pecuniæ, nec est contractus inominatus, do ut des, quia proprium nomen huic negotio datum est, scilicet fœnus nauticum. Atque hoc quidem susceptum à creditore periculum trajectitiæ pecuniæ, quam ipse mutuo dedit, facit ut ex Jure Romano usuræ debeantur. Quin ex hoc inductus censetur contractus avertendi periculi, quem nos assecurationem vocamus, & quem late Cornelius Bynkershoekius l. 4. qu. jur. privat. opp. t. ult. p. 517. seq. ed. Lugdun. Batav. 1744. illustravit. Contractum hunc antiquos Jurisconsultos ignorasse tradit Henricus Coccejus ad Grotium l. 2. c. 12. n. 23., sed ipsi certe compertum habuerunt pactum suscipiendi periculi in nautico fœnore, & hoc proinde alii ad certam, suoque nomine designatam stipulationem redegerunt, ut nosci potest apud Loecenium de Jur. mar. l. 2. c. 5. n. 4., alii ad locationem, conductionem, alii ad emptionem, venditionem, alii ad cautionem, alii demum ad innominatum negotium, uti ostendunt Marquat. de Jur. mercat. l. 2. c. 13., Tom. IV.

Soaccia de *Commerc. qu. 7. par. 3. limit. 6.*, Stracca de *Assecurat. in præfat.*, Lopez de *Contract. l. 2. Cap. 12.* Cuncti tamen omne lucrum constituunt in ratione periculi, quasi *lucrum trajectitiæ pecuniæ, quam creditor, recepto in se dubii eventus periculo, alicui sub certis usuris tamquam periculi compensatione tradit*, ut habet Loccenius de *Jur. marit. l. 2. c. 6. de Fœnor. naut. §. 2.* Imo non solum in maritima, sed etiam in terrestri negotiatione, quæ simile afferat creditori periculum, usuras exigere posse, tradit Huberus *Prælect. Jur. Rom. t. 3. l. 22. tit. 2. de Nautic. fœnor.*; & huc spectat responsum Scævola à Triboniano propositum in *L. 5. ff. de Nautic. fœnor.*, in quam legem videndus est Cujacius *opp. t. 7. col. 847. ad Ven. 1779.*

(2) *Cap. ult. de Usur.* habentur hæc: *Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eo quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem usurarius est censendus.* Magnæ ex hac decretali, quam edidit Gregorius IX., controversiæ ortæ sunt. Quidam enim per eam nauticum fœnus plane sublatum, & nullas omnino à creditore propter periculum, cui subest, usuras accipi posse arbitrantur, Alii usuras pecuniæ trajectitiæ à Gregorio IX. tunc solum in mutuo vetitas putant, cum vel nullum, & inane, vel simulatum est periculum, cujus species fœneratoris improbitatem suam tegere conarentur; secus ubi probabile, aut verum periculum sit. Alii tantum immodicum, & injustum, non item justum, & legitimum periculi pretium improbari statuunt. Alii Gregorianam textum corruptum esse putant, in eoque desiderari negationem, quam ipsi addunt, atque ita legunt: *usurarius non est censendus.* Verum hæc lectio est contra codicum omnium fidem, à quibus certe negatio abest. Alii denique lucrum suscepti periculi tunc usuræ labe infectum censent, cum illud mutuans consequi vult à navigante, vel eunte ad nundinas invito, & coacto ad contractum perficiendum, non item cum periculi, pretium sua sponte, & voluntate à debitore oblatum est. Ego harum interpretationem nullam probo, neque à Gregorio nauticum fœnus improbari, sed tantum induci arbitror *presumptionem*, quæ contraria probatione tolli potest. Non enim ipse inquit, creditorem, qui naviganti, vel eunti ad nundinas pecuniam dedit, *esse revera usurarium, sed tantum esse censendum, hoc est præsumendum, nisi aliud ostendatur.* Nam qui pecuniam hoc modo tradit, facile potest periculi speciem objicere, ut usuras ex mutuo percipiat. Itaque ut omnem fraudem, & periculi simulationem avertat Pontifex, statuit, ut etiam ille, qui *aliquid ultra sortem recipit, eo quod suscipit in se periculum, usurarius censendus sit.* Quibus quidem verbis non usurarium esse decernit eum, qui lucrum accipit *eo quod suscipit in se periculum*, quod sane communi Theologorum sententiæ adversaretur. Nam iis certum, fixumque est, hujusmodi creditorem accipere fructus posse non causa mutui, quod nullos parit fructus, sed propter periculum, quod suscipit ipse creditor contra naturam mutui, atque ita docent S. Thomas in *tract. de Usur. opusc. 73. qu. 9.*, S. Antoninus in *2. ar. l. 1. c. 6. §. 21.*, Cajetanus, in *Summa verb. usura exterior vers.*

duodecimus casus, & late Covarruvias *Var. resol. l. 3. c. 2. n. 5.* Gregorii constitutio tota est in inducenda *juris presumptione*, per quam hujusmodi creditor *censendus* est usurarius, nisi aliud ostendat. Quoties igitur aliqua de nautico fœnore controversia est, semper creditori obstat *juris præsumptio*, quæ fert, ut contractus usurarius *censetur*, scilicet ut periculi simulatione fructus ex mutuo soluti videantur. Verum hæc mera *presumptio* est, quæ contraria probatione tolli potest, ut ceteræ hujusmodi *presumptiones* tolluntur. Itaque creditor non prohibetur ex trajectitiæ pecuniæ usuras exigere; sed primum debet remove *juris presumptionem*, atque ostendere, se non simulato periculo, uti illa fert *presumptio*, ex mutuo usuras percipisse, sed revera omnes mutui causas procul habuisse, atque ob unum à se susceptum periculum lucrum obtinuisse. Hæc quidem meo iudicio vera, ac germana est interpretatio Gregorianæ *Decretalis in c. ult. de Usur.*, de qua tum variæ, interque se dissentientes Canonistarum sententiæ circumferuntur. Atque ita sane Jus Canonicum minime sustulit nauticum fœnus, quod Jure Civili probatum est. Hoc unum inter utrumque Jus discrimen intercedit, quod Canonicam inducit *presumptionem*, quam non inducit Jus Civile, simulati periculi, ut usuræ ex mutuo solvantur.

§. XII. At quoniam legum ratio sanctissime & providentissime constituta sæpe hominum malitia pervertitur, inventa sunt diverticula, & simulatæ rerum species, de quibus sane præcidendis, avertendisque oportuit cogitare. Quidam porro usurarum tegumenta quærunt contractu emptionis venditionis; cum quis videlicet rem alteri vendit summo pretio justo non accepta pecunia, cum pacto, ut adumbratus hic venditor statim ab ipso emptore rem minoris emat, ac pretium enumeret. Contractum hunc plenum fraudis, & deceptionis, quem Hispani *mobatram* appellant, recte improbant Ecclesiæ leges, atque inter usurarios contractus recensent (1).

(1) Innocentius XI. hujusmodi contractum damnavit propositione 40. inter propositiones ab eo damnatas his concepta verbis: *Contractus mobatras licitus est etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævia invito cum intentione lucri.* Confer etiam S. Carolus Borromeus in *Synod. Provinc. 1. act. Eccles. Mediol. par. 1. p. 36. ed. Patav. 1754.*, & Covarruviam *Var. resol. l. 2. c. 3. de Usur. n. 6. in fin.*

§. XIII. Eodem loco Jus Canonicum habet *antichresin.*

scilicet pactum, quo res pignori datur, ut creditor eodem pignore utatur fruatur creditæ pecuniæ loco, aut ejus fructus pro usuris accipiat (1). Nam pignus creditori traditur, ut in eo cautionem habeat, non ut capiat fructus, qui ad dominum pertinent; & ideo merito à Jure Canonico pactum antichresis improbat (2).

(1) *C. 1. 2. 8. de Usur. c. 4. & 6. de Pignor.* Atque his quidem Pontificiis Constitutionibus derogatum est Juri Civili, quod non solum expressam antichresin probat in *L. 11. §. 1. ff. de Pignor.* sed etiam tacitam, ut multi putant, in *L. 8. ff. In quib. caus. pign. vel hypoth. tacit. contrahit.* quamquam non ignorem, quæ de recta hujus legis interpretatione controversiæ sint inter Accursium, Inerium, Bacovium, Hotomanum, Cujacium *Observat. l. 8. c. 17. opp. t. 3. col. 189. ed. Ven. 1758.* & Vinium *Select. qu. l. 2. c. 7.* Confert etiam Jo. Franciscum Arcasium *Comment. jur. civil. l. 5. c. 2. §. 15. & 14.* Quoniam vero à Jure Canonico antichresis improbat, facile intelligitur, quam falsa sit opinio illorum, qui probant contractum antichresis, ex quo alteruter contrahentium facultatem habet suo libitu repetendi, quod dedit, atque alter interim credita pecunia fruitur, alter re pignorata, ex qua fructus percipit. Quem contractum Itali appellant *il contratto à godere.*

(2) Hinc merito statutum est ab Innocentio III. in *c. 6. de Pignor.* quod si creditor, vel ille, qui ab eo causam habet, tot ex pignore accepit fructus, quot est opus, ut totum debitum dissolvatur, pignus debitori restitui debeat.

§. XIV. Casus tamen interdum eveniunt, quibus à Jure Canonico antichresis non improbat. Nimirum qui dat domino feudum loco pignoris, ut fructus capiat, atque ipse interim solutus sit omni onere servitii, quod ei propter feudum præstare deberet; nihil agit, quod Canonici Juris disciplinæ adversetur. Nam hi fructus quasi pretium sunt, & compensatio servitii, non locum obtinent usurarum (1). Pari modo si pro dote numeranda socer genero prædia quædam obligaverit, ut gener sibi integros habeat eorum fructus, & nullam interim dotis jacturam faciat, procul abest omne usurarum vitium, quoniam jure percepti sunt fructus, ut matrimonii onera sustinerentur (2).

(1) *C. 1. de Feudis, C. 8. de Usur.*

(2) *C. 16. de Usur.* Confer Cujacium in *Decretal. C. 1. tit. 20. l. 3. opp. t. 6. col. 1002. & seq. ed. cit.*

§. XV. Sed & pactum legis commissoriæ in pignoribus plenum usuræ, & iniquitatis habetur. Commissoria lex appellatur pactum, quo venditio committitur, ac dissolvitur, quoties videlicet placuit, ut si intra diem pretium solutum non fuerit, res inempta fiat (1); quæ etiam commissoria simpliciter appellatur (2). Commissoria lex in pignoribus reprobat, hoc est improbat pactum, quo, nisi debitor certa die solverit, pignus in dominium, & potestatem creditoris transeat (3).

(1) *L. 1. & tot. tit. ff. de Leg. commissor.*

(2) *L. 4. §. 2. & 3. ff. eod.*

(3) *L. 3. Cod. de Pact. pignor. & L. commissor. c. 7. de Pignor.* S. Carolus Borromeus in *Concil. Mediol. 1. tit. de Usur. act. Eccles. Mediolan. par. 1. p. 36. ed. Patavii 1754.* Id autem plane diversum est à pacto de distrahendo pignore, de quo agitur in *L. 4. ff. de Pign. act.* Neque vero cum lege commissoria in pignoribus conventa confundi debet pactum redimendi, seu retrovendendi, cum quo inita emptio venditio est; quoniam valere hoc pactum, & nullam in eo usuram inesse constat. *L. 2. C. de Pact. int. empt. & vendit. c. 10. de Fid. instrum. Extrav. 1. & 2. de Empt. & vend. int. commun.* Ac si pactum hujusmodi emptoris gratia adjicitur, pretium augetur, minuitur autem, si ad commodum pertinet venditoris. Cavendum tamen est, ne pretium ita sit exiguum, ut ex eo colligi possit, emptorem potius mutuum dare, quam emere voluisse, & noluisse mutuum dare, nisi cum illa lege; potissimum si usuras exercere solitus esset, & venditor inopia laborans pecunia indigeret; quia tunc esset usura palliata & res empta tamquam in pignus securitatis gratia retineretur *c. 5. de empt. & vendit.*

§. XVI. Verum fructus recte exiguntur ex *Locis Montium*, quorum nomine intelligimus cumulum pecuniæ, frumenti, similium, quæ hominibus ope indigentibus mutuo dantur accepto pignore, quod stato tempore recuperandum est. Nisi id debitor præstet, pignus ipsum distrahitur, atque ita Mons Pietatis habet rem, quam credidit, debitor id, quod ex pignoris pretio reliquum est, interim ab eo, qui pignus obligavit, modici quidam fructus persolvuntur. Num hi fructus percipi recte possent; magna animorum contentione disputatum est; cum quidam essent, qui eos propter mutuum dari, & ideo labem usurarum in iis inesse existimarent (1).

(1) Contra hos Montes præ ceteris disputarunt Cajetanus in *Comment. de Mont. Piet. c. 1.*, & Sotus *l. 6. de Just. qu. 1.* Illud vero mirum est, quod hæretici, qui usuras probant, Montes Pietatis improbare potuerint, quorum è numero sunt Carpzovius *Pract. crim. qu. 92. n. 4. & seq.*, & Mathias Zimmermanus, qui simulato nomine Dorothei Asciani librum edidit cum titulo *Montes Pietatis Romanenses historice, canonice, theologice detecti*. Sed varia hæc, & secum ipsa conflixens agendi ratio ex odio procedit, quo ipsi in Sedem Apostolicam feruntur. Scilicet quod ab ea probantur Montes Pietatis, improbantur ab hæreticis, licet ipsi suis principiis adversentur. Bohemerus in *Jur. Canon. Protest. l. 5. tit. 19. n. 2.* Montes Pietatis valde commendat, licet eos confundat cum usuris, quæ à Jure Canonico improbantur; quod etiam falso prædicat in *Not. ad Instit. Canon. Fleury par. 3. c. 13. §. 6.* Instituti autem sunt Montes Pietatis, ut opem haberent egentes homines, qui à foeneratoribus, præsertim Hebræis, cum gravissimis usuris mutuam pecuniam accipere cogebantur. Sane quam late pateret ea tempestate vitium usurarum, & quanta exinde mala procederent, constat ex antiquis monumentis quorum multa collegit Muratorius *Antiq. Italic. dissert. 16.* Ut igitur hæc mala removerentur, & pauperes non cogere ferre onus gravissimum usurarum, pii homines erigen- los curarunt Montes Pietatis, unde pauperes dato pignore, per quod res montis in tuto esset, obtinerent pecuniam, qua indigebant. Primum Urbs vetus hunc Montem instituit, cujus statuta *de Monte Christi*, ut vocabant, expensa, atque approbata fuerunt à Cardinali Ostiensi Cameratio, deinceps etiam confirmata à Pio II. per Breve editum die 3. Jun. 1463. Eadem tempestate Civitas Perusina suum erexit Montem, quem Paulus II. an. 1467. approbavit. Lapsu temporum alii quoque in aliis civitatibus tum intra, tum extra Italiam Montes Pietatis instituti fuerunt, ut nosci potest apud Wadingum *Annal. Minor. t. 14. & 15. passim*, Ballerinum *de Usur. tom. 2. in Append. opusc. 1.*, Zecchium *de Usur. diss. 2. c. 1. sect. 6. art. 3. §. 362.*, Zypæum *Jur. Pontif. nov. l. 5. tit. de Usur. n. 11.*, Claudium Jos. de Ferriere *Diction. de droit & de pratique t. 2. verb. mont de piété.*

§. XVII. Sustulit omnem dubitationem Leo X. in Concilio Lateranensi V., qui re diligenter cognita definivit, recte hos Montes fuisse institutos, planeque nullum in iis inesse usurarum vitium (1). Non enim modici hi fructus propter mutuam solvuntur, sed ut Mons pietatis integram habeat rem suam, cum qua pluribus opitulari debet, ac nihil detrimenti capiat propter impensas, quas facere oportet pro domo, pro ministris, pro ceteris, quibus est opus, ut petentibus credatur pecunia, & accepta pignora custodiantur. Simili modo nullum quidem ex mutuo lucrum facere licet, sed jure

repetuntur impensæ, quas aliquis fecit, ut pignus conservaret, aut ut mutuam ad absentem debitorem mitteret (2).

(1) Concilium Lateranense V. *Sess. 10. Concil. t. 19. col. 905. Collect. Labbæi.*

(2) Consule Sylvium in *S. Thomam. 2. 2. qu. 78. art. 4. qu. 1.*, Gonzalezium in *c. 4. de Usur. n. 3.*, Benedictum XIV. *de Synod. dioc. l. 10. c. 5. n. 1. & seq.*, Ballerinum *de Usur. in append. de Montib. Piet.*, Zecchium *de Usur. diss. 2. c. 1. sect. 6. n. 258. & seq.* Sed pro Montium Pietatis utilitate, æquitate, sanctitate ostendenda præ ceteris, præsto est auctoritas Concilii Tridentini, quod eos inter loca pia recensuit, & Episcopi visitationi subjecit *Sess. 22. cap. 8. de Reform.* Confer etiam S. Carolus Borromeus *Covc. Mediol. 1. tit. de Pior. loc. administr. Act. Eccles. Mediolan. par. 1. p. 37. ed. cit.*

§. XVIII. Et quoniam fieri aliquando potest, ut quod à Præfectis Montis exigitur, impensas superet, quæ pro retinendo, custodiendoque pignore sunt necessaria, idcirco, ne qua usurarum suspicio exoriatur, recte cautum est, ut ab iis, quibus accepto pignore pecunia creditur, nihil exigi possit, nisi primum à Sede Apostolica facultas impetrata sit (1). Multoque minus sine Apostolicæ Sedis venia plus exigi potest, quam antea consueverat, quamquam dissolvendum sit æs alienum, quod Mons Pietatis contrahere debuit, ut pauperibus subveniret (2).

(1) Confer Decreta Sacræ Congregationis Concilii *l. 15. Decretor. p. 486. & 501.*

(2) Vide *Thesaurum resol. Concilii t. 1. p. 28.*

§. XIX. Sunt etiam usurarum expertes census, per quos emitur jus percipiendi fructus ex certo fundo, qui semper nexu devinctus est, ut creditor in tuto sit. Non enim eo contractu venit quæstus ex pecunia, sed dominus rei frugiferæ vendit jus capiendi certos ex ea fructus, quod recte, atque ordine fieri, quis inficiabitur (1)? Plura autem sunt observanda, ut hic contractus valeat, & omnis ab eo usuræ suspicio removeatur. Præcipua sunt, ut accurate designetur certus fundus, & hic quidem frugifer, qui census hypothecæ subsit; atque ut coram testibus, ac notario revera numeretur pecunia, quæ continuo debito tradenda est (2).

(1) *L. 63. & L. 72. ff. de Usufruct., §. 1. Inst. de Usufruct.* Errant autem vehementer Salicetus in *Auth. Ea lege Cod. de Usur.*, & Hottomannus *Observ. l. 2. c. 15.*, qui censum quemlibet *larvatam usuram* appellant. Nam per censum jus venditur percipiendi fructus ex fundo frugifero; in qua quidem venditione nihil inest fœnoris, & nihil, quod à legibus improbetur. Præterea creditor ab se solutam pecuniam suo lubitu repetere non potest, ex quo intelligitur, quantum absit ab hoc contractu omne pactum mutui tum expressi, tum taciti.

(2) Martinus V. in *Extrav. 1. de Empt. & vendit. int. communes*, & Calixtus III. in *Extrav. 2. cod. tit.* census contractum approbarunt. Denique S. Pius V. *Const. Cum onus 106. t. 4. par. 3. Bullar. Roman. p. 52.* certas constituit leges, quas omnes observare oportet, ut census recte constituatur. Merito tamen monet Benedictus XIV. *de Synod. Dioces. l. 10. c. 5. n. 5.*, leges illas, quæ de imponendis censibus à S. Pio V. sunt constitutæ, quæque tantum juris positivi sunt, in iis locis, in quibus Piana Constitutio usu recepta non est, non observari.

§. XX. Servatis omnibus, quæ servare oportebat, creditor jus acquirit certos ex designato fundo percipiendi fructus, aut horum loco vim certam pecuniæ, illud autem, quod ipse numeravit, pretium ita amittit, ut repetere suo lubitu nequeat. Licet tamen debitori pretium ipsum restituere, atque ita se ære alieno, & census onere liberare; verum duos ante menses res tota nuncianda, & aperienda creditori est (1).

(1) S. Pius V. *cit. Const. Cum onus §. 11.*

§. XXI. Atque hic quidem census *realis* dicitur, quoniam inhæret rei, hoc est fundo, qui ejus hypothecæ subest, & ex quo fructus percipiuntur. Disimilis est ratio census, quem *personalem* vocamus, quoniam non super aliqua frugifera constituitur, sed super ipsa persona venditoris, qui sibi, vel suis etiam heredibus onus imponit certam quoque anno pecuniam solvendi emptori ex industria, & labore suo. Qui quidem census realis non efficitur, quamquam interdum detur hypotheca, ut res sua sit creditori cautior; quoniam pereunte re, quæ hypotheca tenetur, non perit census, uti evenit in censu reali, qui tollitur, & perimitur, perempto fundo, super quo constitutus est t.

§ XXII. Contractus hic quibusdam est visus expers turpitudinis, quæ in usuris inest (1); & hoc exploratum est, per eum vendi non jus percipiendi fructus ex certo fundo, eoque frugifero, sed ipsam vendi annuam præstationem pecuniæ, quæ ex persona debitoris capienda est. Merito igitur hujusmodi contractus improbandus est, quoniam census nequit consistere, nisi in re immobili, eaque fructifera, ac certa, & nominatim designata sit constitutus (2). Ac turpior etiam inest usura in censu personali, qui ab utroque contrahente deleri, & extinguere potest, quoniam hic contractus merum est mutuum, præterea nihil (3).

(1) Scriptores, qui personalem censum defendunt, enumerat Benedictus XIV. *de Synod. Dioces. l. 10. Can. 5. n. 4.*

(2) Confer constitutionem S. Pii V., quam paulo ante laudavi. Itaque dubitari non potest, quin personalem censum facere non liceat in iis locis, in quibus Piana Constitutio recepta est, quoniam ea postulat rem immobilem eamque fructiferam, ac certam, & nominatim designatam, ut in ea census constituitur. Sed non ita certum est, num idem sit ferendum iudicium de iis locis, in quibus eadem constitutio non obtinet. Non enim ea viget ubique, uti supra animadverti; & porro narrat Gurtierrez *Pract. l. 2. qu. 177. in fin.* & Felicianus *de Solis de Censib. l. 1. Can. 7. n. 2.*, Pium V. rogatu Philippi II. hanc Hispanis dedisse veniam, ut ejus Constitutionis præscripta, quæ juris naturalis, aut Divini non sunt, observare non cogentur. Contrario quoque usu, seu legitime præscripta consuetudine effici potest, ut alix gentes iisdem legibus, quæ de imponendis censibus à S. Pio V. constitutæ sunt, non subiciantur. Itaque his in locis videndum est, num in censu personali aliquid insit, quod juri naturali, & divino adversetur. Vehementer tamen suspicatur Benedictus XIV. *loc. cit. n. 5.*, quod in hujusmodi censu, præsertim utrinque redimibili, desiderentur conditiones, quas non solum Pontificia constitutio, sed etiam jus naturæ, ac Divinum postulant, *ne sit larvatus contractus mutui, & propterea coram Deo usurarius*. Itaque recte monet, quod cum ea res nondum à Sede Apostolica definita sit, id unum ab Episcopo faciendum est. Scilicet si diœcesi præest, in qua viget Piana constitutio, curare diligenter debet, ne personales census contra ejusdem Constitutionis præscriptum contrahantur; contra si præpositus sit diœcesi, in qua eadem Constitutio moribus recepta non est, monēbit, atque hortabitur Christianos, ut se ab his censibus absteineant, quoniam, eorum inspecta indole, usuræ periculo, & suspicionem non carent.

(3) Sane si omnes fere Juris Canonici Interpretes periculi plenam esse statuunt emptionem census realis ad certum tempus, uti testatur Pagnanus

in cap. In civitate n. 16. de Censuris, multo magis cavendus est census personalis, qui ab utroque contrahente extinguí potest.

§. XXIII. Est & census, qui *vitalitius* dicitur, quia tantum vivo creditore persolvitur, eoque moriente extinguí-
tur. Census hic emitur & venditur super re quoque fructifera quolibet anno solvendus, donec vitæ usura fruatur sive is, qui pecuniam dedit, sive alius quilibet à contrahentibus designatus (1). Solus debitor census vendens eundem redimere suo lubitu potest, integra restituta pecunia, quam accepit, non item creditor, qui eam numeravit; sed hic contentus esse debet fructibus, quos vivo sibi, aut alteri ab se designato quotannis solvi pactus est (2). Hic quoque census vel *realis*, vel *personalis* esse potest; ad utrumque eadem pertinent, quæ de reliquis censibus paulo supra dicta sunt.

(1) Vitalitium hunc realem censum tum mores, tum leges, & canones probant. Clemens V. in Concilio Viennensi *Clem. 1. de Reb. Eccles. non alien.* Ecclesiæ, aut Monasterii bona, & redditus alicui *ad ejus vitam* concedi permisit, cum id ipsius Ecclesiæ, aut Monasterii utilitas, ac necessitas postularet. S. Pius V. Constitutione, qua definivit, censum annum recte constitui in re fructifera, immobili, certa, ac nominatim designata, vitalitios census super re item fructifera constitutos haud sane improbavit; sed imo cum perpetuum censum certis illis legibus obstrictum approbaverit, multo magis censum temporarium cum iisdem legibus approbasse videtur.

(2) Ex consuetudine autem, atque ex peculiaribus singularum regionum legibus noscendum est, quanti esse debeant fructus, qui ex vitalitio censu quotannis solvendi sunt. Cum nulla peculiaris est lex, & consuetudo, res tota definitur arbitrio boni viri, seu pacto contrahentium, ratione habitæ ætatis, & valetudinis ejus, cujus obitu census extinguí-
tur. Consule Covarruviam *var. resol. l. 3. c. 9. n. 7.*

§. XXIV. Non solum ex pecunia, quæ ad emendum censum, sed etiam ex pecunia, quæ pro collybo (1), aut cambio numerata est, rite, ac recte fructus percipiuntur. Est autem cambium permutatio pecuniæ cum justo mensarii (2) lucro, quod tribus modis fieri potest. Scilicet vel præsens datur pecunia, ut cum alia specie dissimili permutetur, ex. gr. aurea cum argenta; vel uno in loco pe-

cunia mensario traditur; ex. gr. Romæ, ut in alio loco restituantur, ex. gr. Parisiis; vel contra ab ipso mensario pecunia Romæ accipitur, ut is Parisiis restituatur. Primum illud cambium *minutum*, & *manuale* dicitur; reliqua duo cambia *localia*, ac *per literas* appellantur, quoniam per literas pecunia restituitur alio in loco, quam quo soluta, aut accepta est.

(1) Collybii vocabulo pluries Cicero, alique Latini Scriptores utuntur. Proprie collybus est pecuniæ permutatio.

(2) Mensarii dicuntur etiam argentarii, & argenti distractores, ut in *L. unic. Cod. Negotiat. ne milit.*, atque argentariæ mensæ exercitores, ut in *L. 4. ff. de Edn.* Consule Brissonium *de Verb. signific. verb. argentarii t. 1. p. 102. ed. Hala Magdeburg. 1743.*, & Majansium *Disp. 49. n. 22. t. 2. p. 221. & seq. ed. Lugdun. Batav.*

§. XXV. Ex his porro cambiis mensarium jure, & merito lucrum consequi, inter omnes constat; quoniam illud non ex mutuo procedit, sed percipitur propter onera, quæ mensarius cogitur sustinere, ut eam negotiationem exerceat (1). Necesse tamen est, quod in cambio locali vera fiat pecuniæ translatio, aut salten quod qui pecuniam accipit, certum, ac deliberatum habeat animum eam alibi restituendi, nam si eam ab se restituendam sciret ubi accepta est, quamquam alium in locum missæ literæ fingerentur, cambii specie vera lateret usura, quæ forte judicium hominum posset efugere, Dei certe non posset. Atque hoc quidem cambium *fictum*, & *siccum* appellamus (2).

(1) Confer Sotum *de Just. l. 6. qu. 10.*, Navarrum *manual. c. 27. n. 289. ad 295.*, Molinam *de Cambiis qu. 4.*, & Molina *de Contract. tract. 2. disp. 404.*

(2) Cambia *sicca* improbantur à Pio V. in *Const. Cum sicut t. 4. par. 2. Bullar. Roman. p. 1.*, & à S. Pio V. in *Const. In eam 162. t. 4. par. 3. p. 145.*

§. XXVI. Sed hominum calliditate aliud est inventum cambii genus, quod *obliquum* appellatur. Hæc autem ejus contrahendi ratio est. Titius à Cajo mutuos petit aureos nummos mille, quibus indiget; sed hic negotiari, & quæstum

ex negociatione facere solet, & ideo se aliquid daturum negat. Instat Titius, ac denique ita res componitur, ut ipse à Cajo mutuos accipiat aureos nummos mille, quos postulat, ac nihil propter mutuum solvat. Verum ne quid detrimenti Cajo propter mutuum capiat, datur ei facultas similis ab se ipso, aut ab alio accipiendæ pecuniæ, quam cambio occupet, & cum qua negotietur. Titius autem spondet, sese Cajo soluturum, donec mutuum restituat, quidquid ipse impendit, aut impendere deberet, si aureos nummos mille à mensario accepisset.

§. XXVII. Interdum Titius ipse onus suscipit cambio occupandi vim tantam pecuniæ, quantam à Cajo mutuam accepit, ita tamen ut partus ex ea negociatione quæstus pertineat ad Cajum, cui quotannis alter pendit, donec mutuum restituat quantum ex cambio lucri fecit, aut quantum facere posset. Cum illa à mutuante negociatio est exercenda, ejus est demonstrare, cambii literas ab se datas fuisse, aut sese ab alio per cambium mille aureos nummos obtinuisse. Cum vero cambio occupare pecuniam debuit, qui mutuum accepit, de nulla re sollicitus est creditor, cui solvendi sunt fructus, sive alter fregerit, sive servarit fidem. Nam contracto cambio ejus fructus creditori solvuntur, eoque neglecto fructus idem dandi sunt propter id, quod creditoris interest, sive propter damnum, quod in eum redundat, quia debitor stipulationis legi non satisfecit. Atque hic quidem negotii expediendi modus, per quem res est creditori cautior, frequentior esse solet.

§. XXVIII. Jamvero genus hoc cambii, quod *obliquum* appellari diximus, circuitione quadam & anfractu iniquum regere, ac velare fœnus, facile intelligitur; & hoc quidem fœnus magis eminent, & apparet, cum ipse debitor se accipere pecuniam simulat, ut cum ea negotietur. Quis enim credat hominem inopem, qui mutuum accipit propter egestatem, & angustiam rei familiaris, statim in promptu habere pecuniam acceptæ parem, quam cum quæstu, compendioque mutuantis ad nundinas mittat, atque in cambium conferat?

§. XXIX. Quare hic contractus utut probari possit in foro externo, in quo forte res gesta censetur, uti stipula-

tionem conventum est, tamen in foro interno, in quo solum spectatur, quod revera gestum est, si pecunia, quæ mutuum exæqueat, ad nundinas missa non fuit, sive in cambio occupata, neque id unquam propositum fuit contractibus, hujusmodi cambium turpe, & usuræ labe infectum, Christianoque homine indignum habendum est. Licet sane ex pecunia alteri data lucrum consequi propter ademptum lucrum, aut illatum damnum, sive ut vulgo loquimur, *titulo lucri cessantis, aut damni emergentis*; verum id unum, quod æquum, justumque est, præferre mutantibus debent, ut probatum legibus lucrum consequantur, non fucos, & fallaciis adumbrare speciem, & formam veritatis, ut ea sit improbi quæstus, & fœnerationis loco. Clerici tamen etiam in foro externo quodlibet genus cambii agere prohibentur; quoniam qui hos contractus exercent, negotiatores sunt, quales Jus Ecclesiasticum clericos esse non sinit (1).

(1) Confer quæ dixi l. 1. tit. 1. §. 9. p. 110. & 111. atque etiam Giralduum *Exposit. Jur. Pontific. par. 2. sect. 73. p. 913. & seq.*

§. XXX. Neque solum cambio pecuniam fœnerantur homines, sed etiam societate, cujus indoles, & natura est, ut æqua sit partitio periculi, damni, lucri inter duos, aut plures, qui sua in aliqua negociatione pecuniam, aut operam collocarunt (1). Quare iniqua est societas *leonina*, qua alter lucrum tantum, alter damnum sentit; itemque societas ea lege instituta, ut alter quotannis lucrum aliquod obtineat, ac semper, sine ullo sui damno, ac periculo, integram habeat pecuniam, aut rem, quam in societatem, contulit, quæ societas *ad caput salvum* vulgo appellatur (2).

(1) L. 29. & seq. ff. Pro socio.

(2) Vide *Const. Detestabilis avaritiæ* 68. Sixti V. t. 4. par. 4. Bullar. Roman. p. 263.

§. XXXI. Alio etiam modo contrahentes curant, ut non tantum integræ sit semper pecunia, aut res quævis ab altero data sit, sed etiam ut certum, fixumque sit lucrum, quod ipse quotannis consequi debet. Id nimirum præstant per *trinum*

contractum, quem eo nomine appellamus, quoniam ex tribus pactionibus efficitur. Titius societatem coit cum Sempronio, cui tradit aureos nummos mille, ut negocietur. Pecunia hæc quotannis paritura videtur lucrum aureorum 200.; sed Titius metuit, ne in illa periculi plena negociatione aliquam rei datæ jacturam faciat.

§. XXXII. Itaque alium absolvit contractum, quo Sempronio remittit, & condonat aureos nummos quinquaginta ea lege, ut sibi semper sarta tecta sua sit pecunia, aut res quælibet ab se data, qualis tandem cumque ejus negociationis exitus sit futurus. Sed sibi nondum res satis considerata, atque provisa videtur. Quare tertius inicitur contractus, quo Titius alios Sempronio concedit aureos nummos quinquaginta, atque hic vicissim spondet, sese alteri quotannis soluturum aureos centum, sive secunda, sive ad-versa negociationi fortuna sit.

§. XXXIII. Æquus ne haberi debeat, an potius iniquus hic trinus contractus, memoria Patrum nostrorum magna animarum contentione inter Martinum Navarrum (1), & Dominicum Sotum (2) disputatum est, quorum alter ab eo usuræ labem abesse, alter autem in eo prorsus inesse contendebat. Delata est controversia ad Sixtum V. (3), atque ipse, re diligenter cognita, fœnoris damnavit pactum societati adjunctum, per quod alter ex sociis duplici ex parte securus redditur. Cum enim eo pacto evertatur, tollaturque lex societatis, quæ in pari spe, similique periculo utrumque socium esse jubet, consequens est, ut pecunia eo genere contractus credita in mutuum fœneratitium convertatur.

(1) Navarrus in *Manual. c. 17. n. 254. & seq.*

(2) Sotus de *Justit. l. 6. qu. 6. art. 2.*

(3) Sixtus V. *Const. Detestabilis 68. t. 4. par. 4. Bullar. Rom. p. 263.*

§. XXXIV. Sed plures tamen sunt ex Theologorum, & Canonistarum familiis, qui triquam hunc contractum recte iniri posse defendunt (1); & hi quidem negant, in eum quidquam statuisse Sixtum V., quem ajunt tantum impro-basse contractus, qui jam improbatum erant, nullam autem

dixisse legem in eos contractus, qui probi, & honesti habebantur (2). Contra Scriptores multi, & nobiles (3) Soto suffragantur, atque in trino contractu labem apponunt, & vitium usurarum, eumque à Sixto improbatum affirmant (4).

(1) Covarruvias *Var. resol. l. 3. c. 2. n. 3.*, Lessius de *Just. l. 2. c. 25. dub. 3. n. 24.*, Garcia de *Contract. par. 2. c. 67.*, Card. de Lugo de *Just. & ju. disp. 30. sect. 4.*, Gibalinus de *Usur. l. 6. c. 3. art. 4.*, alique.

(2) Ajunt enim, Cardinales Toletum, & S. Severinæ, qui jussu Pontificis constitutionem exararunt, testatos fuisse, Sixtum V. tantum damnare voluisse pactiones, quæ iniquæ essent, quæque usuras continerent, non item eas, quæ omni usuræ vitio carent, uti narrat Comitulus *Respons. moral. l. 3. qu. 12. n. 4.*

(3) Genett *Theolog. Moral. t. 1. tract. 4. c. 14.*, Natalis Alexander *Theolog. Dogmat. & Moral. t. 2. l. 3. c. 7. art. 5. regul. 23.*, Auctor *Dissertationis Lugduni editæ an. 1673. de Usuraria trinum contractum pravitæ*, Aurelius Pjette *t. 4. de Contract. qu. 4. §. 2.*, Saintbeuvius *cas. 185. t. 2. resol.*, Auctor *Theologiæ Moralis ad usum Seminar. Petrocorem. t. 2. l. 4. c. 8.*, Antoinius *t. 3. tract. de Contract. c. 8. quest. 3.*, Continuator prælection. Tournely *par. 2. de Contract. c. 4. art. 1.*, Concina *Usura contractus trini dissertationibus historico-theolog. demonstrata.*

(4) Non enim his credibile videtur, Sixtum V., qui eam edidit constitutionem, ut controversiam dirimeret, quæ inter Sotum, & Navarrum fervebat, hanc questionem in medio relinquere, ac ne attingere quidem voluisse.

§. XXXV. Certe trinus hic contractus plenus est periculi, neque caret usuræ suspitione: ideoque optandum maxime est, ut ab eo sese homines abstineant (1). Verum cum eum nondum Sedes Apostolica expresse damnaverit, ille passim inicitur, atque in foro externo vim, & exitum habet. Forte in judicio, qui pecuniam ab altero accepit, sua sponte, & voluntate adjecisse videtur pactiones trini contractus, ut gratificaretur alteri, qui etiam sine his pactionibus simplicis, meræque societatis gratia pecuniam tribuisset (2).

(1) Benedictus XIV. de *Synod. dioces. l. 10. c. 7.*, à quo cuncta arripui, quæ ad hunc locum pertinent, copiose agit de trino contractu, atque omnia enumerat argumenta, quæ pro eodem contractu, quæque

contra eum affecti solent. Postremo rem omnem concludit his verbis n. 6.: *Hæc sunt præcipua rationum momenta, quæ in utramque partem adducuntur, neque Apostolica Sedes priori opinioni, etsi minus congruere videatur Sixtinæ constitutioni, ullam hæctenus censuram inussit, à qua proinde etiam infligenda debet Episcopus abstinere; ad usum vero quod attinet, tuto poterit contractum trinum, quem etiam ejusdem patroni periculosum fuerit, pro viribus impedire, atque ab eo incundo suos subditos dehortari.*

(2) Quid vero si evidenter constet, debitorem invitum, ac necessitate coactum cum iis pactionibus pecuniam accipere debuisse, quoniam sine iis alter nullo modo pecuniam credidisset? Tunc contractum usuræ labe infectum esse, tradit Carolus Gagliardus *Inst. Canonic. l. 4. tit. 17. §. 112.*

§. XXXVI. Reliquæ sunt pœnæ in eos, qui usuras exercent, Ecclesiæ legibus constitutæ. Ergo criminis usurarum rei, quos nimirum in eo cœno jacere manifesto constat, infames fiunt (1); quæ tamen infamia ex usu, & canonica æquitate tollitur, si resipiscant; & irregulares propter contractam infamiam (2), & intestabiles (3), ita ut eorum, si quæ scripta reliquerunt, testamenta non valeant. Moniti ut redeant ad bonam mentem, si pervicaces fuerint, clerici ab ecclesiastico officio, & beneficio deponuntur, laici excommunicantur (4), ac male parta restituere detrectantibus absolutio sacramentalis, Eucharistia, & ecclesiastica sepultura denegatur (5), & clericus, qui hos homines sepelivit, statim in excommunicationem indicit (6). Sunt & aliæ populorum moribus, ac legibus inductæ pœnæ, & iudex suo arbitrio aut lenioribus utitur, aut asperioribus, uti rerum ratio postulare videtur.

(1) *Can. 2. §. Porro Caus. 3. qu. 7., C. 11. de Excess. Pralat., l. 20. Cod. Ex quib. caus. infam. irrog.*

(2) *Can. 2. dist. 33., Can. 8. dist. 46., Can. 4. dist. 47.*

(3) *Can. de Usur.*

(4) *C. 7. eod.*

(5) *C. 3. de Usur., c. 2. ed. in 6.*

(6) *Clement. 1. de Sepultur.*

§. XXXVII. Constat autem manifesto, aliquem esse huius criminis reum vel ex facti evidentia, quia palam im-

probum fœnus exercet, vel ex propria confessione in iure emissa, vel ex idoneis, ac fide dignis testibus, vel ex violentis indiciis, librisve rationum, quos reus edere cogitur, ut vel crimen appareat, vel ejus suspicio removeatur (1).

(1) *C. 15. de Usur., Clem. unic. §. Ceterum eod., l. 5. & 6. Cod. de Probat.*

TITULUS XVII.

De pœnis, & censuris ecclesiasticis.

- | | |
|---|--|
| I. Ecclesia jus habet infligendi pœnas. | III. Pœnæ corporales ab Ecclesia inflictæ. |
| II. Distinctio pœnarum, & censurarum. | IV. Pœnæ spirituales. |
| | V. Depositio, & degradatio. |

§. I.

Eccliam habere jus infligendarum pœnarum, & eam semper, quoties opus fuit, jus ipsum exercuisse, superiori loco demonstratum est. Sane hominum societas est Ecclesia, & regimen habet à Christo institutum. Ergo jus cogendi homines, qui hac societate continentur, habeat necesse est, cum nullum sine eo jure sit verum, & perfectum regimen; & vero Christus jus ipsum in eam contulit nominatim, dum ei claves dedit, quibus solveret, & ligaret, atque in sontes animadverteret (1).

(1) *Matthæus XVIII. 15. seq.* Quare divinæ institutioni adversantur Pfaffius, Bohemerus, & ceteri Protestantes, qui nullam à Christo jurisdictionem, & nullum sacrum imperium Ecclesiam habuisse contendunt & pœnas ecclesiasticas initio non veras pœnas fuisse existimant, sed potius ex pacto, & conventu pendentes, quoniam Christiani in societatem convenientes sese pactis adstringebant ad illius leges observandas, atque ad eos, qui his legibus non parerent, jure fraternitatis, & officio privandos.

§. II. Ecclesiasticarum pœnarum omnium est finis unus, curare videlicet, ut reus criminis emendetur, & ceteri

contra eum affecti solent. Postremo rem omnem concludit his verbis n. 6.: *Hæc sunt præcipua rationum momenta, quæ in utramque partem adducuntur, neque Apostolica Sedes priori opinioni, etsi minus congruere videatur Sixtinæ constitutioni, ullam hæctenus censuram inussit, à qua proinde etiam infligenda debet Episcopus abstinere; ad usum vero quod attinet, tuto poterit contractum trinum, quem etiam ejusdem patroni periculosum fuerit, pro viribus impedire, atque ab eo incundo suos subditos dehortari.*

(2) Quid vero si evidenter constet, debitorem invitum, ac necessitate coactum cum iis pactionibus pecuniam accipere debuisse, quoniam sine iis alter nullo modo pecuniam credidisset? Tunc contractum usuræ labe infectum esse, tradit Carolus Gagliardus *Inst. Canonic. l. 4. tit. 17. §. 112.*

§. XXXVI. Reliquæ sunt pœnæ in eos, qui usuras exercent, Ecclesiæ legibus constitutæ. Ergo criminis usurarum rei, quos nimirum in eo cœno jacere manifesto constat, infames fiunt (1); quæ tamen infamia ex usu, & canonica æquitate tollitur, si resipiscant; & irregulares propter contractam infamiam (2), & intestabiles (3), ita ut eorum, si quæ scripta reliquerunt, testamenta non valeant. Moniti ut redeant ad bonam mentem, si pervicaces fuerint, clerici ab ecclesiastico officio, & beneficio deponuntur, laici excommunicantur (4), ac male parta restituere detrectantibus absolutio sacramentalis, Eucharistia, & ecclesiastica sepultura denegatur (5), & clericus, qui hos homines sepelivit, statim in excommunicationem indicit (6). Sunt & aliæ populorum moribus, ac legibus inductæ pœnæ, & judex suo arbitrio aut lenioribus utitur, aut asperioribus, uti rerum ratio postulare videtur.

(1) *Can. 2. §. Porro Caus. 3. qu. 7., C. 11. de Excess. Pralat., l. 20. Cod. Ex quib. caus. infam. irrog.*

(2) *Can. 2. dist. 33., Can. 8. dist. 46., Can. 4. dist. 47.*

(3) *Can. de Usur.*

(4) *C. 7. eod.*

(5) *C. 3. de Usur., c. 2. ed. in 6.*

(6) *Clement. 1. de Sepultur.*

§. XXXVII. Constat autem manifesto, aliquem esse hujus criminis reum vel ex facti evidentia, quia palam im-

probum fœnus exercet, vel ex propria confessione in jure emissa, vel ex idoneis, ac fide dignis testibus, vel ex violentis indiciis, librisve rationum, quos reus edere cogitur, ut vel crimen appareat, vel ejus suspicio removeatur (1).

(1) *C. 15. de Usur., Clem. unic. §. Ceterum eod., l. 5. & 6. Cod. de Probat.*

TITULUS XVII.

De pœnis, & censuris ecclesiasticis.

- | | |
|---|--|
| I. Ecclesia jus habet infligendi pœnas. | III. Pœnæ corporales ab Ecclesia inflictæ. |
| II. Distinctio pœnarum, & censurarum. | IV. Pœnæ spirituales. |
| | V. Depositio, & degradatio. |

§. I.

Eccliam habere jus infligendarum pœnarum, & eam semper, quoties opus fuit, jus ipsum exercuisse, superiori loco demonstratum est. Sane hominum societas est Ecclesia, & regimen habet à Christo institutum. Ergo jus cogendi homines, qui hac societate continentur, habeat necesse est, cum nullum sine eo jure sit verum, & perfectum regimen; & vero Christus jus ipsum in eam contulit nominatim, dum ei claves dedit, quibus solveret, & ligaret, atque in sontes animadverteret (1).

(1) *Matthæus XVIII. 15. seq.* Quare divinæ institutioni adversantur Pfaffius, Bohemerus, & ceteri Protestantes, qui nullam à Christo jurisdictionem, & nullum sacrum imperium Ecclesiam habuisse contendunt & pœnas ecclesiasticas initio non veras pœnas fuisse existimant, sed potius ex pacto, & conventu pendentes, quoniam Christiani in societatem convenientes sese pactis adstringebant ad illius leges observandas, atque ad eos, qui his legibus non parerent, jure fraternitatis, & officio privandos.

§. II. Ecclesiasticarum pœnarum omnium est finis unus, curare videlicet, ut reus criminis emendetur, & ceteri

exemplo poenae in officio contineantur. Sed non una est earundem poenarum ratio; sicuti non unum forum, neque una Ecclesiae potestas est. Ei nimirum duplex est forum internum, atque externum, & duplex item potestas, altera, quam ipsa habet communem cum omni vera, ac perfecta republica, & altera spiritualis, quae ejus tantum est propria, quoniam ei uni à Christo data est. Itaque jure veræ, perfectæque, reipublicæ poenas, quæ corpus, & jure spiritualis potestatis poenas irrogat, quæ animum affligunt. Quæ ad corpus pertinent, proprio nomine dicuntur poenæ, quæ animum attingunt, censuræ appellantur (1).

(1) Inter ecclesiasticas poenas, atque censuras nullum initio discrimen fuisse, cunctasque Ecclesiae poenas fuisse tantum spirituales, quæ animum solum affligebant, non corpus castigabant, præter ceteros, putant Van-Espenius *Jus Eccles. univers. par. 3. c. 1. n. 2. & seq.*, Petrus de Marca *de Collect. canon. c. 8. n. 6.*, Cavallarius *Inst. Jur. Can. par. 3. c. 34. § 2. seq.*, Selvagius *Antiquit. eccles. l. 4. c. 1. § 2. seq.* Eadem est sententia Joannis Morini, & ceterorum, qui Ecclesiam tantum internum, non item externum forum habuisse contendunt. Nam si tantum interni fori potestatem Ecclesiae concedimus, consequens est, ut ea jus tantum habeat infligendarum poenarum, quæ animum affligunt, nullam vero in repugnantes externam vim adhibere possit. Sed satis est demonstratum *l. 3. tit. 1. § 7. & seq. p. 9. & seq.*, Ecclesiam semper habuisse non internum modo, sed etiam externum forum, itemque habuisse potestatem, qua invitos, & repugnantes ad parendum cogeret; idque etiam præstiti *l. 4. tit. 1. § 2. not. 3. p. 5. & seq.*, ubi præterea dedit Joannis XXII. constitutionem editam adversus Marsiliurum Patavinum. Ex quo efficitur, ut ei semper jus fuerit irrogandi poenas, quæ animum, & quæ corpus attingerent. Nam ista sic recipiuntur, ut si Ecclesia tantum internum forum habuit, solum animis imperaverit, si utrumque habuit internum, externumque forum, tum in animum, tum in corpus poenas constituere, & vim, quam *coactivam* dicimus, adhibere poterit. Sane temporales, & corpus afficientes poenæ sunt multa pecuniaria, flagella, carcer, exilium, ceteræ generis ejusdem. Atqui has poenas semper ab Ecclesia inflictas fuisse, inter omnes constat, idque à me demonstratum est *l. 4. tit. 1. § 10. p. 20. & seq.* Ac magnum semper Ecclesia discrimen constituit inter corporales, & spirituales poenas, quas illis graviores habuit. Synodus Agathensis *Can. 41. Concil. t. 5. col. 530. Collect. Labbæi: quem (clericum) inquit, ebrium fuisse constitit, ut ordo patitur, aut triginta dierum spatio à communione statuimus submovendum, aut corporali subdendum supplicio.* Ex hoc Agathensis concilii canone manifestum est, Ecclesiam in criminis clericum utramque constituisse poe-

nam, & spirituales, qualis est ejectio à communione per triginta dies, & temporales, cujusmodi est *corporale supplicium*; & vero utramque hanc poenam non in interno, sed in externo foro irrogasse. Nam ea plectitur clericum, cujus crimen non in foro poenitentiae soli sacerdoti notum esset, sed imo quod omnibus esset exploratum, clericum nimirum, quem *ebrium fuisse constitit*. Eadem est sententia Concilii Venetici *Can. 6. t. 5. col. 8.*, & eadem similiter Concilii Matisconensis *l. Can. 5. t. 6. col. 639.*, à quo etiam numerantur ictus, quos clericus criminis accipere debet. Synodus quoque Epaonensis *Can. 15. t. 5. col. 713.*, utramque poenam discriminat, & spirituales, qua majorem clericum plecti jubet, & temporales, quam in minorem clericum constituit. *Si Superioris loci clericus, inquit, heretici cujuscumque clerici concilio interfuerit, anni spatio pacem ecclesiae non habebit. Quod minores clerici si præsumperint, vapulabunt.* Par est ratio Concilii Turonensis II., à quo *Can. 19. t. 6. col. 540.* fustigationis poena plectitur negligentia minoris clerici, Presbyteri autem negligentia privatione communionis per dies triginta. Quo in loco animadvertendum est, hanc poenam imponi non propter peccatum, quod esset ad forum poenitentiae deferendum, sed propter patentem cunctis negligentiam clericum, qui spreto synodi lege *septimanam facere distulerat* cum alio clerico, quem eadem Synodus vitæ Archipresbyteri testem esse voluerat. Sic quoque Concilium Narbonense *an. 589. Can. 1. t. 6. col. 726.* clericum, qui purpureis uteretur vestibus, *velut transgressorem legis coercendum* statuit, unde intelligitur, quæ vis esset legis ecclesiasticæ, cujus *transgressores poenis coercendi* erant. Idemque Concilium *Can. 13. col. 708.* statuit, Subdiaconos desides verbis corripiendos, aut stipendio privandos, reliquos vero clericos flagris coercendos. Quin etiam Abbates propter jus, & potestatem, quam habebant in subditos suos, hoc est monachos, in eos tum spiritualibus, tum temporalibus animadvertentibus poenis, neque illis utebantur, nisi flagitium asperiori poena coercendum videretur. Hinc Socrates *Histor. l. 4. c. 23. p. 238. ed. Cantabrig. 1720.* de Arsenio Abbate Ægyptio narrat, eum grandiores ætate monachos, non item juniores propter crimen à communione separasse; quoniam agebat, hos propter excommunicationem contumaces fieri, illos autem ejus metu, & dolore facile respicere. Idem quoque sancitum est in regula Isidori Hispalensis *c. 17.* apud Holstenium *Cod. Regul. t. 1. p. 195. ed. Augusta Vindelic. 1719.* ubi habentur hæc: *in minori ætate constituti non sunt coercendi sententia excommunicationis, sed pro quantitate negligentiae congruis emendandi sunt plagis.* Eadem occurrunt in regula Macarii *c. 15.* apud eundem Holstenium, in regula Benedicti *c. 70. ib. p. 135.*, in regula Aureliani *C. 41. ib. p. 151.*, eodemque referenda sunt ea, quæ de disciplina maximæ Ecclesiae in monte Nitivæ tradit Palladius *Histor. Lausiac. c. 6. p. 908. in Biblioth. PP. Græco-Lat. to. 2. ed. Ducæi Paris. 1624.* His quidem poenis, quæ corpus cruciabant, hoc sibi Abbates propositum habebant, ut monachi criminis emendarentur. Sed hic idem finis est om-

nium ecclesiasticarum poenarum, quæ sontis emendationem, ceterorumque exemplum respiciunt. Interim ex eo constat, antiquis Ecclesiæ Patribus ita certum, & exploratum fuisse ecclesiasticos Prælatos jus habere infligendi poenas spirituales, & corporales, ut etiam Abbates Regulares utrasque constituerint propter potestatem, quam habebant in monachos, quibus præsidebant. Falsus igitur est Van-Espenius, qui Ecclesiam tantum spirituales poenas irrogasse, easque meras fuisse censuras, quæ animum affligebant, quique ante evulgatam, ut ipse inquit *par. 3. tit. 11. n. 2.*, & *recept. in Isidorianam collectionem Ecclesiam nec poenis pecuniariis, nec corporis afflictivis in vindictam criminum, aut adversus suorum decretorum violatores usam fuisse* contendit. Quid? An pecuniariæ poenæ numero habenda non est ea, quam Marcioni Eleutherium Pontificem altero Ecclesiæ sæculo inflixisse scribit Tertullianus *l. de Præscrip. hæreticor. c. 50. p. 212. ed. Ven. 1744.* An exilii loco habendum non est eici ex Ecclesia, ac relegari? Tertullianus *ib.* De Cerdone confert Irenæum *l. 3. Cont. hæres. c. 4. n. 3. opp. t. 1. p. 178. & 179. ed. Ven. 1734.* De Pactione Schismaticorum vide S. Cyprianum *Ep. 59. ad Cornelium p. 259. ed. Amstædædami 1700. & p. 260. seq.* Age vero deijci de gradu, temporariæ poenæ loco habendum non est? At eo sunt jure usi Episcopi III. sæculo, quæ de re consuli poterit Cyprianus *Ep. 67. ad Phibes Legionis, Asturic. &c. p. 289.*, & *Ep. 68. ad Stephanum Papam p. 292. seq.* An non poenæ corporis afflictivæ erant fustigationes, carcer, exilium, similes, quibus omnibus Ecclesia usa est, multo ante quam Isidorianæ Decretales in manus hominum pervenirent? Eodem cum Van-Espenio ponendi sunt loco Cavallarius, & ceteri, qui cum eo sentiunt. Ex his autem, quæ supra dixi, manifestum est etiam, quam immerito à quibusdam reprehendatur Innocentius III., quasi ipse rem novam invenerit *in cap. 20. de Verb. signific.*, cum respondit, censuras esse tantum tres excommunicationem, suspensionem, & interdictum. Non enim ipse primus censuras à poenis distinxit, quæ quidem distinctio ab antiquissimis usque temporibus semper in Ecclesia agnita, atque probata fuerat; sed tres illas numeravit censurarum species, seu poenas, quæ proprio nomine censuræ appellantur.

§. III. Corporales poenæ, quas ab antiquissimis usque temporibus Ecclesiam adhibuisse constat, præcipuæ sunt ictus fustium, aut flagellorum, detrusio in monasterium, aut in carcerem (1), exilium (2), mulcta pecuniaria (3). Ac de isto quidem postremo genere poenæ cavendum est diligenter, ut omnis procul absit turpis quæstus, & avaritiæ suspicio, cum rei criminum pecuniariæ poenæ subjiciuntur (4). Itaque huic quidem poenæ locus esse non debet, cum ratio, ac natura criminis spirituales postulat (5);

& cum ipsa infligitur poena pecuniaria, non in Episcopi, aut alius ecclesiastici judicis commodum, atque utilitatem convertenda, sed piis locis adscribenda est (6).

(1) Consule quæ dicta sunt *l. 3. tit. 1. §. 21. not. 1. & l. 4. tit. 1. §. 10. not. 4.* Apud Sozomenum *Histor. eccles. l. 2. c. 5. p. 72. ed. Taurini 1747.* memorantur vincula, quibus S. Athanasius Ischyriorem Presbyterum detinuisse ferebatur, Siricius *P. Ep. 1. c. 6.* apud Constantium *col. 629.* monachos, & moniales, à quibus crimen in castitatem admissum fuerit, *in ergastulis* includi jubet, & Concilium Toletanum II. *c. 6.* apud Labbæum *t. 7. col. 566.* perpetuo etiam damnationis ergastulo retineri vult Presbyterem, qui causam sanguinis agitaverit.

(2) *Potestatem habetis*, inquit Carosus Monachus *act. 4. Concil. Chalcedonen.* apud Labbæum *t. 4. col. 1422.*, *Episcopi estis: vultis in exilium mittere, vultis damnare? Quidquid vultis suscipio à vobis.* Vide *l. 4. tit. 1. §. 10. not. 1.*

(3) In Comitibus Tridentinis cum Regis Catholici Oratores quererentur, sicuti ex actis Concilii in arce S. Angeli servatis constare testatur Fagnanus *in C. Licet de poenis n. ult.*, quod Episcopi nimia facilitate in laicos censuras ferrent, huic rei consultum est à Concilii Patribus, dicta lege, ut judices ecclesiastici ad continendos in officio subditos primum alias poenas experirentur, antequam censuras infligerent. Nam *Sess. 25. c. 3. de Reform.* sancitum est, ut iidem judices, *quandocumque executio realis, vel personalis in qualibet parte judicii propria auctoritate ab ipsis fieri poterit, abstineant se à censuris, seu interdicto; sed liceat eis contra quoscumque etiam laicos per multas pecuniarias . . . seu per captionem pignorum, personarumque distractionem per suos proprios, aut alienos executores faciendam, sive etiam per privationem beneficiorum, aliaque juris remedia procedere, & causas definire. Quod si executio realis, vel personalis adversus reos hac ratione fieri non poterit, sitque erga judicem contumacia, tunc eos etiam anathematis mucrone arbitrio suo, præter alias poenas, ferire poterit.* Ex quo manifestum est, Tridentinam Synodum agnovisse, & confirmasse potestatem, quam habent Judices ecclesiastici, corporales poenas infligendi.

(4) *Cap. 13. de Offic. ordin., cap. 3. de Poenis.*

(5) Confer Glossam *in c. 3. de Poenis*, ibique etiam Fagnanum *n. 3.*, & Covarraviam *Var. resol. l. 2. c. 9. n. 9.*

(6) Concilium Tridentinum *Sess. 23. c. 1.*, & *S. ss. 25. c. 3. de Reform.*

§. IV. Graviore sunt poenæ spirituales, quæ proprie censuræ dicuntur, & quarum triplex est genus, excommunicatio, suspensio, interdictum. Omnibus his poenis Eccle-

sia non criminosi interitum quærit, neque illatas Reipublicæ injurias ulciscitur, quo poenæ civilis Potestatis intendunt. Tantum illa curat, ut reus criminis emendetur, & ceteri exemplo poenæ sese à criminibus abstineant; ideo procul habet poenam sanguinis (1), & in poenis, quas infligit, modum quemdam, & rationem adhibet, ut levioribus criminibus leviores, gravioribus autem graviore poenas constituat. Ita excommunicatione, per quam aliquis à Christiana republica excluditur, non multat eum; qui propter levius crimen dignus quidem est, qui in exilium abeat, hoc est, qui ex una civitate, aut regione, non vero ex universa Christiana societate expellatur.

(1) Consule Joannis XXII. constitutionem adversus Mirsilium Patavinum, & Joannem Jandunum, cujus supra facta mentio est.

§. V. Inter ecclesiasticas poenas recensentur etiam depositio, & degradatio; sed nos hanc tractationem primo libro occupavimus. Itaque omnis nostra nunc erit de ecclesiasticis censuris disputatio.

TITULUS XVIII.

De excommunicatione.

- | | |
|---|---|
| I. Censura quid? | ioris. |
| II. Divisio censurarum. | X. Excommunicatus vitandus. |
| III. Potestas excommunicandi à Christo Ecclesie data. | XI. An hæretici, schismatici, similes vitandi sint? |
| IV. Excommunicatio mortalis, & medicinalis. | XII. Summus Pontifex, & Episcopi censuras ferunt. |
| V. In quos medicinalis excommunicatio ferebatur? | XIII. In quos feratur excommunicatio, & quomodo ea ab omnibus metuenda sit? |
| VI. In quos excommunicatio mortalis? | XIV. Quibus de causis irrogetur? |
| VII. Major, minorque excommunicatio, & anathema. | XV. Præmittendæ monitiones. |
| VIII. Excommunicatio lata vel ferendæ sententiæ. | XVI. Excommunicatus à suo Episcopo ubique excommunicatus habendus est. |
| IX. Effectus excommunicationis ma- | |

§. I.

Spirituales poenas proprio nomine censuras appellar diximus. Censura apud Romanos erat nota censoria, per quam aliquis gradu, vel dignitate movebatur. Nam quem Censores in censu, sive descriptione Senatorum, Equitum, Civium præteriissent, is infamia notatus habebatur, ac si Senator esset, à Senatu ejiciebatur, si Eques, publicum equum amittebat, denique si Plebejus, in Cæritum tabulas referebatur. Idem hoc nomen suis quoque poenis, quæ aliquem vel ex Christiana republica expellunt, vel communionem precum, & Eucharistiæ, vel dignitate privant, Ecclesia accommodavit.

§. II. Dividuntur censuræ in excommunicationem, suspensionem, interdictum. Cunctis gravior est excommunicatio, quæ ipsa vi nominis eadem est, ac ejectio de corpore Ecclesie, vel participatione sacramentorum, atque in antiquis monumentis *segregatio, abstensio, abjectio*, similibusque nominibus appellatur. Quod cujusque societatis jus est, id Ecclesie quoque jus esse debet, ut noxios homines ejiciat. Sane non solum Hebræi gravissimi criminis reos infamia notatos è Synagoga, & communionem sacrorum ejiciebat, sed etiam ethnici hoc genus hominum Diris devovebant, sive exsecrabant, quod nos dicimus excommunicare, eosque sacrificiis interdicebant, & civium commercio privabant (1).

(1) Insigne est, quod de Druidis Gallie sacerdotibus narrat Cæsar de Bello Gallic. l. 6. c. 13. p. 299. & 300. ed. Lugdun. Batav. 1737. S quis, inquit, privatus, aut publicus eorum decreto non steterit, sacrificiis interdicitur. Hæc poena apud eos est gravissima; quibus ita est interdictum, si numero impiorum, ac sceleratorum habentur; iis omnes decedunt, aditum eorum, sermonemque defugiunt; neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur.

§. III. Præceptum autem interdicensi criminosis omnem communionem, & societatem tam sacrarum, quam civilium rerum, nos ab ipso Christo accepimus (1), & à Paulo (2), qui nos cum scelestis communi mensa uti vetat, ac nullam vult esse societatem cum eo, qui Dei verbum non audit, ut pu-

sia non criminosi interitum quærit, neque illatas Reipublicæ injurias ulciscitur, quo poenæ civilis Potestatis intendunt. Tantum illa curat, ut reus criminis emendetur, & ceteri exemplo poenæ sese à criminibus abstineant; ideo procul habet poenam sanguinis (1), & in poenis, quas infligit, modum quemdam, & rationem adhibet, ut levioribus criminibus leviores, gravioribus autem graviore poenas constituat. Ita excommunicatione, per quam aliquis à Christiana republica excluditur, non multat eum; qui propter levius crimen dignus quidem est, qui in exilium abeat, hoc est, qui ex una civitate, aut regione, non vero ex universa Christiana societate expellatur.

(1) Consule Joannis XXII. constitutionem adversus Mirsilium Patavinum, & Joannem Jandunum, cujus supra facta mentio est.

§. V. Inter ecclesiasticas poenas recensentur etiam depositio, & degradatio; sed nos hanc tractationem primo libro occupavimus. Itaque omnis nostra nunc erit de ecclesiasticis censuris disputatio.

TITULUS XVIII.

De excommunicatione.

- | | |
|---|---|
| I. Censura quid? | ioris. |
| II. Divisio censurarum. | X. Excommunicatus vitandus. |
| III. Potestas excommunicandi à Christo Ecclesie data. | XI. An hæretici, schismatici, similes vitandi sint? |
| IV. Excommunicatio mortalis, & medicinalis. | XII. Summus Pontifex, & Episcopi censuras ferunt. |
| V. In quos medicinalis excommunicatio ferebatur? | XIII. In quos feratur excommunicatio, & quomodo ea ab omnibus metuenda sit? |
| VI. In quos excommunicatio mortalis? | XIV. Quibus de causis irrogetur? |
| VII. Major, minorque excommunicatio, & anathema. | XV. Præmittendæ monitiones. |
| VIII. Excommunicatio lata vel ferendæ sententiæ. | XVI. Excommunicatus à suo Episcopo ubique excommunicatus habendus est. |
| IX. Effectus excommunicationis ma- | |

§. I.

Spirituales poenas proprio nomine censuras appellar diximus. Censura apud Romanos erat nota censoria, per quam aliquis gradu, vel dignitate movebatur. Nam quem Censores in censu, sive descriptione Senatorum, Equitum, Civium præteriissent, is infamia notatus habebatur, ac si Senator esset, à Senatu ejiciebatur, si Eques, publicum equum amittebat, denique si Plebejus, in Cæritum tabulas referebatur. Idem hoc nomen suis quoque poenis, quæ aliquem vel ex Christiana republica expellunt, vel communionem precum, & Eucharistiæ, vel dignitate privant, Ecclesia accommodavit.

§. II. Dividuntur censuræ in excommunicationem, suspensionem, interdictum. Cunctis gravior est excommunicatio, quæ ipsa vi nominis eadem est, ac ejectio de corpore Ecclesie, vel participatione sacramentorum, atque in antiquis monumentis *segregatio, abstensio, abjectio*, similibusque nominibus appellatur. Quod cujusque societatis jus est, id Ecclesie quoque jus esse debet, ut noxios homines ejiciat. Sane non solum Hebræi gravissimi criminis reos infamia notatos è Synagoga, & communionem sacrorum ejiciebat, sed etiam ethnici hoc genus hominum Diris devovebant, sive execrabant, quod nos dicimus excommunicare, eosque sacrificiis interdicebant, & civium commercio privabant (1).

(1) Insigne est, quod de Druidis Gallie sacerdotibus narrat Cæsar à Bello Gallic. l. 6. c. 13. p. 299. & 300. ed. Lugdun. Batav. 1737. S quis, inquit, privatus, aut publicus eorum decreto non steterit, sacrificiis interdicitur. Hæc poena apud eos est gravissima; quibus ita est interdictum, si numero impiorum, ac sceleratorum habentur; iis omnes decedunt, aditum eorum, sermonemque defugiunt; neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur.

§. III. Præceptum autem interdicensi criminosis omnem communionem, & societatem tam sacrarum, quam civilium rerum, nos ab ipso Christo accepimus (1), & à Paulo (2), qui nos cum scelestis communi mensa uti vetat, ac nullam vult esse societatem cum eo, qui Dei verbum non audit, ut pu-

dore afficiatur, atque ita ad bonam frugem redeat. Quem deinde morem Ecclesia perpetuo retinuit; & certe ab Ecclesia execrati non modo sacris interdicti, sed etiam ab omnium aditu, & sermone semper exclusi fuerunt (3).

(1) Matthæus VIII. 17.

(2) Paulus I. *ad Corinth. V. 11.*, & II. *Thessalonic. III. 14.* Multi sunt ex hæreticis, & aliqui item, qui Catholicorum nomen præferunt, sed tamen cum illis revera sentiunt, qui jus excommunicandi, quod habet Ecclesia, tantum juri humano, non item juri Divino tribuendum putant. Cathari, & Albanenses, teste Prateolo *de Vitiis hæretic. l. 1. tit. 22.* negarunt, adesse institutam potestatem infligendi censuras, quos quidem refellit Moneta *l. 5. Adv. Cathar. c. 5. §. 6. p. 439. ed. Romæ 1743.*, & his Wicleffus, & Joannes Hussius adhæserunt ex testimonio Concilii Constantiensis *Sess. 8. err. 30.*, & *Sess. 15. err. 19. t. 16. Concil. col. 121. 249. Collect. Labbæi.* Ex Wicleffo Lutherus sumpsisse videtur articulum suum 18., quo inquit, excommunicationes esse tantum penas externas, nec privare hominem bonis spiritualibus. Erasmus *Colloq. inquisit. de Fid. hæreticorum* more petulanter excommunicationem irridet. Seldenus *de Sinedr. Hebr. l. 1. c. 9.* juris Divini esse negat in aliquem excommunicatione animadvertere, quem graviter ad hunc locum exagitat Calmetus, & aliud quoque sentiunt Hammondus, & Clericus *in Comment. ad Matth. XVIII. 17. & 18.*, licet hæretici, qui jus ferendi censuras referunt ad clavium potestatem, quæ Apostolis, eorumque successoribus data est. Pfaffius etiam, similiter hæreticus, Seldeno adversatur *Orig. jur. eccles. art. 2. p. 66. ed. Tubingæ 1736.*, ac jus ferendi excommunicationem contineri statuit eo Pauli præcepto *I. ad Corinth. V. 13. auferte malum de medio vestri*; licet deinde potestatem illam ad jus extraordinarium, vel solum collegiale referendum putet. Bohemerus *Jus eccles. insit. l. 5. tit. 39. §. 6. & seq.* jus excommunicandi non à Christo repetit, sed ortum putat ex mutuo foedere, atque ex conjunctione Ecclesiarum, ut scilicet collegii status integer servaretur. Id vero consentaneum est paradoxo, quod ipse tuetur, de Ecclesie collegio; atque hinc §. 17. cum Basnagio *Diss. de Excom. Christian. §. 13. in t. 2. annal.* putat, per excommunicationem tantum adimi externam communionem. Petrus Giannonius *Histor. l. 1. c. ult. n. 6.* existimat, ad similitudinem censuræ Romanorum apud Christianos excommunicationem humano jure inductam fuisse. Auctor libelli *La Chiesa è la Repubblica dentro i loro confini* satis indicat, sese ab humano jure ortam excommunicationem credere. Canonicus Litta in libro *Del Diritto d'imporre gl'impedimenti, e di dispensarne ad jus*, & sistema societatis, humanamque institutionem Christianorum excommunicationem commode referri posse arbitratur. Huc etiam spectant ceteri, qui omnem Ecclesie addimunt potestatem, per quam ipsa repugnantes ad parendum cogat. Sed jus infligendi censuras à Christo Ecclesie datum, tam certum,

tamque exploratum est, ut illud in discrimen revocare insignis impudentie sit. Nam ut mittat ligandi, & solvendi potestatem, qua certe etiam excommunicatio comprehenditur, ejusdem excommunicationis poena discrete, & perspicue designatur iis verbis, quibus Christus *tamquam ethnicum, & publicanum* hæretici voluit eum, qui Ecclesiam non audiret. Quibus quidem verbis, excommunicationem intelligi, non solum omnes Patres, atque Interpretes sentiunt, sed etiam patet ex more Hebræorum, qui ab externæ gentis, ac religionis hominum consortio sese penitus abstinabant ex Divino præcepto *in Exod. XXXIV. 12. 15. 16.*, quod tam diligenter observabant, ut ceteras nationes execrarentur, sicuti præ ceteris observavit Tacitus *Histor. l. 5. n. 5. opp. t. 3. p. 797. ed. Ven. 1708.* Nec minus Hebræi odio habebant eos, qui cum essent Judaicæ nationis, publica vectigalia redimebant, sive quod lucri faciendi studio fratres usuris vexarent, sive quod externis gentibus tributa libero populo imponentibus obsequerentur; quod utrumque contra Divinæ legis præceptum erat. Atque hanc quidem à Christo acceptam potestatem non semel & verbis, & facto ostendit Paulus, cujus in primis celebris est poena ab eo constituta in Corinthium civem, quem sacrorum communione prohibuit, & Satanæ etiam tradidit, ut poenæ mœrore confectus resipisceret. Quam gravis autem hæc poena habita fuerit, ostendit mœror, quo non tantum ipse Corinthius, in quem illa fuerat constituta, sed etiam ceteri affecti sunt, uti patet ex II. *ad Corinth. II. 10. seq.* Atque omnes quidem Patres potestatem ferendi censuras, quam habet Ecclesia, à Christo repetunt. Ne longus sim, indicabo Cyprianum *Ep. 55. ad Antonian.*, & *Ep. 59. ad Cornelium p. 246. & 261. ed. Amstelod. 1700.*, Tertullianum *Apolog. c. 39. p. 31. ed. Paris 1675.*, Jo. Chrysostomum *Hom. 4. in Ep. ad Hebr. opp. t. 12. p. 49. ed. Paris. an. 1735.*, cujus hæc verba sunt: *Nem. contemnat vincula ecclesiastica, non enim homo est, qui ligat, sed Christus, qui nobis hanc potestatem dedit*, Hieronymum *in Matth. c. 18. n. 18. opp. t. 7. col. 141. ed. Vallarsii Verona*, Augustinum *Ep. 250. ad Auxilium opp. t. 2. col. 878. ed. Ven. 1729.*, Gregorium Nyssenum *in Orat. advers. eos qui ægre ferunt reprehens. opp. t. 2. p. 746. ed. Paris. 1615.* Quanti autem Christiani omnes semper excommunicationem fecerint, ostendunt Eusebius *Histor. l. 6. c. 34. p. 298. ed. Cantabrig.*, Basilium *Ep. 61. ad S. Athanasium p. 156. opp. t. 3. ed. Paris. 1730.*, Ambrosium *Ep. 13. ad Theodosium Imper. n. 5. seq. opp. t. 6. p. 11. ed. Ven. 1781.*, Jo. Chrysostomus *Orat. in S. Babylam contra Julianum & contra Gentiles n. 6. opp. t. 2. p. 545. ed. Paris. 1718.*, Paulinus *in Vit. S. Ambrosii n. 24. opp. Ambros. t. 7. p. 7.*, Synesius *Ep. 58. p. 201.*, & *Ep. 67. p. 208. seq. ed. Paris. 1630.*, Gelasius P. *Ep. 7. ad Episc. Dardm. t. 5. Concil. col. 293. Collect. Labbæi*, Theodorus *Histor. ecclesiast. l. 5. c. 18. p. 216. ed. Cantabrig. 1720.*, Concilium Valentinum *an 384. t. 6. Concil. col. 659 Collect. cit.*, Concilium Toletanum III. *an. 589. C. m. 23. t. 6. col. 702.*, Concilium Toletanum XII. *an. 681. c. 4. t. 7. col. 1436.*, Concilium Toletanum IV.

ranum XIII. an. 683. *Can. 9. t. 7. col. 1474.*, Acta Cleri Gallicani t. 12. p. 10. *ed. Paris. an. 1740. & p. 569. seq.* Ceterum nomen ipsum censuræ, cuius species est excommunicatio, à Romanis arreptum haberi potest, non item res ipsa, ut recte observat Bianchius in Giannonium t. 3. l. 1. t. 5. §. 2. p. 235., cum longe dissimilis sit vis, ac ratio Christianæ censuræ, & censuræ Romanorum. Omnis sane Respublica jus habet expellendi sotas à societate sua; sed Ecclesiæ eadem est potestas, non tantum quia jus habet veræ, & perfectæ Reipublicæ, sed etiam quia illam à Christo potestatem accepit. Si Ecclesia tantum esset Respublica, ejus censura vim eandem haberet, quam habent censuræ ceterarum Rerum-publicarum. Sed quoniam ei sunt jura Reipublicæ, & est etiam spiritualis potestas à Christo data, consequens est, ut in ejus censura non tantum vis insit, quæ Reipublice propria est, sed etiam potestas spiritualis, quæ animum afficiat. Consule, præter Interpretes *ad c. XVIII. Matthæi, & I. ad Corinth. c. 5.*, Suarezium *de Censur. Disp. 1. sect. 1.*, Theophilum Rainaudum *de Monit. eccles. par. 2. c. 15. n. 6. seq. opp. t. 14. p. 490. ed. Lugd. 1665.*, Gregorium de Valentia *Theol. t. 4. Disp. 7. qu. 17. punct. 1.*, Coletum *Th. mor. tr. de Cens. qu. 1.*, Michaellem Amaturn *Pougetum Inst. Cathol. de Sacr. Pœnit. c. 9. de Cas. reser. & censur. Les conferences de Lucun. t. 7. conf. 20. qu. 1. p. 341. & seq.*, Bianchium *l. c.*, Mamachium *ad auctorem op. Quid est Papa? Ep. 4. n. 2. t. 2. p. 7. & seq.*, & Zaccariam tum in libro *Le stirte idee raddrizzate c. ult.*, tum *Diss. 3. Della forza obbligatoria della disciplina n. 23.*

(3) Cùm iis, qui ab Ecclesia exsecrati sunt, hoc est mortali, aut majori excommunicationi subjecti, civile quoque commercium semper interdictum fuisse constat; & id quidem sumptum videretur ex iis Pauli verbis *I. ad Corint. V. 4. Nunc scripsi vobis, ne commisceamini. Si quis, cum frater nominatur, sit scoreator, aut alieni avidus, aut idolatra, aut convitiator, aut obriosus, aut rapax, cum ejusmodi, inquam, ne edatis quidem.* Et iterum *ad Roman. XVI. 17. Precor, vos fratres, ut observetis dissiliorum, & offendiculorum auctores, contra doctrinam, quam vos didicistis, & declinetis ab eis.* Et *II. ad Thessalonie. III. 14. Si quis non auscultat nostro per epistolam sermone, hunc notate, & ne commercium habete cum eo, ut erubescat.* Itemque ex illis Joannis II. 10. 11. *Si quis venit ad nos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis; qui enim dicit ei ave, communicat operibus ejus malignis.* Secundum has regulas multis Ecclesiæ legibus sancitum est, ut Christiani omnem aditum, sermonemque defugiant eorum, qui mortali excommunicatione tenentur, ne quid ex contagione incommodi accipiant. Canon 8. Apostolorum apud Cotelerium *PP. Apostolic. t. 1. p. 443. ed. Amstelod.* vetat, ne quis etiam in domo privata cum excommunicato preces fundat. Concilium Toleranum I. *Can. 7. 15. 16. 18. t. 2. Concil. col. 1472. & seq. Collect. Labbæi* nec cibum, aut potum sumi, neque ullam prorsus societatem cum excommunicato haberi permittit. Eadem sententia est Concilii Carthaginensis IV.

Can. 73. t. 2. col. 1443. Collect. Labbæi, Arelatensis II. Can. 8. t. 5. col. 3. ib., Concilii Venetici *Can. 5. ib. col. 8.*, Ilerdensis *Can. 4. t. 5. col. 752.*, Turonensis I. *Can. 8. ib. c. l. 76.*, Aurelianensis I. *Can. 3. ib. col. 544.* Idem quoque docent antiqui Patres, atque Scriptores, quos ne omnes percenseam, contentus ero testimoniis S. Irenæi *Contr. hæres. 30. Ebionit. opp. t. 1. p. 175. ed. Ven. 1734.*, S. Epiphani *Hæres. 30. Ebionit. opp. t. 1. p. 148. ed. Colonie 1682.*, S. Basilii *Ep. 61. ad Athanas. opp. t. 3. p. 156. ed. Paris. 1730.*, S. Leonis M. *Ep. 32. ad Faustum &c. opp. t. 1. col. 859. ed. Bullerin. Ven. 1733.*, S. Innocentii *Ep. ad Carthag. Concilii Patres inter epistolas Augustini Ep. 181. opp. August. t. 6. 2. col. 638. ed. Ven. 1729.*, S. Ambrosii *Ep. 40. ad Theodos. opp. t. 6. p. 134. ed. Ven. 1781.*, S. Augustini *Contr. Ep. Parmenian. l. 3. n. 13. col. 64. opp. t. 9. ed. cit.*, S. Hilarii in *Fragm. II. oper. histor. n. 8. col. 628. t. 2. ed. Verona 1730.*, Eusebii *Histor. l. 3. c. 28. p. 123. ed. Cantabrig.*, Synesii *Ep. 58. p. 201. ed. Paris. 1653.*

§. IV. Vetus Ecclesiæ disciplina duplicem habuit excommunicationem, mortalem, & medicinalem (1). Hæc pro levioribus criminibus, & in eos infligebatur, qui peccata sua agnoscebant, & pœnitentiam, pacemque postulabant. Hujusmodi excommunicatio *αποοπισ*, hoc est *separatio* dicebatur, eaque duos gradus habebat. Alii enim à sola Eucharistiæ participatione, & alii etiam à fidelium precibus excludebantur, ac tantum cum catechumenis preces fundere debebant (2). Horum neuter arcebatur ab Ecclesia; quæ gravior erat majori excommunicationi affixa pœna.

(1) Mortalem, & medicinalem excommunicationem apposite distinguit Augustinus *Serm. 351. de Pœnit. opp. t. 5. part. 2. col. 1359. ed. cit.* his verbis: *Nos vero à communionem prohibere quamquam non possumus (quamvis hæc prohibitio nondum mortalis sit, sed medicinalis) sed nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive sæculari, sive ecclesiastico judicio nominatum, atque convictum... Cujusmodi regulam etiam Paulus Apostolus in eadem ad Corinthios epistola insinuasse intelligitur, cum quibusdam talibus commemoratis criminibus, ecclesiastici judicii formam ad omnia similia ex quibusdam daret. Ait enim: scripsi vobis in epistola non commisceri fornicariis &c. Quibus verbis satis ostendit, non temere, aut quomodolibet, sed per judicium auferendos esse malos ab Ecclesiæ communionem; ut si per judicium auferri non possunt, tolerantur potius, ne perverse malos quisque evitando, ab Ecclesia ipse discedens eos, quos fugere videtur, vinciat ad gehennam.* Locus hic Augustini duo in primis ostendit evidenter; alterum est, quod externum forum haberet Ecclesia, alterum autem, quod

minor excommunicatio non solum in foro poenitentiae, sed etiam in foro externo infligeretur. Nam inquit Augustinus, tum *mortalem*, tum *medicinalem* excommunicationem non esse irrogandam, nisi adversus *sponte confessum, aut in aliquo sive saeculari; sive ecclesiastico iudicio nominatum, atque convictum*. Quotusquisque ad forum poenitentiae referendam poterit poenam inflictam adversus eum, qui *in saeculari, sive ecclesiastico iudicio nominatus, atque convictus sit?* Magnus est etiam error illorum, qui medicinalem excommunicationem cum publica poenitentia confundunt, quasi nullum inter unam, atque alteram discrimen intercedat. Omnis quidem publica poenitentia erat medicinalis excommunicatio, quoniam utraque in poenae genere conveniebat; sed non omnis medicinalis excommunicatio erat publica poenitentia, aut eam necessario secum ferebat. Patet id ex Concilio Eliberitano *Can. 14.*, cuius haec verba sunt: *Virgines, quae virginitatem suam non custodierint, si eosdem, qui eas violaverint, duxerint & tenuerint, eo quod solas nuptias violaverint, post annum sine poenitentia reconciliari debebunt*. Hae mulieres medicinali excommunicatione tenebantur, ideoque Eucharistiae participes esse non poterant; & tamen nullam publicam poenitentiam agere debebant, ut recte illum canonem interpretatur Albaspinaeus *p. 163, ed. Neap. 1770.*, sed *post annum sine poenitentia reconciliari debebant*.

(2) Theodoretus *Ep. 77. Eulalam opp. t. 3. p. 947. ed. Paris. 1642.* *Arceantur*, inquit, *a participatione sacrorum mysteriorum, a catechumenorum autem oratione non prohibeantur, neque Divinarum Scripturarum auditione, neque magistrorum auditione*. Eodem spectant Gregorius Thaumaturgus *Ep. canon. Can. 5. & 8. p. 40. ed. Paris. 1621.*, Basilius *Ep. canon. 1. ad Amphiloeh. Can. 4. opp. t. 3. p. 271. & 272. ed. Paris. 1730.*, Concilium Ilerdense *Can. 4. Concil. t. 5. col. 752. Collect. Labbaei, & Eliberitanum Can. 21. t. 1. col. 994.*, ex quibus vis, & ratio medicinalis excommunicationis intelligitur.

§. V. Erat etiam medicinalis, aut minoris excommunicationis loco illa unius Episcopi, aut Ecclesiae ab alio Episcopo, Ecclesiaeque separatio, per quam fiebat, ut duo Episcopi inter se neque darent, neque acciperent literas formatas, neque alter alterius ab se separatae Ecclesiae filios ad communionem admitteret. Hujusmodi excommunicatio locum habebat, si aliqua Ecclesia, aut Episcopus aliam Ecclesiam in fidem, aut in disciplinam peccare intelligeret (1). Sed mutua haec excommunicatio, si Ecclesiae sibi invicem subjectae non essent, proprie ecclesiastica censura non erat; sed tantum erat divisio, & separatio communionis, quam una Ecclesia, alteri, cui non subesset, denegare poterat.

(1) Ita S. Epiphanius, uti patet ex ejus *Ep. ad Joan. Episc. Hierosol. opp. t. 2. p. 312. ed. Coloniae 1682.* Joannis Episcopi Hierosolymitani communionem rejecit, quod eum Originis errores defendere intellexerat.

§. VI. Mortalis excommunicatio ferebatur in reos graviorum criminum, atque in illos, qui sui sceleris poenitentiam agere detrectabant. Haec in antiquis canonibus *παραλήξ ἀφορισμός*, hoc est *omnimoda separatio, & anathema*, nimirum *execratio* appellatur, quod esset maxima execratio, quae adversus homines componi poterat. Qui ita erant execrati, ab Ecclesia penitus ejiciebantur, ac non solum ab Eucharistia, sed etiam a fidelium precibus, atque ab audientis scripturis in ecclesiastico conventu excluderentur (1).

(1) Formulam hujus excommunicationis describit Synesius *Ep. 58. p. 201. ed. Paris. 1633.* Unde intelligimus, quod cum in aliquem lata erat mortalis excommunicatio, viciniae Ecclesiae, & interdum etiam omnes per totum orbem Ecclesiae ejus rei certiores fiebant per literas, ut omnes id ratum haberent, & excommunicatum ab omni communionem repellerent, & execratum haberent, omnique aditu, & sermone prohiberent. Quae omnia, pluribus ex antiquitate collectis monumentis, fuse describit Binghamus *Orig. eccles. l. 16. c. 2. §. 8. & seq. tom. 7. p. 84. & seq. ed. Hala Magdeburg. 1761.*

§. VII. Nunc excommunicatio alia major, alia minor appellatur. Minor excommunicatio est, per quam aliquis a suscipiendis sacramentis, obtinendisque beneficiis arceatur, eamque contrahit, qui cum homine majori excommunicationi subjecto extra crimen communicat; nam qui criminis particeps est, & ipse majori excommunicatione implicatur (1). Major excommunicatio est, quae hominem prorsus ejicit ab Ecclesia, atque a societate, & communione Christianorum. Haec excommunicatio proprio nomine anathema appellatur (2), cum in ea ferenda publicae, ac solemnes caeremoniae adhibentur, quae poenam augent non vi separationis, sed horrore solemnitatis, qua illa constituitur (3).

(1) *Cap. 29. & 55. de Sentent. excomm.*

(2) Anathema ab excommunicatione differt propter solemnitates, & caeremonias, quae in eo ferendo adhibentur, quaeque describuntur in *Can.*

106. c. 11. qu. 3., reipsa utrumque unum, & idem est. Hinc olim excommunicationis, & anathematis vocabulum promiscue accipiebatur. Sed recentiori ætate anathema ab excommunicatione distingui cœpit. Gratianus *Can. 12. c. 3. qu. 4.* refert Engeltrudam uxorem Bosonis non solum excommunicatione, sed etiam anathemate crebro percussam fuisse. Similiter anathema ab excommunicatione distinguitur in *Can. 41. c. 11. qu. 3.*, à Concilio Turonensi II. *Can. 24.* apud Labbaum t. 6. *Concil. col. 546. ed. Ven.*, & ab Adriano II. *Ep. 15.* apud eundem t. 10. *col. 419.* Pontificale Romanum *par. 3. tit. 17. §. 1. p. 168. ed. Catalani Romæ 1740.* respectu habito ad solemnitates, quæ anathema, & excommunicationem discriminant, tres excommunicationes numerat, minorem, majorem, & anathema. Illud hoc loco animadvertendum videtur, quod excommunicatio etiam inter pœnas monachorum recensetur in Regula S. Benedicti c. 23. & seq. apud Holstenium *Cod. Regular. t. 1. p. 124. ed. August. Vindelic. 1759.*, in Regula S. Isidori c. 16. & 17. p. 195., in Regula Magistri c. 19. 23. 80. p. 251. 254. 278. Erat autem hæc excommunicatio interdum à mensa, interdum ab oratorio, illa pro levioribus, hæc pro gravioribus culpis infligebatur. Confer Regulam S. Benedicti l. cit. c. 24. 25. 44. p. 124., & 128. A mensa excommunicatum sequestratum à mensa appellat Regula Magistri l. cit. c. 23. p. 254., nam qui hoc pœnæ genere tenebatur cum reliquis Monachis ad mensam ire non poterat, uti excommunicatus ab oratorio repellebatur, in quo ceteri Monachi preces fundebant.

(3) In antiquis canonibus, atque in omnium damnatione hæreticorum sane frequens est anathematis nomen. Concilium Gangrense singulos canones suos concludit his verbis *ἀνάθεμα ἴστω ἀνάθεμα σὶ*, hoc est ab omni Ecclesiæ communionem sejunctus, & ab omnibus execratus habeatur, qui Concilii legibus non obtemperaverit. Hisdem pleraque Concilia verbis utuntur; id autem sumptum videtur ex ea Pauli formula *ad Galat. l. 8. etiam si nos, aut Angelus à caelo evangelizet vobis præter id, quod vobis evangelizavimus, anathema sit.* Verum ipse Apostolus I. *ad Corinth. XVI. 22.* vocabulo *Anathema* addit & alterum *Maranatha*, quod & interdum veteres Synodi præstiterunt. De hujus vocabuli *Maranatha* significatione magna opinionum dissensio est. S. Joannes Chrysostomus *Hom. 44. in I. ad Corinth. n. 3. opp. t. 10. p. 410. ed. Paris. 1732.* hoc vocabulum Hebræum esse dicit, & significare *Dominus noster venit.* Quod Hebraica voce Apostolum expressisse censet, tum ut dispensationis Domini sermonem confirmaret, quod ex iis maxime composuerit semina resurrectionis, tum ut eos pudore afficeret, quasi diceret: *communis omnium Dominus tantum dignatus est descendere; vos autem in iisdem estis, & perseveratis peccare.* S. Hieronymus *Ep. 26. ad Marcellam n. 4. opp. t. 1. col. 131. ed. Vallarsii Veronæ* verbum *Maranatha* magis Syrum, quam Hebræum putat, eoque Apostolum Hebræis perversitatem suam exprobrasse inquit: *ut sit sensus, si quis non amat Dominum Jesum, anathema sit: & illo completo deinceps inferatur, Dominus noster venit.* Quod su-

perfluum sit adversus eum odiis pertinacibus velle contendere, quoniam venisse jam constat. Eadem est sententia Hilarii Diaconi, cujus opera olim Ambrosii nomine circumferebantur, in I. *ad Corinth. XVI. vers. 22. in append. opp. S. Ambrosii t. 7. p. 198. ed. Ven. 1781.* S. Augustinus *Maranatha* Syrum vocabulum esse affirmat *Ep. 20. n. 15. opp. t. 2. col. 964. ed. cit.*, & significare *donec Dominus redeat.* Henricus Hammondus, pluresque alii recentiores Interpretes, uti patet ex Poli *Synops. critic. in I. ad Corinth. XVI. 22.*, verbum hoc ita explicat, *Dominus veniet ad iudicium*, quemadmodum Judas Apostolus ait: *ecce veniet Dominus cum sanctis millibus, ut ferat iudicium adversus omnes, & redarguat quicumque ex iis sunt impii.* Atque id quidem simile esse statuunt gravissimæ excommunicationi, qua Hebræi utebantur, quamque *schammata* appellabant. Inquiunt enim, ab Hebræis tres excommunicationes adhibitas fuisse *נִדְדוּי* *Niddui*, *חֶרֶם* *Cherem*, & *שַׁחֲמַתָּה* *Schammatha*. Postrema hæc excommunicatio omnium gravissima erat, ac per eam reus criminis post omnia humana remedia cum execrationibus à reipublicæ, & fidelium communionem sine spe veniæ eiciebatur, & soli Divino iudicio relinquebatur. Memorat *Anathema maranatha* Concilium Toletanum IV. c. 75. t. 6. *Conc. col. 1471. Collect. Labbzi*, eoque verbo hoc significari docet, ut *perditio in adventu Domini sit.* Cui simile est decretum Concilii Toletani XVI. c. 10. t. 8. *Concil. col. 69. ib.*, & *anathema maranatha* est etiam excommunicatio lata à Concilio Remensi anni 900. t. 11. *col. 672.* adversus eos, qui Fulconem Remensem Archiepiscopum rerum ecclesiæ suæ defensorem jussu Balduini Flandriæ Comitis interfecerant. Late ea de re disputant Baronius *ad an. 57. n. 173. t. 1. p. 475. ed. Luca*, Binghamus *Orig. eccles. l. 16. c. 2. §. 16. 17. t. 7. p. 113. & seq. ed. cit.*, & Selvagijs *Antiquit. Christian. l. 4. c. 1. §. 8.*

§. VIII. Est item excommunicatio vel latæ, vel ferendæ sententiæ. Hæc à iudice per sententiam irrogatur, illa autem nullam iudicis sententiam postulat, sed à jure ipso infligitur, eique locus est *ipso facto*, nimirum statim ac aliquis crimen admisit, & canonis decreta violavit. Ex formulis quæ in Ecclesiæ legibus usurpantur, facile intelligitur, quæ ferendæ, quæ latæ sententiæ excommunicatio sit. Illa enim concepta est verbis, quæ pœnam infligendam ostendunt, qualia sunt *excommunicetur, segregetur vel præcipimus sub pœna excommunicationis* hæc autem ipsa verborum formula significat pœnam solo juris ministerio constitutam uti sunt verba *excommunicatus sit ipso jure, vel facto excommunicationem incurrat.* Formula hæc excommunicationis; quam statim ipsa violatio legis infli-

git, non recentioris disciplinæ, ut quidam putant, sed antiquissima in Ecclesia est (1).

(1) Godescalcus Rosemundus Lovaniensis Theologus *Confess.* 20. è medio tolli vellet excommunicationes latæ sententiæ, & eas contra perpetuum usum totius Ecclesiæ perniciosas audacter prædicat, quem novi quidam è turba Ultrajectinorum Quesnelli assecularum sequuntur. Suam vero sententiam tueri conatur potissimum auctoritate Gersonis, qui tamen in *Tract. de Vita spiritual. anim. lect. 4. corollar. 14. opp. t. 3. p. 49. ed. Antwerp 1706.* minime hoc genus excommunicationis imprecatur, tantum monet, excommunicationem latæ sententiæ hoc efficere, ut absque processu alio judiciali, aut nova constitutione possit iudex statim, probato facto, vel confessato, ferre juris sententiam, & eandem publicare: non sic ubi canones essent solum ferenda sententiæ; quoniam monitiones, & processus secundum terminos juris prærequirerentur multilices. Quod quidem est consentaneum juris disciplinæ, quæ requirit sententiam, quæ crimen declaratur; quoniam in foro externo nemo excommunicatione implicatus haberi potest, nisi primum constet, eum esse reum criminis, cui censura ipso jure adjuncta est. Verum in foro interno nulla requiritur iudicis declaratio, sed qui crimen patravit, cui conjuncta censura est, statim coram Deo, cui nota, & perspicua sunt omnia, excommunicatus efficitur. Suam enim contumaciam, & Ecclesiæ contemptum satis aperte declarat, qui peccat in legem, à qua scit illico, & ipso facto constitutas esse censuras adversus illos, qui ei non obtemperant. Ita vere, & solide argumentatur Suarezius de *Censur. disp. 3. sect. 8. n. 3.*, & Gonzalezius in *c. 48. de Senten. excom. n. 6.*, omnium vero accuratissime ea de re disputat Theophilus Raynaudus de *Monit. eccl. part. 2. cap. 20. opp. t. 14. p. 514.*, quo quidem loco graviter, & egregie refutat Ayalam improbantem censuras latæ sententiæ, quod nullam canonicam admonitionem sequuntur, atque ostendit, admonitionis loco esse ipsam legem, quæ omnibus objecta est, quæque inflata censure poena aliquid fieri jubet, aut vetat. Van-Espenius *Jur. eccles. univers. part. 3. tit. 11. c. 6. num. 29.* Cavallarius *Institution. canonic. part. 5. cap. 35. §. 7.*, aliquæ expresse quidem improbare non audent excommunicationem late sententiæ, sed eam recentiori ætate inventam fuisse, ac tantum XI., aut XII. Ecclesiæ sæculo usurpari cœpisse arbitrantur. Sed qui ita sentiunt, sese omnis antiquitatis plane rudes, & imperitos fateantur necesse est. Nam excommunicatio latæ sententiæ originem repetit ab ipso Apostolo, cuius hæc verba sunt ad *Galathas l. 8. Si quis verbis evangelizaverit, præterquam quod accepistis, anathema sit.* Ergo hæreticus non hominis sententia, sed ipso facto anathema est, statim ac doctrinam tradit, quæ Pauli doctrinæ adversetur. Ipse Paulus ad *Titum III. 10. & 11.* post unam, & alteram correptionem scelestum devitari jubet, sciens; inquit, quia subversus est qui ejusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus. Quem Pauli locum ita interpretatur Augustinus in *Can. 29.*

Caus. 24. quest. 3., quia subversus est hujusmodi & peccat, & est à semetipso damnatus. Hæreticus, quem defugere oportet, quia proprio iudicio, vel à semetipso damnatus est, nonne est hæreticus, qui propter ipsam crimen, non propter hominis sententiam huic poena subicitur? S. Judas Apostolus *Epist. canon. vers. 19.* memorat hæreticos, & scelestos, qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes. Certe hi homines non per iudicis sententiam, sed per crimen semetipsos segregant à fidelium communione; quæ latæ sententiæ excommunicatio est; S. Justinus Martyr. in *Dialog. cum Tryphone Judæo n. 35. p. 132. ed. Paris. 1742.* de schismaticis, & hæreticis inquit: cum horum nemine communicamus; cum atheos, & impios esse, ac injustos, & exleges sciamus. Cur Christiani cum schismaticis, & hæreticis non communicabant? Propter ipsum crimen, quod ab iis admissum fuisse sciebant, non propter aliquam hominis sententiam, quæ contra eos lata fuisset. Ætate martyrum Christianos, qui à fide defecerant, ipso facto ab Ecclesiæ unitate, & communione excidisse, ostendunt in primis tum S. Cypriani ad Clerum Romanum, & Antonianum, tum Cleri Romani ad eundem Cyprianum litteræ, quæ extant *p. 241. 206. 209. opp. Cypriani ed. Amstelod. 1700.* Concilium Eliberitanum *Can. 1. 2. 3. t. 1. conc. col. 992. Collect. Labbæi ed. Ven.* eos, qui post Baptismum Idolis immolassent, ipso facto à fidelium communione rejicit. Sane adversus Christianos, qui Idolis sacrificium obtulissent, non propria confessione, non testibus, non probationibus, non sententia opus fuisse, sed eos facto ipso in excommunicationem incidisse, rectissime animadvertunt Cavallus *Prim. Christian. part. 3. c. 5.*, & Binghamus *Orig. eccles. l. 16. c. 3. §. 10. t. 7. p. 163. ed. cit.* Eadem est ratio Synodi Ancyranæ *Can. 1. & seq. t. 1. col. 1487.*, & eadem etiam Concilii Antiocheni, quod *Can. 1. t. 2. col. 586. ipso facto excommunicatos, & ecclesia ejectos* statuit eos, qui contra Nicæni Concilii decreta pascha celebraverint, similiter propter idem facinus ipso facto alienos ab Ecclesia iudicat Episcopos, Sacerdotes, Diaconos, eosque deponit, atque eandem poenam ad eos quoque producit, qui audent iis communicare post depositionem. Synodus Gangrensis omnes canones, qui sunt viginti numero, conclusit verbis *anathema sit*, uti patet *ex tit. 8. Conc. col. 569.*, quibus quidem verbis excommunicatio ipso jure contra repugnantes constituta significatur. Similiter Synodus Turonensis *Can. 8. concil. t. 5. col. 76.*, & Venetica *Can. 3. t. 5. col. 80.* contra criminosos quosdam ipso jure excommunicationem ferunt, eandemque excommunicatione memorat Concilium Constantinopolitanum S. Flaviani *Act. 2. col. 963. 966. 970. 931. t. 4. conc.* Synodus Toletana *IV. Can. 75. concil. t. 6. col. 1471.* contra rebelles, & regni proditores ipso facto anathema constituit his verbis: *qui contra hanc nostram definitionem præsumserit, anathema maranatha, hoc est perditio in adventu Domini sit.* Sola præsumptio contra synodi definitionem satis est, ut quis anathema maranatha sit. Quid aliud latæ sententiæ excommunicatio est? Quid dicam de duodecim anathematismis à S. Cyrillo Alexandrino ad-

versus Nestorium conscriptis, quos probantur Ephesini, & Chalcedonensis Concilii Patres? Quid de testimonio Auctoris operis *de Vita contemplativa*, quem alii fuisse putant Prosperum Aquitanicum, qui medio sæculo V. florebat, alii Julianum Pomerium qui eodem sæculo vitæ usura fræbatur? Is autem *lib. 2. cap. 7.* diserte tradit, ea ætate clericos grave aliquod crimen admittentes statim in foro conscientiæ, & coram Deo in suspensionem incidisse, quam quidem excommunicationis speciem fuisse, recte animadvertunt Albaspinæus *Observ. l. 1. c. 2.* & Svicerus *Thesaur. Eccles. t. 1. p. 601.*

§. IX. Jamvero mortalis, seu major excommunicatio hominem plane separat, atque distrahit ab Ecclesiæ communione, ita ut non amplius ejus membrum, sed tamquam ethnicus, & publicanus habeatur. Itaque cadit omni jure, quod per Baptismum acquisiverat, sacramentis, sacris officiiis, ecclesiastica potestate communibus suffragiis, atque omni fraternitatis jure privatur (1). Interim Ecclesia seu Christiani pro eo preces fundere possunt, ut redeat ad bonam mentem; quoniam hoc merum est officium misericordiæ, nulam autem in sacris communionem inducit (2).

(1) Solebant Apostoli Christianos excommunicatos tradere *Satanae in interitum carnis*, uti patet ex *I. ad Corint. V. 5.*, *II. ad Corint. XII. 21.*, *I. ad Timoth. I. 20.* Hinc à viris doctis quæsitum est, quid per hanc hominis traditionem *Satanae* intelligi debeat? Alii autem sunt, qui eam fuisse putant excommunicationem, quæ hoc quoque nomine appellabatur, quæque solum animam, non corpus affliciebat. Alii contra existimant, excommunicatos, ac *Satanae* traditos non solum spiritualem peccatam pertulisse, sed etiam corpore à *Satana* fuisse vexatos. Atque hæc quidem sententia est Joannis Chrysostomi, Ambrosii, Hieronymi, & Augustini. Sed hæc extraordinaria potestas fuit, quæ Apostolis à Christo data est, quæque post eorum mortem desiit. Fusc hanc controversiam expendit Binghamus *Orig. eccles. l. 16. c. 2. §. 15. t. 7. p. 106. & seq. ed. cit.*

(2) S. Thomas in *4. Sentent. dist. 11. qu. 1. art. 4.* Et merito à Leone X. *Const. Exurge 44. t. 3. par. 3. 487. Bullar. Roman. ult. ed. damnatus est error Lutheri art. 23. agentis quod excommunicationes sunt tantum externæ pœnæ, nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus.* S. Cyprianus *Ep. 62. ad Pompen. col. 244. ed. Ven. 1758.* excommunicationem vocat *spiritualem gladium*, quo *superbi, & contumaces necantur, dum de Ecclesia ejiciuntur.* Neque enim vivere foris possunt, cum domus Dei una sit, & nemini salus esse nisi in Ecclesia possit. Confer etiam S. Augustinum in *Deuteron.*

l. 5. qu. 39. col. 749. opp. t. 3. & in Evangel. Joan. tract. 50. n. 111. col. 838. t. 4. ed. Ven. 1756., S. Innocentium *l. Ep. 29. ad Concil. Carthag. n. 8.* apud Coustantium *col. 894.*

§. X. Verum in nova disciplina magna ex parte mitigatus est rigor, per quem omnem plane cum excommunicatis societatem, & communionem defugere jubemur. Scilicet Martinus V., ut mala, & pericula removeret, quæ vetita communicatio cum omnibus excommunicatis attulisset, sapienter constituit (1), ut eos tantum evitemus, in quos excommunicationis sententia à *judice publicata*, vel *denunciata specialiter*, & *expresse* est, itemque eos, qui palam in clericum sacrilegas manus injecerunt, quos etiam à *judice* non denunciatos devitare debemus. Hinc ortum discrimen inter excommunicatos *vitandos*, & *toleratos*; & inde illorum, non autem horum vetita communicatio est (2).

(1) Martinus V. P. in *Extravag. Ad evitanda*, quam integram describit S. Antoninus in *Summa Theolog. tit. 25. c. 3. par. 3. col. 1414. ed. Verona 1740.* Sunt qui hujus decreti veritatem in discrimen revocant, quoniam, ajunt, nulla ejus mentio est in actis Concilii Constantiensis, atque ejus veritas tantum nititur testimonio S. Antonini, aliorumque scriptorum, qui Antonini fidem sequuti sunt. Ita, præter ceteros, Van-Espenius *Jus eccles. part. 3. tit. 11. c. 5. §. 15.* Sed, ut recte observat Benedictus XIV. *de Synod. Dioces. l. 12. c. 5. n. 4.*, Antonini fides nutare non potest, quoniam ejus ætate decretum illud Martini V. in hominum manibus versabatur, & plures erant, qui illud in Constantinensi Concilio propositum quidem, sed rejectum, aut saltem ad quinquennium aretatum contendebant; contra quos ipse Antoninus ostendit, decretum Concilio fuisse probatum, eique vim perpetuam attributam, ac testem appellat Julianum tunc Auditorem Generalem Camere Apostolicæ, deinde Cardinalem, ea ætate insignem doctrina virum. Accedit, quod decreti veritatem ostendunt certa, & authentica documenta edita à Dumontio *Cod. jur. gent. diplomat. t. 2. p. 2. p. 111.*, ab Hermanno Vonder Hardt *t. 1. Concilii Constantiensis p. 1055. ed. 1710.*, qui ex tribus Mss. Cæsareæ, & Brunsvicensis Bibl. Codicibus Concilio coævis illa edidit, Senkebergero *Recess. Imper. t. 1. p. 111. & seq. ed. Francofurt. 1747.*, & Hartzlein *t. 5. Concil. Germania p. 127. & seq., & p. 142. & seq. ed. Colonia 1763.* Hæc autem monumenta in Germania reperta sunt, præsertim in Civitate Magdeburgensi, aliisque, uti Hartzheimius ostendit, neque sunt *Bullæ sub plumbo*, sed capitula pacti conventi, sive concordati inter Martinum V., & Nationem Germanicam in Concilio Constantiensi an. 1413. firmata; cujus quidem concordati illud est ca-

put VII. Hæc autem concordata Romæ servabantur in Cancellaria Cardinalis Joannis Episcopi Ostiensis, & Vice-Cancellarii, qui ex voluntate ipsius Nartini præcipientis, *quod capitula prædicta, & quodlibet eorum dentur cuilibet ea habere volenti communiter, seu divisim in authentica forma sub sigillo D. Vice-Cancellarii eum subscriptione notarii; sic quod fidem faciant exhibita ubicumque*, ea distribuit. Revera eadem concordata cum illa forma, quam Martinus præscripserat, descripta extant apud Harzheimium *loc. cit.* Hujus quoque decreti veritatem ostendunt Concilium Basileense *Sess. 20. c. 2. t. 17. conc. col. 515. Collect. Labbæi*, Gallicanus conventus Bituricensis an. 1438. n. 36. apud Cabassutium, Concilium Lateranense V. *Sess. 11. §. Statuimus insuper t. 19. conc. col. 958.*, in quibus ejusdem decreti mentio est; denique consensus omnium, à quibus illud ubique receptum est.

(2) Martini decretum perpetuum esse, atque ad universam Ecclesiam pertinere, duo sunt, quæ invicte demonstrant. Primum educitur ex testimoniis, quæ paulo ante descripsi, alterum ex totius Ecclesiæ consuetudine, quæ optima legum interpretes est. Porro S. Antoninus *loc. cit.* testatur, sese à Juliano Cæsario Cardinali intellexisse, decretum illud esse perpetuum; & Andreas Episcopus Posnaniensis cum anno 1423. Senis Concilii causa moraretur, Martinum ipsum rogavit, ut decretum suum prorogaret, sed ei responsum est à Cardinali Juliano, suam illam petitionem inutilem esse, quoniam Pontifex idem decretum perpetuum esse voluerat. Ac totius Ecclesiæ consuetudinem pluribus allatis testimoniis, confirmant Suarezius *de Censur. disp. 9. sect. 2. n. 5.*, Cardinalis Petra, *ad Constit. 18. Innocentii IV. t. 3. Comment. ad Constit. Apostolic. Cabbasutius Notit. Eccles. de Concil. Basil. p. 534. ed. Lugduni 1580.* Benedictus XIV. *de Synod. diæcesan. l. 12. c. 5. n. 4.*

§. XI. Itaque cum hæreticis, schismaticis, ceterisque similibus, qui expresse, ac speciatim excommunicati non sunt (1), vetita in re civili communicatio non est (2). Hi quidem devitandi sunt, sicuti demonstratum supra est, propter periculum, atque discrimen, in quod vocantur, qui ex eorum societate, & consortio iisdem infici erroribus possunt, quibus illi infecti sunt, non autem sunt devitandi propter excommunicationem, qua generatim hæretici, & schismatici obligantur. Itaque cum his hominibus caute, & prudenter, tamquam cum malis, agere debemus memores omnium, quæ de vetita eorum tolerantia sancita sunt; at si quis ob justam aliquam causam cum iis sermones conferat aut etiam eorum templa curiosus ingrediatur, minime incidit in excommunicationem quæ adversus eos, qui cum

excommunicato vitando communicant, est constituta.

(1) Sunt qui constitutionem Martini V. ad hæreticos, atque schismaticos pertinere inficiantur, & suat qui huic constitutioni derogatum putant à Concilio Lateranensi V. *Sess. 11. §. Statuimus*, à quo confirmatum est id, quod pridem à Basileensi Synodo *Sess. 20. §. 2.* sancitum fuerat. Ita, præter ceteros, sentiunt Sotus *in 4. dist. 25. qu. 1. art. 1. & 3.*, Bellarminus *de Roman. Pont. l. 2. c. 30. §. Neque valet opp. t. 1. p. 344. ed. Ven. 1721.*, Turrecremata *Sum. Eccles. Pot. l. 4. part. 2. c. 20.*, Auctor libri *Traité Theologique, où l'on demonstre, que les fideles ne peuvent communiquer en matiere de religion avec les ennemis declarez de la B. Unigenitus*, Fagnanus *in c. 1. n. 53. de Schismat.* Sed Martini decretum loquitur universe de omnibus excommunicationis cujuscumque sententiæ; aut *censuræ ecclesiasticæ ab homine, vel à jure*, ac tantum excipit nominatim illos, in quos sententia excommunicationis à *Judice publicata, vel denunciata specialiter, & expresse est*, quique palam in clericum sacrilegas manus injecerunt. Ergo si tantum certi excommunicati sunt excepti, non ceteri *cujuscumque sententiæ, aut censuræ ecclesiasticæ ab homine, vel à jure*, quibus verbis etiam hæreticos, & schismaticos comprehendi nemo inficiabitur, manifestum est, eos etiam, cum speciatim excommunicati non sunt, ad Martini decretum pertinere. Adde quod novum illud jus à Martino V. constitutum est, ut devitentur scandala, quæ oriebantur ex consortio hæreticorum, & schismaticorum, quorum magnus erat numerus, cum Constantiensis Synodus habita est. Illa autem Basileensis, & Lateranensis Concilii decreta, quibus jus à Martino inductum, e medio sublatum fuisse videtur, minime observata monet Benedictus XIV. *de Synod. diæces. l. 6. c. 5. n. 2.* Confer etiam Suarezium *de Fid. disp. 21. sect. 3. n. 2.*, Sanchezium *de Præcept. decalog. l. 2. c. 9. n. 3.*, Pirhingium *Jus canon. l. 5. tit. 39. sect. 4. §. 1.*, Azorium *Inst. moral. l. 8. c. 11.*, Card. de Lugo *de Virt. disp. 22. sect. 1. n. 1.*, Card. Petram *ad Constit. Apostolic. t. 3. n. 39. p. 187.*, Amortum *Theolog. moral. t. 1. tract. 3. sect. 2. §. 2.*, Ballerini in *Not. ad S. Antoninum l. & edit. cit. col. 1414 & seq.* At enim duæ sunt ejusdem Martini constitutiones, altera *In eminenti*, quæ extat apud Labbæum *t. 16. Concil. col. 768.*, & altera *Inter cunctas*, quæ ab eodem Labbæo descripta est *l. c. col. 766.*, & in hiis quidem constitutionibus omnis videtur cum hæreticis vetita communicatio. Idem quoque à Martino V. decretum est in Concilio Senensi an. 1423. apud Labbæum *t. 17. Concil. col. 99.*; atque à Paulo IV. *in Const. Cum ex Apostolatus 27. t. 4. part. 1. p. 354. Bullar. Roman.* Verum recentiores hæ constitutiones, quibus Martini V. constitutioni *Ad evitanda* derogatum videtur, nihil obstant, quoniam, ut testatur Benedictus XIV. *de Synod. Diæc. l. 6. c. 5. n. 2.*, eadem constitutio *in suo semper vigore permansit, non obstantibus subsequentibus Constitutionibus &c.* Accedit quod duæ illæ ipsius Martini constitutiones *In eminenti, & Inter cunctas* antiquiores sunt

extravaganti *Ad evitanda*, & ideo recentiori constitutione jus comprehensorum antiquioribus, si forte obstat, è medio sublatum est. Quamquam si recte expendatur Constitutio *In emine[n]ti* Martini V., ea forte pertinet ad illos, qui hæreticorum errorum participes fuerint, aut vetat communionem cum hæreticis, qui uti tales denunciati sunt apud iudices, qui in eam rem inquirere jubentur. Eodem etiam decretum Concilii Senensis, & Constitutio Pauli V. referri commode possunt. Mirum vero non est, quod in Martini constitutione *Inter cunctas* hæretici in Ecclesiis catholicorum sepulturam habere prohibentur; neque vero effici ex eo potest, quod ut catholici sepulturam, ita societatem, & communionem cum hæreticis habere nequeant. Nam illa, quæ catholicis permissa est, communicatio cum hæreticis sine metu excommunicationis, commodum respicit, & utilitatem Catholicorum, qui liberati sunt à metu, quo tenebantur, contrahendæ excommunicationis, si cum hæreticis ita, ut supra monui, communicarem. Verum sepultura ecclesiastica cedit in commodum hæreticorum, atque in dedecus Ecclesiæ; & ideo vetita hæreticis ecclesiastica sepultura argumento esse non potest, quod etiam catholicis sub pœna excommunicationis vetita sit cum hæreticis communicatio. Comprehendam paucis. Constitutio *Ad evitanda* hoc habet propositum, ut Catholici, qui communicant cum hæreticis nominatim non excommunicatis, omnem abigant contrahendæ excommunicationis metum. Cum hoc vero quid habet commune ecclesiastica sepultura, à qua hæretici repelluntur?

(2) Sunt, qui non tantum in humanis, sed etiam in divinis, & sacris catholicis cum hæreticis communicationem permissam putant. Ego ea de re sententiam exponam sapientissimi Pontificis Benedicti XIV. *de Synod. dioces. l. 6. c. 5. n. 2.* Ipse autem inquit: *quomvis per cannem Concilii Constantiensis, qui incipit Ad evitanda, qui que in suo semper vigore permansit, non obstantibus contrariis subsequentibus Constitutionibus Concilii Basileensis, & Lateranensis nonnihil relaxata fuerit disciplina in eo, quod pertinet ad conversandum, atque etiam in divinis communicandum cum hæreticis, qui tolerantur. . . non idcirco tamen arbitrari debent catholici, fas sibi esse indistincte cum hæreticis, quamvis non denunciatis in rebus sacris, & divinis communicare; siquidem Paulus V. post maturam rei discussionem neutiquam licere definiit Catholicis regni Angliæ hæreticorum templa adire, ritibusque interesse, quos inibi exercent. Tum ostendit, non deesse Theologos, qui alicujus culpæ reos negant esse catholicos, qui cum hæreticis, & schismaticis nominatim non denunciatis in divinis communicant, atque ab iis etiam sacramenta percipiunt; modo id faciant ob gravissimam, aut necessariam causam, sacramenta administrantur, ritu plane catholico ab hæreticis, aut schismaticis valide ordinatis, communicatio in divinis neque ullum præbeat indicium, aut conjecturam faciat erroris à catholico homine approbati, neque scandalum, aut offensionem pariat. Monet tamen ipse Benedictus, primum quod huic sententiæ quamplurimi adversantur; deinde quod etiamsi vera habeatur, tamen cum omnes enumeratæ circumstantiæ simul, & con-*

unctim adesse debeant. . . . fere impossibile est, quod catholici, qui se cum hæreticis in sacris, divinisque commiscant, culpa vacare possint. Quare Urbis Congregationes, inquit, illicitam semper reputarunt communicationem, de qua est sermo, doctamque concinnarunt instructionem ad Missionarios, ubi opus fuerit, transmitendam, ubi rationes expenduntur, propter quas vix unquam accidere potest, ut in praxi sit innoxia catholicorum cum hæreticis communicatio in divinis. Confer etiam Giraldum Exposit. Jur. Pontific. l. 5. tit. 39. sect. 926. p. 761. & seq., à quo sacrarum quoque Urbis Congregationum ea de re declarationes describuntur. Si qui tamen catholicus hæreticorum, aut schismaticorum templa ingrediatur, ut ea curiosius inspiciat, atque etiam sacris eruditionis causa intersit, non ut eorum sit particeps, aut quidquam approbet, quod catholicæ veritati adversetur, is minime in sacris, atque divinis communicare dicitur, neque culpæ reus haberi potest.

§. XII. Potestas ferendi excommunicationem à Christo data est Ecclesiæ Præpositis, hoc est Episcopis, atque in primis Summo omnium capiti Romano Pontifici, in quos ipse contulit clavium potestatem (1). Hi suo jure (2) excommunicationis pœna animadvertunt in Christianos, qui gravius deliquerunt, atque huic pœnæ subjecti sunt omnes, qui Ecclesiæ potestati subsunt, sive divites, sive pauperes sint, sive alieno pareant, sive summo potiantur imperio (3). Nam hi quoque Ecclesiæ legibus parere debent, quamquam eorum summa sit in re civili potestas; ipsis vero non licet aut censuras ferre, aut in earum justitiam inquirere (4), quoniam ea res tota tantum sacræ potestati commissa est.

(1) Cum Romano Pontifice, quem Christus constituit unitatis centrum, atque Ecclesiæ fundamentum, convenire omnes debent, qui catholici haberi, ac revera esse volunt. Ex quo facile intelligitur, quæ sit vis excommunicationis, quæ à Summo Pontifice lata est. Nimirum cum ille, qui jus in omnes catholicos habet, aliquem excommunicatione, & anathemate plectit, eum non solum à sua, & Romanæ particularis Ecclesiæ communionem sejungit, verum etiam efficit, atque præcidit ab unitate, & communionem totius Ecclesiæ catholicæ quæ ipsi tamquam capiti, & catholicæ communionis centro adhæret, ac jure Primatus adhærere debet; nec fieri potest, ut quis ab eo præcisus non sit etiam præcisus ab ipsa Ecclesia, quæ ex divina institutione cum ipso unitatis centro annexa, & conjuncta est. Hinc *jura communionis* ab unitate cum Sede Apostolica dimanare S. Ambrosius cum Aquilejensi Synodo docuit *Ep. 6. opp. t. 3. col. 850. ed. Ven. 1751.*, & excommunicationes ab aliis Episcopis latæ nullius momenti

sunt, cum eos, qui ab aliquo etiam majorum Sedium Antistite excommunicati fuerunt, suæ communionis participes, & sibi inconvulse unitos Apostolica judicavit auctoritas, ut inquit Vigilus P. in *Constit.* apud Labbæum t. 5. *Concil. col. 1348. ed. Ven.* Hinc merito S. Cyrillus Alexandrinus Episcopus, etsi Nestorii Constantinopolitani errorem, ac pertinaciam exploratam haberet, tamen ab ejus communione discedere noluit, nisi primum Cælestini Romani Pontificis sententiam audiret apud Coustantium *int. Cælest. Ep. 8. col. 1085.*, ipse autem Cælestinus aliorum Episcoporum sententias haud metuendas dixit si ab ipsis excommunicati, vel depositi in Apostolicæ Sedis communione permaneant. Confer ejusdem Cælestini *Ep. 11. n. 3. Ep. 12. n. 2. Ep. 14. n. 7.* apud Coustantium *col. 1106. 1111. 1146.* Quare perperam, ac nimio abreptus æstu Firmilianus *Ep. 75. inter opp. S. Cypriani col. 356. ed. Ven. 1758.* schismatis accusat Stephanum Pontificem, qui plures Episcopos in controversia de baptismo hæreticorum communione privasse credebatur, dum Stephanum his verbis alloquitur: *Excedisti enim te ipsum; noli te fallere; siquidem ille est vere schismaticus, qui se à communione ecclesiasticæ unitatis apostatam fecerit.* Perperam, inquam; nam Summus Pontifex excommunicatione in aliquos animadvertens sese quodammodo ab illis quidem separat, sed cum eosdem præcidat à centro unitatis, quod sibi adhæret ex divina institutione, non se, sed illos à communione ecclesiasticæ unitatis, & ab Ecclesia amputat, atque secernit; & ideo recte S. Irenæus, qui non eo, quo Firmilianus, æstu rapiebatur, plane intellexit fore, ut Asiani Episcopi ab Ecclesia præcisi, & amputati haberentur, si à Summo Pontifice propter controversiam de Paschate excommunicarentur, cum Victorem rogavit. *Ne tam multas Ecclesias omnino propter traditionis ex antiqua consuetudine inter illos usurpata observationem, à corpore universæ Ecclesiæ penitus amputaret,* uti testatur Eusebius *Hist. Eccl. l. 5. c. 24. p. 213. ed. Taurin. 1746.* Quod autem obijcitur de viris quibusdam pietate præstantibus, qui floruerunt in schismatibus Meletii Antiocheni, & Acacii Constantinopolitani, quique Apostolicæ Sedis communione caruerunt, egregie diluitur à Petro Ballerino de *Vi ac ration. Prim. R. Pontif. in append. ad §. 1. c. 11. p. 327. seq. ed. Aug. Vindel. 1770.* At Febronius Romani Pontificis excommunicationes metuendas, atque eas ad jurisdictionem referendas negat. Inquit enim, quod antiquæ ratio excommunicationis, ejusque jus non erant effectus jurisdictionis respectu excommunicati. Nimirum sicuti olim communicatio concedebatur, cum quis etiam alienos subditos suæ communionis participes faciebat, ita excommunicatio, quæ communioni opponitur, nihil aliud erat quam aliquem à sua communione repellere; quod cum fieri posset etiam in eos, qui subditi non sunt, & in quos etiam nulla propria jurisdictio est, hinc excommunicatio ad jurisdictionem aliud pertinere videtur. Tunc videlicet proprie Episcopi jurisdictionem exercent, cum suos subditos excommunicatione plectunt, non item cum animadvertunt in eos, qui sibi subjecti non sunt. Ita argumentatur Fe-

bronius, qui Summo Pontifici subesse negat eos, qui aliis Episcopis subsunt; quod sane idem est ac tollere primatum jurisdictionis, quem Summum Pontificem in totam Ecclesiam habere, inter catholicos omnes constat. Sane si hæc jurisdictio sese effundit in Ecclesiam universam, si quotquot in ea versantur Romano Pontifici subjiciuntur, si ipse Christi institutione præest omnibus tum Episcopis, tum ovibus gregis Domini, manifestum est, quod cum ipse fert excommunicationem, non in alienos subditos, sed in eos, quos sibi vere, & proprie jure primatus subjectos habet, sententiam dicit. Itaque quemadmodum excommunicatio Episcopi in suos diocesanos verus est actus jurisdictionis, quoniam in eos imperium, & potestatem habet, ita excommunicatio Romani Pontificis in omnes Christianos verus, & proprius est jurisdictionis actus, quoniam ita fert in dolos, & natura Primatus, ut omnes ei subjiciantur. Ex quo facile evertitur quod Febronius dicit de non metuendis Romanorum Pontificum excommunicationibus. Nam si Pontifex jurisdictionem in omnes Christianos habet, omnes certe tenentur excommunicatione, quæ ab eo lata est. Ineptissima est autem distinctio inter Papam, & Curiam Romanam, cum excommunicatio non à Curia, sed à Summi Pontificis auctoritate vim habeat; eodemque habenda loco est altera distinctio inter Sedem Romanam, eique præidentem Summum Pontificem, quam distinctionem late refutat Ballerinus de *Vi ac ration. Primat. c. 14. §. 5. n. 23. seq. p. 241. seq. ed. cit.*

(2) Quesnellus in *Proposit. 90.* quam cum ceteris damnavit Clemens XI. *Constit. Unigenitus 187. p. 340. t. 10. Bullar. Roman. Ecclesiæ,* inquit auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos pastores, de consensu saltem præsumpto, totius corporis. Idem cum eo sentit Van-Espenius de *Censur. c. 2. §. 1.*, eodemque recidit sententia Dupinii de *Antiq. Eccles. discipl. Diss. 4. c. 1.*, Febronii de *Statu Eccles. c. 1. §. 6.*, ceterorum, qui damnatam Edmundi Richerii sententiam sequuntur, & clavium potestatem collectim membris Ecclesiæ omnibus inesse arbitrantur, sed ejus usum; & exercitium ad Episcopos, & Sacerdotes pertinere. His vero prævit Lutherus, qui in nefario opere, quod *Captivitatem Babylonicam* inscripsit, *opp. t. 2. p. 85. ed. Wittenberg. 1562.* omnes, inquit, sumus sacerdotes quotquot Christiani sumus; sacerdotes vero, quos vocamus, ministri sunt ex nobis electi, qui nostro nomine omnia faciant, & Sacerdotium aliud nihil est, quam ministerium. Neque Papa, neque Episcopus, neque ullus hominum habet jus unius syllabæ constituendæ super Christianum hominem, nisi id fiat ejusdem consensu, & quidquid aliter fit, tyrannico spiritu fit. At innumera sunt testimonia Patrum, qui uno omnium consensu docent, clavium, seu ligandi solvendi que potestatem Ecclesiæ Pastoribus à Christo datam fuisse, illorum autem nemo omnino est, ut animadvertit Bossuetus de *l' Histoire des variations. lib. 15. num. 120. & 121.*, qui hæc potestatem cunctis Ecclesiæ membris sive disjunctim, sive collectim traditam existimet. Id nosci potest ex Clemente Romano Petri auditore *Ep. 1. ad Corint. n. 40.* apud Coustantium *Ep.*

Rom. Pontif. col. 28., Ignatio Ep. ad. Ephes. n. 6. apud Cotelierum PP. Apostolic. t. 2. p. 13. ed. Amstelod. 1724., Ireneo, cujus ex l. 3. Contr. hæres. c. 3. seqq. descripsit, egregieque illustravit loca Renatus Massuetius Diss. 3. in Oper. S. Irenei art. 3. n. 16. seqq. t. 2. p. 103. ed. Ven., Polycrate Ephesio, cujus ex epistola sententiam refert Eusebius Histor. l. 5. c. 24. p. 243. ed. Cantabrig., Clemente Alexandrino Pædagog. l. 1. c. 6. p. 120. ed. Ven. 1757., Origene Hom. 22. in Numer. n. 4. t. 2. opp. ed. Maurin. Paris. & Comment. in Matth. tract. 12. n. 14. t. 3. p. 529., Saturnino Tolosatium Episcopo apud Ruinartium Act. martyri. n. 1. seqq. p. 109. seqq. ed. Veron. 1731., Demetrio Alexandrino, Alexandro Hierosolymitano, Teoctisto Cæsariensi, Babyla Antiocheno, Dionysio Alexandrino apud Eusebium Histor. l. 6. c. 8. 10. 11. p. 265. seq. c. 27. p. 292., c. 34. p. 298., c. 44. & 46. p. 316. & 319. l. 7. c. 5. p. 323., c. 7. 9. 11. p. 327. 329. 334., Cornelio Romano Ep. ad Cyprianum apud Coustantium Ep. Rom. Pontif. col. 135. seqq., Cypriano Ep. 3. ad Rogation. p. 172. ed. Amstelod. 1700., Ambrosio de Peniten. l. 1. c. 2. n. 7. p. 253. t. 5. ed. Ven. 1781., Athanasio Ep. ad Constant. in Histor. Arianor. ad Monach. n. 44. opp. t. 1. p. 293. ed. Patavii 1777., Gregorio Nazianzeno Orat. 1. p. 31. ed. Colonie 1690. Orat. 9. p. 158. & Orat. 17. p. 271., Basilio Ep. 42. ad Chilonem n. 4. opp. t. 3. part. 1. p. 128., Ep. 69. ad Athanas. n. 1. p. 161., Ep. 161. ad Amphilocho. n. 2. p. 250., Ep. 289. p. 427. ed. Maurin. Paris. 1730., Paciano Ep. 1. ad Sympronian. in Biblioth. PP. t. 4. p. 306. & seq. ed. Lugdun. 1677., Optato Milevitano Contr. Donatist. l. 2. c. 4. & seq. p. 35., & l. 7. c. 3. p. 111. & seq. ed. cit., Joanne Chrysostomo de Sacerdot. l. 2. n. 2. opp. t. 1. p. 572. ed. Montfaucon. Paris., & l. 3. n. 5. p. 385. Homil. 3. ad Pop. Antiochen. n. 2. t. 2. p. 38. Mitto ceteros Ecclesie Patres, ut aliquem faciam scribendi modum, & mitto auctoritatem tot Conciliorum, quot usque ad hanc nostram ætatem numerantur, quæ semper ab Episcopis habita sunt, & in quibus contra hæreticos lata est excommunicatio, legesque ecclesiasticæ ab Episcopis constitutæ. Placet tamen adhuc pauca quædam seligere ex innumeris, quæ dari possent, Gallicanæ Ecclesie testimonia. Anno 1728. cum ex voluntate Ludovici XV. Christianissimi Regis Parisiis Episcopi 31. ad habenda comitia convenissent, de consultatione quadam sententiam rogati dixerunt, fundamenta impeti fidei nostræ, oppugnarique principia, quæ nos ab hæreticis discernunt, opinione eorum, qui spirituales potestatem à Christo Ecclesie datam residere defendunt in integra societate, ab eaque committi, credique Pastoribus usum, & exercitium hujus potestatis. Vide opusculum inscriptum Representations justes, & respectueuses à Nossieigneurs les Cardinaux, Archevêques & Evêques, assemblez extraordinairement à Paris par les ordres du Roy pour donner à sa Majesté leur avis, & jugement sur un écrit imprimé, qui à pour titre Consultation &c. His autem Episcopis 31. præiverant Antistites centum, qui anno 1720., & antea quadraginta, qui anno 1713. & 1714. Parisiis comitia celebrant, quibus

porro alii plus sexaginta adhaerant. Horum autem doctrina fuit: Il est vrai, que le pouvoir d'excommunier a été donné à l'Eglise en la personne des Premiers Pasteurs, & si la proposition alloit pas plus loin, elle seroit orthodoxe; mais il n'est pas vrai, que les Premiers Pasteurs le reçoivent du corps de l'Eglise, c'est à dire des fideles. Le pouvoir d'excommunier fait partie des clefs, que Jesus-Christ même donna aux Apôtres immédiatement, & dans leurs personnes aux Evêques, qui sont leurs successeurs. Consule les Conférences de Luzon t. 7. Conf. 19. qu. 1. p. 299., L'instruction Pastorale approuvée par l'assemblée de Messieurs les Cardineaux, Archevêques &c. proposée à Messieurs les Prelats absens in Process. verbal. Cleri an. 1713. & 1714. p. 111. ed. an. 1714., item Le Memorie présentée au Roy par l'Archevêque de Cambrai l'an. 1734. & Declarations Regis 4. Aug. 1720., & 24. Martii 1730. t. 12. Act. Cleri Gallic. p. 1642. & 1645. Alia bene multa Gallicanæ Ecclesie, quin etiam Ecclesiarum omnium, Patrumque ea de re testimonia habet Mamachius, qui totum hoc argumentum innumeris prope collectis monumentis solide, copioseque tractavit Ep. 3. ad Febron. per tot. l. 2. §. 1. & seq. p. 27. & seq. Videndi sunt etiam ipse Mamachius Antiq. Christian. t. 5. p. 259. & seq., Petavius de Hierarch. Eccles. l. 3. c. 14. & seq. t. 6. p. 165. seq. ed. Ven. 1757., P. la Fontaine Constit. Unigenitus theol. prop. 3. col. 1139., Niccolius in lib. Les pretend. reformez. convaincus de schisme, Bossuetius Histor. variat. l. 15. n. 120. & seq., Jo. Baptista Faure Diss. advers. Richeristas in thesaur. theol. t. 12. op. 4. p. 263. ed. Ven. 1763., Ballerinius de Potest. eccles. Sum. Pont. & Conc. gener. c. 1. §. 1. seqq. p. 1. seqq. ed. Augusta Viudelic. 1770., Veith peculiari libro, cui titulus Richerii systema confut., Zaccaria in Anti-Febron. t. 1. c. 4. Diss. 1. & Diss. 3. della Forza obligatoria della disciplina.

(3) Magistratus; ac Principes ecclesiasticis censuris fuisse subjectos eodem modo, quo reliqui omnes subiciebantur, late ostendit Binghamus Orig. eccles. l. 16. c. 3. §. 5. t. 7. p. 130. & seq. ed. cit. Præcipua ejus rei testimonia sunt in Concilio Eliberitano Can. 2. 3. 55. 56. t. 1. Concil. col. 992. & 998. Collect. Labbæi, in Concilio Valentino II. t. 6. col. 669. Arelatensi l. Can. 7. t. 1. col. 1451., apud Synesium Ep. 58. p. 201. ed. Paris. 1633., Basilium ad Athanas. Ep. 61. p. 155. t. 3. ed. Paris. 1730., Ambrosium Ep. 40. n. 17. ad Theod. opp. t. 6. p. 134. ed. Ven. 1781., Eusebium Histor. eccles. l. 6. c. 34. ibique Valesium in Not. p. 298. ed. Cantabrig., Jo. Chrysostomum in S. Babylon. Contr. Julian. & gentil. n. 6. opp. t. 2. p. 545. ed. Montfauconii Paris., Paulinum in Vit. Ambrosii n. 19. opp. Ambrosii t. 7. p. 6. ed. cit., Theodoretum Histor. l. 5. c. 18. p. 1. ed. Cantabrig. Confer etiam Acta Cleri Gallicani t. 12. p. 10. & p. 569. seq. ed. Paris. 1740. Henricus Hungariæ Rex ab Innocentio III. P. petit, atque impetravit, ut ejus consilarii, & familiares nisi pro manifesta, & rationabili causa, & canonica monitione præmissa excommunicatione non afficerentur, sicuti patet ex ejus Ep. 511. l. 1. t. 1. p. 295. ed. Baluzii Paris. 1682. Quin etiam Galiarum Regibus à Ro-

manis Pontificibus concessum est, ut in terra Regia nemo sine speciali mandato Sedis Apostolicæ excommunicationem, vel interdictum ferre posset, sicuti constat ex literis Philippi VI. an. 1335. apud de Lauriere t. 2. *Ordinat. Reg. Franc. p. 103.*

(4) Marsilius Patavinus in *Defensor. Pacis* sæculo XIV. aliquem excommunicare, atque à Divinis officiis arcere sine *fidelis Legislatoris*, hoc est sine Principis, auctoritate nulli Episcopo, aut Sacerdoti, vel eorum collegio licere existimavit. Quotquot sunt Protestantes, qui vel Anglicano schismati adherent, vel Principi in sacra jus omne tribuunt, vel Ecclesiam collegium merum esse arbitrantur, & ceteri, qui ei cogentem potestatem adimunt, quique supra descripti sunt, Marsilii errorem sequuntur. Sed antea etiam Petrus de Corbaria Anti-Papa, alique, quorum meminit Joannes XXII. in *Extravag. Dudum ad audiendum* apud Antoninum 4. 2. *Theol. tit. 1. c. 7. §. 5.*, assèruerunt, omnem jurisdictionem, quam Prælati habent majorem, quam alii, ab imperatore procedere, quod est à Principe etiam jus excommunicationis repetere. Idem est error Valdensium, Wiclefi, Joannis Hussi, Lutheri, Calvini, Melanctonis. Van-Espenius de *Censur. c. 2. §. 5.* laici Principis in judicio censurarum auctoritatem tueretur. Auctor anonymus opusculi, cui titulus *La Chiesa è la Repubblica dentro i loro limiti*, Principes jus habere contendit cognoscendi justitiam, aut injustitiam excommunicationis, idemque sentiunt Manettus, Continius Auctor libri *Riflessioni sulla Bulla Cœne*, Pereira *Dottrina del l'antica Chiesa intorno la suprema potestà de' Re*. Antonius Genovesius de *Jure & offic. c. 8. §. 38.* in externis actionibus, quo divina jura propagantur, & in Republica administrantur, Sacerdotium imperio civili subiectum putat. His præiverunt Paulus Sarpus, Fevretus, Simon Vigorius, Dupinius, Giannonius, ceteri similes. Sed horum deliramenta late refutarunt M. Antonius Capellus Minorita in lib. *Bononia edito an. 1610. Advers. prælat. primat. Reg. Angliæ. c. 13. & seq.*, Altaserra *Eccles. jurisdict. vindic. advers. Fevretum*, Bianchius *Adversus Giannonium t. 4. p. 608. & seq.* Duvallius de *Supr. Pontif. in Eccles. potest. in Biblioth. Pontif. Rocaveri t. 3. p. 405. & seq.* Franciscus Antonius de Simeonibus de *Rom. Pontif. judic. potest. t. 2. c. 21.*, de Marca in libello, quem an. 1646. Barcinone edit, atque iterum impressit Baluzius in *prolegomenis ad opus de Concord. Sacerdot. & Imper.*, Cardinalis Tencin Arch. Ebredunensis *Mandement, contre le memoire des MM. les 40. Avocats de Paris pour le Sieur Samson. p. 17.*, Auctor tractatus de *la Jurisdiction ecclesiastique in t. 6. Act. Cleri Gallicani*, Archiepiscopus Parisiensis Beaumont in *Celebr. Instruction, an. 1756. De l'autorité de l'Eglise*, Auctor operis *Des deux puissances*, virique clarissimi Gerbertus princ. *Theol. Can. sect. 1. de Jur. Sacr. p. 22. seq. & c. 3. sect. 2. §. 83. & seq. Princ. Theolog. exeg.*, Zaccaria de *Disciplin. diss. 2. & 3.*, & *Anti-Febron. vindic. Diss. 12. c. 1.*, Mamachus ad *Febron. Ep. 1. §. 19. t. 1. p. 301. & seq.* Sane Christus non Principibus, sed solis Apostolis, atque in primis Petro tribuit excommunicandi potestatem, quæ

in potestate ligandi fundata est, eam ab uno Christo Paulus repetit, eaque semper Ecclesia usa est jure suo, neque ullæ unquam in eo negotio partes laici Principis fuerunt. Sunt autem prope innumera testimonia Patrum, qui laicos Principes in res omnes ecclesiasticas imperium aliquod, & auctoritatem habere negant; atque hi, præter ceteros, sunt Athanasius *Histor. Arianor. ad Monach. n. 11. p. 277. n. 14. & 15. p. 278. n. 17. p. 279. n. 33. p. 287. & n. 52. p. 297. opp. t. 1. ed. Patavii 1777.*, Osius Cordubensis apud Athanasium *ib. n. 44. p. 292.* Lucifer Calaritanus *l. 1. pro Athanas. p. 61. ed. Ven. 1778.*, Hilarius Pictaviensis *l. 1. ad Constant. n. 1. t. 1. col. 535. ed. Veronæ 1730.*, Liberius P. apud Athanasium *Histor. Arian. n. 36. p. 288.*, & apud Coustantium. *Ep. Rom. Pontif. col. 431. & seq.*, Basilius M. *Ep. 225. p. 344. t. 3. ed. Paris. 1730.*, Gregorius Nazianzenus *Orat. 17. opp. t. 1. p. 271. ed. Coloniae 1690.*, Gregorius Nyssenus *Opp. t. 3. p. 306. ed. Paris. an. 1639.*, Ambrosius *Ep. 20. n. 19. p. 48. & Ep. 21. ad Valentinian. p. 52. opp. t. 6. ed. Ven. 1781. & Serm. contr. Auxent. n. 5. p. 56. & n. 30. & seq. p. 62. & n. 36. p. 63. t. 6.*, Martinus Taronensis apud Sulpitium Severum *l. 2. Histor. eccles. p. 348. t. 6. Biblioth. PP. ed. Lugdun. 1677.*, Hieronymus in *Isaiam c. 17. v. 10. opp. t. 4. col. 725. ed. Vallarsii Veron. & Ep. 14. ad Heliodor. n. 8. col. 33. t. 1.*, Joannes Chrysostomus *Hom. 3. ad Pop. Antiochen. p. 38. t. 2. opp. ed. Paris. 1718. l. 3. de Sacerd. c. 14. p. 390. t. 1. & Ep. ad Episc. & Presbyteros detinuit in carcer. t. 3. p. 526. & Ep. ad Innocentium I. P. p. 5. t. 1. eod.*, Optatus Milevitanus de *Schism. Donatis. n. 13. p. 14. ed. Antwerp. 1702.* Augustinus *Ep. 43. ad Glorium & Eleusium n. 20. col. 97. opp. t. 2. ed. Maurin. Ven. 1729.*, Isidorus Pelusiotes *l. 3. Ep. 249. p. 239. ed. Ven. 1745.*, Gelasius P. *Ep. ad Anastas. Imp. apud Labbaeum t. 3. Conc. col. 308.*, Felix III. P. *Ep. ad Zenonem Imp. apud eundem ib. col. 147.*, Joannes Damascenus de *Imag. or. 2. §. 16. opp. t. 1. p. 339. ed. Le-Quenii Paris. 1712.* Idem quoque agnoverunt, ac diserte confessi sunt pii Imperatores Constantinus post habitum Concilium Arelatense, (vide Augustinum *cit. Ep. 43.*) Theodosius *Ep. ad Synod. Ephesin. an. 431. Par. I. C. 35. ejusd. Conc. apud Labbaeum t. 3. Conc. col. 990. ed. cit.*, & Valentinianus apud Sozomenum *Histor. l. 6. c. 7. p. 227. ed. Cantabrig.*, & Ambrosium *Ep. 21. ad Valentinian. opp. t. 6. p. 52. ed. Ven. 1781.* Vide etiam Concilium Tridentinum *Sess. 25. c. 3. de Reform.*

§. XIII. Excommunicatio tantum fertur in Christianos, quoniam ex Ecclesia expelli non possunt infideles, qui jam extra Ecclesiam sunt (1), & vero fertur à legitima Potestate in eos, qui sibi subiecti sunt. Quare excommunicatio Episcopi illos afficit (2), qui in ejus diœcesi sunt, excommunicatio Summi Pontificis omnes obstringit, quotquot Ecclesiæ in orbe Christianos subsunt, quoniam ejus potestas, & jurisdictio

complectitur Ecclesiam universam. Parere autem excommunicationi, etiam injustæ, quæ tamen à legitima Potestate lata sit, Christiani omnes debent (3); quoniam subjectorum est obedire legibus, quæ à Præpositis feruntur, neque ipsis de earum justitia agere iudicium licet.

(1) *Quid mihi de his, qui foris sunt, iudicare?* Inquit Apostolus I. ad Corinth. V. 12.

(2) Ad Episcopos, qui sunt Apostolorum successores, pertinet jus excommunicandi. Præclare S. Thomas in 4. Sentent. dist. 18. qu. 2. art. 2. quæstionc. 1. In foro conscientie, inquit, causa agitur inter hominem, & Deum; in foro autem exterioris iudicii causa agitur hominis ad hominem, & ideo absolutio, vel ligatio, quæ unum hominem obligat quoad Deum, tantum pertinet ad forum penitentie. Sed illa, quæ hominem obligat in comparatione ad alios homines, ad forum publicum exterioris iudicii pertinet; & quia per excommunicationem homo à communione fidelium separatur, ideo excommunicatio ad forum exterius pertinet, & illi solum possunt excommunicare, qui habent jurisdictionem in foro iudiciali, & propter hoc soli Episcopi propria auctoritate, majores Prælati possunt excommunicare, non Presbyteri Parochiales. Hinc in Can. 1. c. 16. qu. 2. excommunicatio Muro Episcopi appellatur. Paulus Mengonius dissertatione Florentiæ edita an. 1732. de Eminentiori Parochorum dignitate supra canonicos nixus Decretali Alexandri III. in c. 3. de Offic. iudic. ordin. demonstrare conatur, etiam Parochos ordinariam in foro externo jurisdictionem habere, eosque ideo ferre excommunicationem posse. Sed eum refutavit Jo. Dominicus Larius alia dissertatione Pisis edita ann. 1733, Revera Parochos ea potestate carere, inter omnes constat, idque, præter ceteros, late ostendit Gonzalez in cit. c. 3. n. 2. Illa autem Alexandri constitutio, qua Mengonius nititur, pertinet ad Parochum, qui non ordinario, sed extraordinario jure, videlicet ex peculiari privilegio, aut ex præscripta consuetudine, vel ex alio simili jure excommunicationem inflixerant.

(3) S. Gregorius M. Hom. 26. in Evang. S. Joann. n. 6. opp. t. 1. col. 1556. ed. Paris. 1705. Id autem, inquit, qui sub manu Pastoris est; ligari timeat vel juste, vel injuste, nec Pastoris sui iudicium temere reprehendat, ne etsi injuste ligatus est, ex ipsa tumida reprehensione supervia, culpa, quæ non erat, fiat. Confer etiam S. Augustinum de Baptismo Contr. Donatist. l. 1. c. 17. opp. t. 9. col. 93. ed. Ven. 1733., Nicolaum I. P. ad Episc. & Cleric. Patriarch. Constantinop. Ep. 10. n. 6. apud Labbæum t. 9. Concil. col. 1381., & Concilium Quintilineburgense an. 1085. Can. 1. apud eundem t. 12. col. 671. Id vero est intelligendum de excommunicatione, quæ evidenter injusta non sit. Nam excommunicatione, quam injustam esse manifesto constat, neque in interno, neque in externo foro aliquem obstringi, fere omnes sentiunt, ut ostendit Fagnanus in c. 11. de Solut. n. 10. & seq. Sed Quesnellus Prop. 91. 92. 93. gene-

ratim statuit, omnem injustam excommunicationem non esse metuendam, quoniam per eam ab Ecclesia non eximus, sed potius est imitari S. Paulum, & Jesus sanat vulnera, quæ præceptis Primorum Pastorum festinatio infligit, sine ipsius mandato. Petrus de Marca Concord. Sacerd. & Imper. l. 1. c. 3. §. 6. & 7. crimina ecclesiastica, ac secularia distinguit, & pro his postremis non nisi injuste, & illegitime censuras infligi posse contendit. Doctrinam hanc, quam pridem Jo. Parisiensis, Gersonius, & quidam alii traderant, arripuit Ginnonius à Bianchio notatus, & arripuit etiam Pereira in libro *Dottrina della Chiesa &c.* Continuis Auctor libri *Riflessioni sulla Bolla Cane* excommunicationem tantum propter hæresim, morumque doctrinam ferri posse asseverant, planeque despiciunt censuras, quæ propter disciplinam in causis temporalibus, aut mixtis infliguntur. In idem fere recidit sententiam Febronii c. 9. §. 7. n. 8. de Stat. Eccles., & Auctoris libri *La Chiesa è la Repubblica dentro i loro limiti* p. 127. Adversus hos omnes copiose, accurateque scripserunt Paulus à Lugduno *Anti-Exapl. prop. 91. & seq. t. 2.*, Viva *Thes. Quesnell. prop. cit.*, Fontana *Const. Unigenitus theolog. prop. t. 3. & 4. cit. prop.* Languetius *Prem. Avertissem. dux Appellan. an. 1718. n. 15.*, Bianchius in *Giannonium t. 2. l. 6. §. 3. n. 5. p. 411.*, Cl. Zaccaria *Diss. 3. della Forza obbligatoria della disciplina p. 279.*, & *Anti-Febron. t. 3. Diss. 3. c. 2.* Videndæ sunt etiam les *Conferences de Luzen Conf. 19. qu. 3. p. 333. & seq. t. 7.* Sane Christus, qui *Ecclesiam non audierit, tamquam ethnicum, & publicanum* haberi voluit; & hoc quidem loco habere potestatem etiam Ecclesiam constituendi disciplinam, inter Catholicos omnes constat. Paulus I. ad Corinth. V. 5. excommunicavit incestum Corinthium propter publicum scandalum, quod ad disciplinam pertinet. Sunt autem prope innumera ex antiquitate ecclesiastica monumenta excommunicationum, quæ propter disciplinam in rebus temporalibus, aut mixtis inflictæ sunt. Seligam S. Leonem M. *Ep. 4. t. 1. col. 616. ed. Ballerin. Ven.*, cujus hæc verba sunt. *Hoc itaque admonitio nostra denuntiatur, quod si quis fratrum contra hæc constituta venire tentaverit, & prohibita fuerit ausus admittere, à suo senove-rit officio submovendum, nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ.* Patres Concilii Arelatensis an. 314. contra Donatistas habiti *Can. 7. t. 1. Concil. col. 1451. Collect. Labbæi: de Præsidibus*, inquirunt, *qui fideles ad Præsidatum præsiunt, placuit, ut cum promoti fuerint, literas accipiant ecclesiasticas communicatorias, ita tamen, ut in quibuscumque locis gesserint, ab Episcopo ejusdem loci cura de illis agatur, & cum ceperint contra disciplinam agere, tum demum à communione excludantur.* Similiter adversus eos qui violarent disciplinam in rebus temporalibus, aut mixtis, statuta est excommunicatio à Concilio Carthaginensi IV. c. 95. t. 2. *Concil. col. 1444. Collect. ejusd.*, à Concilio Aurelianensi III. *Can. 22. & 23. t. 5. col. 1280.*, à Concilio Arvernensi an. 535. *Can. 15. t. 5. col. 952.*, Matisconensi II. anni 585. *Can. 5. t. 6. col. 675.*, à Concilio Trullano seu Quini-Sexto *Can. 69. 71. 74.*

96. t. 7. col. 1379. & seq., Constantinopolitano IV. Oecumenico. *Can.*
17. t. 10. col. 644. ed. Ven.

§. XIV. Quando autem excommunicatio gravissima est inter poenas ecclesiasticas, non nisi ob grande crimen irrogari debet; cum nihil pejus Christiano homini possit accidere, quam ab Ecclesia separari, eique interdici sacris, atque aditu, congressuque orthodoxorum. Hinc cum ferenda est excommunicatio, primum expendere oportet genus criminis, ut noscatur, num illud tam gravi poena sit, dignum (1); deinde monendus est criminis, ut se colligat, atque a pravo instituto removeatur (2). Quæ monitio bis, ac tertio repetitur, eaque *competens & canonica*, appellatur (3), quoniam ex ea satis constat criminis in peccatis obfirmato animo hæere.

(1) *Can.* 41. 42. 43. c. 11. qu. 3. Vide etiam Augustinum *de Fid. & oper.* c. 19. & 26. *opp. t.* 11. col. 550. & 558. ed. Ven. 1767., & S. Leonem M. *Ep.* 10. c. 8. *opp. t.* 1. col. 640. ed. Ballerin. Ven. 1753.

(2) Concilium Tridentinum *Sess.* 25. c. 3. *de Reform.*, *Can.* 42. c. 11. qu. 3.

(3) *Cap.* 48. *de Sentent. excomm.*, c. 5. *cod. in 6.*

§. XV. Synodus Lugdunensis, quæ habita est Gregorio X. Pontifice, iudicibus sive tres admonitiones, sive unam pro omnibus adhibere permisit; verum una hæc admonitio instar omnium est; nam aliquot dierum intervalla sunt observanda, antequam sententia feratur, nisi aliud necessitas fieri jubeat (1). Tridentina Synodus (2), ut coerceret arbitrium iudicum, qui etiam non admonitos excommunicabant, duas saltem monitiones emittendas statuit, antequam ea poena irrogetur.

(1) *Cap.* 9. *cod. in 6.*

(2) Concilium Tridentinum *loc. cit.*

§. XVI. Excommunicatus à suo Episcopo ab alio absolvi nequit (1), excepto Summo Pontifice, qui ab aliis inflictam excommunicationem ex ampla, quam habet in tota Ecclesia, jurisdictione remove potest (2). Lata vera ab una Ecclesia

excommunicationis sententia in aliis quoque servanda est (3). Nam ea poena territorio non circumscribitur, sed criminis sequitur, quocumque ipse venerit (4); ac præterea mutuum foedus, & conjunctio Ecclesiarum ita postulat, ut ab aliis quoque Ecclesiis ratæ firmæ habeantur poenæ, quas una Ecclesia in fontes constituit. Hinc mos inolevit, ut Ecclesiæ per literas encyclicas certiores facerent ceteras Ecclesias de iis, quos communione prohibuerant (5); neque alia nunc disciplina est (6).

(1) *Can.* 2. c. 11. *quæst.* 3. Concilium Carthaginense II. c. 7. apud Labbeum t. 2. *Concil.* col. 192. ed. Ven., Lugdunense II. *Can.* 4. t. 6. col. 570., Ivo Carnotensis *Ep.* 76. *opp. par.* 2. p. 38. ed. Paris. 1647. Vide Fagnanum *in c.* 12. *de Peniten. & remiss.* n. 80.

(2) Confer S. Leonem M. *Ep.* 32. *opp. t.* 1. col. 859. & seq. ed. Ballerin. Ven. 1753. Mitto reliqua exempla, quorum ecclesiastica historix plenæ sunt.

(3) *Cap.* 1. *de Tregua & pace.* Consule præterea Canones Apostolorum 10. & 25. apud Cotelerium *PP. Apostolic.* t. 1. p. 445. & 446. ed. Amstelod. Concilium Eliberitanum *Can.* 53. t. 1. *Concil. Collect.* Labbeii col. 998., Arelatense I. *Can.* 16. *ib.* col. 1452., Nicænum *Can.* 5. t. 2. *ib.* col. 63., Antiochenum *Can.* 6. *cod. t.* 2. col. 587. *ib.*, Sardicense *Can.* 13. *cod. t.* 2. col. 687., Cesaraugustanum *Can.* 5. t. 2. col. 1196. Milevitanum *Can.* 18. t. 3. col. 384.

(4) Adi-sis Fagnanum *in c.* 1. *de Tregua & pace* n. 6. & 7.

(5) *Can.* 20. c. 11. *quæst.* 3. Vide etiam S. Cyprianum *Ep.* 59. col. 56. ad Cornelium p. 259. ed. Amstelod. 1700. S. Augustinum *Ep.* 235. al. 74. ad Deuterium *opp. t.* 2. col. 848. ed. cit., Socratem *Histor. l.* 1. c. 6. p. 10. ed. Cantabrig., Concilium Toletanum I. *Can.* 11. t. 2. *Concil. col.* 1472. *Collect. cit.*

(6) Consule Pontificale Romanum *tit.* 17. *par.* 3. §. 12. p. 181. ed. Catalani Romæ.

TITULUS XIX.

DE INTERDICTO.

- I. Interdictum locale, personale, mixtum.
 II. Generale, vel particulare.
 III. Quod generale, quod particulare sit?
 IV. & V. Generalis interdicti modus.
 VI. In quos feratur interdictum?
 VII. Poenae eorum, qui interdictum violant.
 VIII. Cessatio à divinis.

Interdictum est censura, qua quibusdam locis, aut personis Divinis officiis, Sacramentis, atque usu ecclesiasticæ sepulturæ interdicitur. Est autem vel locale, quod locum ipsum afficit, ita ut eo quidem loco abstinere se quisquis debeat à divinis officiis, à Sacramentis, ab usu Ecclesiasticæ sepulturæ, non item cum non amplius in eo loco versatur; vel personale, quod personam attingit, & quocunque eat persona, eandem sequitur; vel mixtum, quod & locum, & personam comprehendit.

§. II. Est item tum locale, tum personale interdictum vel generale, vel particulare. Locale interdictum generale est, quod ad integram nationem, regnum, provinciam, civitatem, diœcesim; particulare, quod ad unam tantum Ecclesiam pertinet. De utroque hoc interdicto notandum est, quod interdicta civitate, etiam suburbia, & continentia ædificia, interdicta Ecclesia, etiam Capellæ, & Cæmeterium Ecclesiæ contigua interdicta censentur (1).

(1) Cap. 10. & 17. de Sentent. excomm. in 6.

§. III. Personale interdictum generale fertur vel in totum Clerum, quo nomine reliquus populus minime continetur, vel in populum, & hoc quidem interdicti genus non comprehendit clerum, nisi aliud cautum nominatim sit (1). Particulare autem personale interdictum certos obstringit homines nominatim expressos, ceteros non obstringit. Generalium interdictorum non recens, ut quidam pu-


tant (2), ratio, institutioque est. Nam antiquissima ætate interdicto quandoque subjecta constat universa collegia, & civitates, & provincias, & regna ipsa ob atrox aliquod Regum, & Magistratum facinus, ut populus interdicti tedio victus suo luctu, & querelis Principem ad officium revocaret (3).

(1) Cap. 16. de Sentent. excom. in 6.

(2) Roussellius lib. 8. Pontif. jurisd. c. 1. n. 31. nondum constare inquit, quonam tempore generalis interdicti usus invaluerit. Morinus l. 2. Exercit. c. ult. à sæculo X. ejus initium repetit; eademque est sententia Van-Espenii Jus Eccl. univers. par. 3. tit. 11. c. 9. §. 19. Claudius Fleuryus Inst. Canonic. par. 3. c. 21. §. 2. primum generalis interdicti exemplum se deprehendisse inquit sæculo VI., sed tamen generales excommunicationes, & interdicta tantum post S. Gregorium VII. invaluisse. Binghamus Orig. Eccles. l. 16. c. 3. §. 7. p. 156. & seq. t. 7. ed. cit. multis exagitat generalia interdicta, neque alia est sententia Cavalarii Inst. Canonic. par. 3. c. 36. §. 4. & 5. Continuis Auctor delle Riflessioni sulla Bolla Censæ p. 18. interdictum vocat Nuovo metodo di scomuniche, che per mille anni era stato ignoto nella Chiesa. Ante hos Apostata M. Antonius de Dominis de Republ. l. 5. c. 9. n. 38, & Paulus Sarpisus in Tract. sept. Theolog. Ven., & peculiari opere dell' Interdetto multa contra generale præsertim, ac locale interdictum scripserunt Graviter tamen, ac solide contra hostes interdicti disserunt Bellarminus Risposta al trattato dei sette teologi di Venezia sopra l'interdetto di N. S. P. Paolo V., Rutilius Benzonius de Justit. Pontific. interdict. , Baronius Parænes. ad Rem publ. Ven., Fagnanus de Justit. & validit. censur. Pauli V. Videndi sunt etiam Auctor operis Conferences Ecclesiastiques d' Angers pour l'anne 1712. t. 1. p. 324., & Cl. Zaccaria Diss. 3. della Forza obbligatoria della disciplina num. 37.

(3) Generalis interdicti satis clarum exemplum est in Canone 29. Apostolorum apud Cotelerium PP. Apostolic. t. 1. p. 447. ed. cit., cujus hæc verba sunt: Si quis ordinatus Episcopus administrationem, & curam populi sibi traditam non susceperit, hic sit segregatus... Sin vero profectus Episcopus non recipiatur sed propter populi malitiam, ipse quidem sit Episcopus, Clerus vero civitatis segregetur, quia ejusmodi populi contumacis non fuerunt correptores. Habes hic generale interdictum in totum clerum constitutum. Etiam Basilius Ep. 270. opp. t. 3. p. 417. ed. Paris. 1730. integrum pagum, quod raptorem cum rapta puella susceperat, neque eam restituerat, interdicto subjecit. Generalis quoque interdicti exempla sunt apud S. Gregorium Turonensem Histor. Franc. l. 8. c. 31. col. 404. ed. Paris 1699., & in Concilio Agathensi an. 506., cujus decretum extat in c. 2. de Purgat. canonic., ubi populus banno Christianitatis constrictus memoratur. Nam bannus

TITULUS XVIII.	140
De excommunicatione.	
TITULUS XIX.	168
De Interdicto.	
TITULUS XX.	174
De suspensione.	
TITULUS XXI.	178
De Absolutione à censuris.	



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA

DIRECCIÓN GENERAL DE

INDEX

RERUM PRÆCIPUARUM.

Numerus Romanus tomum, Arabicus paginam indicat.

A

- Abbates. Vide *Praelati*.
 Absolutio in sacramento poenitentiae. II. 118.
 Absolutio à censuris. Vide *Censurae*.
 Abstinentia in jejunio. Vide *Jejunium*.
 Academiae Forum. III. 54.
 Accessus. III. 100. Vide *Inspectio rei*.
 Accusatoris inscriptio, & subscriptio. IV. 9.
 Acolyti. I. 121. Eorum officium, & numerus praesertim Romae. Ib. Ordinatio. 226.
 Actio. III. 57. Ejus edendae forma. 61. Num differat à vocatione in jus. Ib. & 65. Realis ubi instituenda. 54.
 Actor quis. III. 28. Ad eam probandi onus pertinet. 81. Vide *Probatio*.
 Adulterium quid. IV. 105. Poena in adulteros. 107. Quando nuptias impedit adulterium. II. 183.
 Affinitas quid. II. 181. Quomodo inducat impedimentum dirimens matrimonii. 181. 182. Discrimen inter jus canonicum, & civile. 181.
 Africana Ecclesia, ejusque usus circa appellationes ad Sedem Apostolicam. III. 159. seq. Jus Primatus in Romano Pontifice semper agnovit. 161. Probavit appellationes Episcoporum ad Summum Pontificem. 161. seq. Cur Apertis appellationi resisterit. 159. seq.
 Agape. II. 303. 347.
 Alea clericis vetita. I. 89.
 Alani collectio. I. 72.
 Alexander III. vindicatur. IV. 105. seq.
 Alienatio rerum Ecclesiae. Vide *bona Ecclesiarum*.
 Alienatio iudicii mutandi causa facta quae sit. III. 176.
 Altare. II. 248. Plura in una Ecclesia altaria. 250. seq. Eorum ornatus. 248. 249. Consecratio. 258. Altare portatile. 271.
 Ambo. Ecclesiae. II. 246.
 Anachoretæ. I. 328.
 Anathema an ab excommunicatione differat? IV. 147. Anathema *Mavanbata*. IV. 148. 149. Vide *Excommunicatio*.
 Anathemata quae. II. 272.
 Angilramus Metensis an auctor capitulorum sub nomine Hadriani I. 58.
 Anglicanae ordinationes. II. 139.
 Annatae, earum origo, natura, aequitas. I. 272. seq.
 Anniversaria pro defunctis. II. 85.
 Annulus Episcopalis. I. 222.
 Annulus nuptialis. II. 149.
 Antichresis quid. IV. 125. seq. An iure canonico permessa. ibid.
 Apocrisarii. I. 162.
 Apostoleam. II. 239.
 Apostoli, eorumque potestas. I. 130. seq. II. 20.
 Apostolorum canones. I. 41. seq. Apostolicæ Constitutiones. I. 41.
 Apostoli in iure qui dicantur. III. 148. Eorum divisio. ibid. Quo tempore & quomodo petendi, atque exhibendi sint. ibid. Eorum forma, & usus, ibid. & 149.
 Apostasia quid, & quotuplex. IV. 19. seq. Apostasia Clericorum. IV. 26. Regularium. 26. seq. Apotatarum poene. 24.
 Apotelesmatici. IV. 100.
 Appellantes refutati. III. 153. seq. IV. 28. seq.
 *

(II)

- Appellatio** quid, & quotuplex. III. 142. seq. Appellatio à definitiva, & ab interlocutoria. 143. 144. Quibus in causis, & à quibus appellari possit. 145. seq. Appellationis interponendæ, introducendæ, finiendæque tempus. 147. seq. Ejus effectus. 146. 151. seq. Appellatio in suspensivo, vel in devolutivo. 151. seq. A quibus appellare liceat. 153. Num à Summo Pontifice, & à Supremis Principibus. *ibid.* Appellatio ad Summum Pontificem. 155. seq. Jus appellationum separari nequit à Primatu. 155. seq. Unde hoc jus repetendum. 156. Discrimen inter Orientis, & Occidentis appellationes. 167. 168. Appellatio omisso medio. 158. 159. In causis appellationum Pontifex vel dat iudices, vel causas ipse cognoscit. 168. Appellatio ad Metropolitam, & ad Patriarcham. 158. & seq.
- Apsis** sanctuarii. II. 247.
- Aqua benedicta**. II. 254.
- Arbiter** qui sit. III. 176. Arbitrorum distinctio. 177. Quomodo, & quibus in rebus constituantur. 177. seq. Quinam arbitri esse possint. 179. seq. Quot numero constituendi. 180. Quid si inter se dissentiant. 181. An ad ferendum iudicium cogi possint. 181. Justæ arbitrium abjiciendi, aut differendi causæ. *ibid.* Quibus in causis arbitri admittantur. 182.
- Arbitrium** quid. III. 178. & 183. Quo tempore, ac loco, & quibus de rebus ferri debeat. 182. & seq. An proprie sententia sit. 183. An rei judicatæ exceptionem pariat. 179. Quando redigatur ad arbitrium boni viri. 183. Quis arbitrium exequatur. 184. An ab eo detur appellatio. 183. Quomodo arbitria finiantur. 184.
- Arcani disciplina**. II. 41. & seq.
- Archidiaconus**, ejusque electio, officium, potestas. I. 202. seq.
- Archipresbyter**, ejusque officium, & potestas. I. 204. seq.
- Archivum**, seu scrinium, & chartarium Sedis Apostolicæ. I. 49. seq.
- Argentarii**. IV. 129.
- Arrhæ** in nuptiis. II. 149.
- Aruspicina**. IV. 100.
- Ascensio Domini**. II. 220.
- Ascetæ** an à Monachis diversi. I. 324.
- Asiani**, eorum sententia de celebrando Paschate. II. 221. 222.
- Asylum ecclesiasticum** quid. II. 263. Ejus antiquitas, & origo. seq. Quæ loca asyli jure fruuntur. 267. Qui ab asylo excludantur. seq. Modus extrahendi reum ex asylo ecclesiastico. 269.
- Astrologia**. IV. 100.
- Attritio** in sacramento pœnitentiæ. II. 105.
- Atrium Ecclesiæ**. II. 254.
- Audientes**. II. 39. 40. 112. 113.
- Augurium**. IV. 100.
- Aulici beneficia** inhiantes à S. Petro Damiano reprehensi. IV. 84.
- Azymi** usus. Vide *Eucharistia*.

B

- Baculus pastoralis**. I. 222.
- Baptismus** quotuplex. II. 24. Discrimen baptismi Joannis, & Christi. 22. & 23. Ejus materia remota. 24. Aquæ baptismalis benedictio. 25. seq. Materia proxima ablutio, eaque triplex. 27. seq. Aspersio, & effusio. 27. Immersio, ejusque ritus. seq. Forma baptismi apud Latinos, & apud Græcos. 31. seq. Minister ordinarius, & extra ordinem. 33. seq. Baptizantur infantes, & adulti. 35. An partus nondum plene editus, an filii infidelium valide, & licite baptizentur. 35. & seq. Adulti, & Cathecumeni, atque horum gradus. 37. seq. Signum crucis in cathecumenis, & oratio super eos. 39. seq. Cathecesis, & disciplina arcani. 41. seq. Cathecista, & locus Cathecesis. *ibid.* Scrutinium ante baptismum, ceterique ritus. 45. seq. Cathecumeni prohibentur nummos in concham.

(III)

- Bibliotheca**. II. 235.
- Bestialitas** quid. IV. 104. Qua pœnitentia puniatur. 109.
- Bernardi Circa Breviarium extravagantium**. I. 72.
- Bernardi Majoris collectio**. I. 72.
- Biffa Pragmaticis** quid. III. 137.
- Bigamia** quid, & quotuplex. I. 303. Irregularitas ex bigamia. *ibid.* & 304.
- Blasphemia**, quid, & quotuplex. IV. 91. 92. Blasphemia in Spiritum S. quæ 92. 93. Cujus fori cognitio sit. 92.
- Bona Ecclesiarum**. Ea necessaria societati ecclesiasticæ. II. 303. Ea semper Ecclesiæ fuerunt. *ibid.* & seq. Quo jure semper fuerint. 306. Eorum divisio, ac distributio. 306. seq. Alienari nequeunt. II. 358. seq. Quid alienatio comprehendat. 359. Alienationis causæ, & solemnitates. 360. seq. Juramentum Episcoporum de non alienandis Ecclesiæ bonis. 361. seq. Pœnæ temere alienantium. 360. Quæ alienari possint. 362.
- Bona Ecclesiæ** quoad immunitatem. Vide *Immunitas*.
- Bonifacius VIII.** vindicatur. IV. 11. Ejus Decretalium collectio. I. 78.
- Brephrotrophia**. II. 302.
- Brevia Pontificia**. I. 79. Brevium Secretaria. II. 169.
- Breviarium**. II. 206. seq.
- Bulla Unigenitus** irreformabile continet Sedis Apostolicæ iudicium. IV. 67. seq.
- Bullæ Summorum Pontificum**. I. 78. seq. Earum species. *ibid.* Earumdem collectiones. 79.
- Bullæ Datarie, & Cancellariæ** pro collationibus beneficiorum. I. 276.
- Bulla Cruciatæ**. II. 237.
- Burchardus Vormatiensis**. I. 65.

C

- Cæremoniæ**. Vide *Sacramentum*.
- Calumniæ actio**. III. 76. seq.

Cambium quid. IV. 128. Manuale. ibid. Locale. ibid. Siccum. 129. Obliquum. ibid. & seq.
 Campanæ; earum origo. II. 275. seq. Benedictio. 276. seq.
 Cancellaria Apostolica. I. 80.
 Cancellariæ Regulæ. I. 80. 369. & seq.
 Candelabra. II. 248. 250.
 Canon quid. I. 19. & seq.
 Canones Pœnitentiales. I. 64.
 Canonici; eorum Origo. I. 192. & seq. Divisio. 193. Mania, & reditus. 194. & seq. Dignitas. 195.
 Canonorum Capitula. I. 192. Horum potestas, Sede Episcopali vacante. 196. & seq.
 Canonicus Theologus. I. 200. Ejus institutio, & officium. ibid. & 201.
 Canonicus Pœnitentiarius. I. 201. Origo, & munus. ibid.
 Canonicus Regularis. I. 193. 331.
 Canonum collectiones. I. 41. & seq. Collectio à Synodo Chalcedonensi memorata. 44. Collectio Jo. Scholastici. 45. Collectiones Græcorum. 41. seq. Latinorum. 47. & seq. Collectio Africana, Gallicana, Hispanica. 53. Hibernensis, aliæque. 55.
 Capella. II. 270. Vide etiam *Oratorium*.
 Capitula Cathedralia, & Collegiata. I. 194. Vide *Canonici*.
 Capitula Tria damnata. IV. 66.
 Capitularia. I. 67.
 Carcer. III. 17. 18. 138. IV. 13.
 Cardinalis qui. I. 153. Eorum Origo. 154. seq. Dignitas. ibid. & seq. Distinctio Numerus, & Insignia. 159. Officium. 153. 160. Jura, & privilegia. 160. Quæ beneficia conferri possint. 275. A quo creantur. 159.
 Cardinalis Legatus. Vide *Legatus*.
 Cardinalium Congregationes. I. 81.
 Carnevale unde dicatur. II. 221.
 Carthaginensis Concilii IV. auctoritas. I. 70.
 Cathchesis. II. 41.
 Cathchismus an impediatur matrimonium. III. 191.

Cathechista, ejusque munus. II. 41.
 Cathecumeni qui. I. 85. II. 37. Vide *Baptismus*.
 Cathedralis Ecclesia. I. 192. hujus Dignitates. 199. Vide *Dignitas*, An pensionibus subiciatur. Vide *Pensio*.
 Cathedricum. I. 107. II. 330. seq.
 Casuum reservatio. I. 106. II. 123. seq.
 Causa. III. 28. Causæ discēptatio. 23. & 81. Conclusio. 125. Causarum genus multiplex. 37. & seq. Quæ ad forum ecclesiasticum spectant. ibid. Causæ beneficiaræ. 40. Causæ Clericorum. 18. 25. seq. 45. seq. Causæ Criminales. 115. Vide *Judicia Criminosa*. Decimarum. 41. Dubiæ quæ. 98. funerariæ, & oblationum. 41. Causæ de Ecclesiæ immunitate, ejusque juribus. 41. Matrimoniales. 39. 40. 114. Præjudiciales, præparatoriæ, & incidentes. 113. 114. Temporales. 45. 46. Spirituales. 38. Quæ ex his majores dicantur. 47. & seq. Causæ Summo Pontifici reservatæ. 47. & seq. & I. 139. 141.
 Censuales Tabulæ. III. 94.
 Censura quid, & quotuplex. IV. 141. 142. Censurarum finis. ibid. & 140. earum à publica pœnitentia distinctio. III. 11. & seq. Quomodo actus Judiciales. III. 13. seq. Censuras infligendi Jus. IV. 135. 140. Absolutio à censuris quid, & quotuplex. IV. 178. 179. Quis censuras tollat. ibid. Absolutio ad cautellam. 179. Ad reincidentiam. ibid. Censuræ in mortuos, earumque relaxatio. 180. seq.
 Censuræ quid. IV. 125. Quotuplex. seq. Realis qui, & quomodo constituendus. 126. Personalis. seq. An licitus. 127. Censuræ *vitalitius*. 128.
 Censuræ Ecclesiasticæ. II. 330. à quo constitui possit, & quomodo. ibid.
 Cessatio à Divinis. IV. 174.
 Cessio honorum quid. III. 139. ejus Origo, & natura. 139. 140. Quibus pateat. 139. An irroget infamiam. 141.

Chiromantia. IV. 100.
 Chiroteca. I. 221.
 Chreopiscopi. I. 185. Eorum Ordo. 185. seq. Officium & potestas. 186. Quando deserunt. ibid.
 Chrisma. Vide *Confirmatio*.
 Christiani apud Ethnicos Judices litigare vetiti. III. 13.
 Ciborium. II. 248. seq.
 Citatio quid. III. 61. Ejus in judiciis usus, & necessitas. 61. verbalis, & realis. 62. Verbalis quotuplex. 62. & seq. Quomodo reo significanda. 63. & seq. Quid si reus absens fuerit. 64. Vel in alieno territorio versetur. 64. Quæ comprehendi debeant in Citationem. 64. & seq. Ejus rite peractæ effectus. 66. 67. Quæ vis Citationum Cameracensium. 150.
 Clemens I. ejus genuinæ litteræ. I. 42. 56. 58. Supposititiæ. ibid. Num Auctor Constitutionum Apostolicarum. 41.
 Clementinæ. I. 75.
 Clerici qui. I. 82. Horum Hierarchia. 86. Ordinatio. 226. & seq. Jurisdictio. 83. Privilegia. 87. seq. Vita & honestas. 89. seq. Vestes, & tonsura. 91. & seq.
 Clerici conjugati. I. 127. seq.
 Clerici criminosi à quibus coercendi. III. 17. horum de gradu dejectio. ibid. ad Laicam communionem reductio. I. 314. an ad Laicum judicem trahi queant. III. 19. 45. an possint Privilegio fori renunciare. 45. & seq. Num Procuratores esse possint. 33.
 Coadjutores. I. 182. Eorum origo. 183. Species. 184. seq. Officium. 183. A quibus constituantur. 184.
 Codex Canonum universæ Ecclesiæ. I. 44. Codex Græcorum. 43. seq. Latinorum. 48. seq. 53.
 Cœlibatus ordinibus sacris annexus. I. 126. Num ex voto, an ex lege. ibid. Orientalis, & Occidentalis Ecclesiæ disciplina. 119.
 Cœmeterium unde dictum. II. 281. Ejus situs. ibid. seq. Locus religio-

sus est. 285. Vide *sepultura*.
 Cœnobium quid. I. 325. Cœnobitæ. ibid.
 Cœtus antelucani. II. 210.
 Cognatio naturalis impedit matrimonium. II. 176. seq. Cognationis gradus quomodo numerentur ex Jure civili, & canonico. 176. seq. Quo gradu vetitæ nuptiæ sint. 178. Quam vetusta sit graduum numerandorum ratio ex Jure Canonico. 176. seq.
 Cognatio Civilis. 183. Spiritualis. 184.
 Cognitio cui competat. III. 113. Ordinaria, & extraordinaria. ibid. Pro tribunali. 127. Planaria. 128. Summaria. 128. Vide *ordo cognitionum*.
 Collatio beneficiorum. I. 263. seq. Vide *Beneficium*.
 Collybus quid. IV. 128.
 Commendæ. Vide *Beneficium*.
 Commissoria lex. IV. 123. seq.
 Communio laica, & peregrina. I. 315. seq. Communio ex præconsecratis. II. 92. Vide *Eucharistia*.
 Competentiæ beneficium. III. 141. Quibus tribuatur. ibid.
 Completorium. II. 211.
 Compromissum quid. III. 178. Ejus ineundi modus. ibid. & seq. Plenum quando dicitur. 182. Receptum. 178. Quam actionem pariat. 179. Quomodo dissolvitur. 184. Quænam causæ compromissum respuant. 182. seq.
 Compurgatores qui. III. 100.
 Concilia. I. 27. 28. Oecumenica quæ. 28. & seq. An ea sint necessaria. 28. Eorum Auctoritas. 31. Indicenda, & confirmanda sunt à R. Pontifice. 28. seq. Qui iis intersint, atque subscribant. 31. An aliquid detrahant Ecclesiæ monarchiæ. I. 16. An sint supra Pontificem. 17. & seq. Nationalia. 32. Provincialia. 32. Diœcesana. 33. seq.
 Concilium Tridentinum; ejus historia. I. 80. seq. Concil. Trid. Congregatio. Vide *Cardinales*.
 Concordata. I. 80. 254.
 Concubina quæ. II. 141.

Concubinitus quid. II. *ibid.* & IV. 104. improbat; II. 141. Ejus poenae. IV. 105. seq.
 Condemnatio propositionum in globo. IV. 68. seq.
 Conditio impedit matrimonium. II. 189.
 Confessio probationis species, quid & quotuplex. III. 83. Judicialis ejusque vis. 83. extrajudicialis, quando plene probet. 84.
 Confessio Sacramentalis. Vide *Poenitentia*.
 Confirmationis Sacramentum. II. 56. Ejus materia. 57. Chrisma, ejusque Consecrationis ritus. 57. forma. 58. Minister. *ibid.* Qualis apud Græcos. *ibid.* Subjectum, ejusque dispositio. 60. & seq. ejusdem Sacramenti necessitas. 60. effectus. 56. tempus confirmandi, & ritus. 62. Confirmandorum Patrini, eorumque officium. *ibid.* Spiritualis cognatio. Vide *cognatio*.
 Confirmatio electionis. Vide *electio*.
 Confirmatio Apostolica in sententiis. III. 175. seq.
 Confraternitates. II. 302.
 Consuetudo quid, & quotuplex. I. 38. Quomodo inducitur. *ibid.* An obstet Tridentini Decretis. 39.
 Contractus assecurationis. IV. 119. seq. Cur inductus, & quando. *ibid.* Contractus dictus *d' godere*. 122. Contractus *moatbra*. Vide *moatbra*. Contractus mutui. Vide *urura*. Contractus Trinus. 131. Vetus de ejus æquitate dissensio. Quam periculi plenus. 132. An ab Apostolica Sede expresse damnatus. *ibid.* Qui ejus sit in foro usus. seq. Contractus societatis. Vide *Societas*. Pignoris. Vide *Antichresis*.
 Contritio. II. 105.
 Contumacia quid. III. 67. Ea vel actoris, vel rei. 68. Actor quando contumax, ejusque poena. *ibid.* Contumacia rei quomodo coercenda. 70. seq. num etiam Censuris. 71.
 Correctores Romani. I. 71.
 Cresconius, ejusque collectio canonum. I. 55.

Crimen. Vide *delictum*. Crimina in Religionem, à quo cognoscenda. IV. 9. & seq. Crimina Clericorum. Vide *Clerici*. Quid si in Rempubl. deliquerint. 9. & 11. Quomodo hæc à Laicis cognita. 8.
 Crux in Ecclesiis. II. 248. Crux Episcoporum. I. 221. 223.
 Cultus disparitas auptias impedit. II. 184.

D

Damnum emergens quid. IV. 117.
 Dataria I. 153. 276. II. 169.
 Debitor morosus quis. Vide *mora*.
 Debitorum obærat. III. 138. 139. Eorum poenæ. 139. & seq. quæ eas effugiendi remedia. 139.
 Decanicum. III. 18.
 Decimæ quid. II. 337. Earum origo. *ibid.* Divisio. 339. seq. Quibus præstandæ. 341. Quid de Laicis decimas Jure feudi percipientibus. 342. seq. A quibus solvendæ, & quibus ex bonis. 340. seq.
 Decreta SS. Pontificum. I. 24. 25.
 Decretales quæ. I. 74. Quomodo olim ederentur. 24. Collectio earum prima. 72. Secunda. *ibid.* Tertia. 73. Quarta, & quinta. *ibid.* Collectio Gregorii IX. 73. & seq. Decretalium Sextus. 75. Decretales Clementis V. 75. Decretales Joan. XXII. 76. Decretalium Septimus. 78. Decretales Recentiores. Vide *Bullæ*.
 Degradatio quid. I. 313. an à simplici depositione diversa. 313. & seq. Quotuplex. 318. Coram quibus, & quomodo peragenda. 318. seq. Delicta hæc poenæ obnoxia. 321. seq.
 Delegatus quis. III. 28. à quo constituitur. *ibid.* an possit subdelegare. *ibid.* Quomodo citationem emittat. 65.
 Delictum, quid & quotuplex. IV. 17. & seq. Delicta Ecclesiastica. 18. Civilia. *ibid.* Mixta. *ibid.* Quibus eorum Judicium competat. 18. & 19. Delicta venerea. 104.

Denunciationes in matrimonio II. 144. 190. seq.
 Depositio. Vide *Degradatio*.
 Diaconissæ I. 345. Earum munia. 346. An manuum acciperent impositionem. 348. seq. Quo tempore sublata. 350.
 Diaconi. I. 112. Horum institutio, & numerus. *ibid.* Quibus officiis olim addicti. 115. & seq. Quibus modo. 112. 113.
 Diaconicon. II. 255.
 Dies fatales. III. 147. Feriati. Vide *Ferie*. Justi. 135. Stati. 147. Devotionum, & Orationum. 106. Festi. Vide *Festi dies*.
 Dignitas quid. I. 133. Capitularum dignitates. 109. & seq.
 Dilatio quid, & quotuplex. III. 123. & seq. Dilationum usus. 123. Effectus. 124. Quæ Judicis potestas in illis concedendis. 123. seq.
 Diocesium divisio. I. 130. Visitatio. 103. Hujus finis, & modus. *ibid.* Cui visitandi munus. 103. & 175. Diocæsana lex. 107.
 Dionysius Exiguus. I. 50. seq.
 Diptycha. I. 115. & seq.
 Dispensatio matrimonii. Vide *matrimonium*.
 Distributiones Quotidianæ. II. 351. seq.
 Divinatio. IV. 99.
 Divortium quid. II. 194. II. Ejus natura. *ibid.* & seq. Cause, ob quas permissum. 197. & seq. Judicii forma. seq.
 Dominica. II. 217. 223. Dominica in albis. 51. Dominicæ resurrectionis dies qui.
 Dominicani. I. 331.
 Duplicatio quid. III. 111. Cui opponenda, & à quo. *ibid.*

E

Ecclesia quid. I. 2. Ejus institutio 2. Ad instar Reipublicæ à civili distinctæ. I. 5. III. 2. Societas inæqualis & visibilis. I. 2. & seq. Non meram collegium. 5. seq. Ejus signa, quibus à sectis Hæreticorum distinguitur. I. 8. ad 12. Ejus regimen necessarium, & quale sit. I. 13. Ejus imperium distinctum à civili potestate & Rep. I. 4. & seq. Imperii vis & ratio. I. 5. seq. 13. seq. Ejus jus administrandi sacra, & Divina. III. 6. seq. & 17. Fidei depositam custodit. IV. 48. Potestas à Christo data exterioris, & interioris fori. III. 6. seq. IV. 2. 8. seq. Ecclesiæ coercitio. III. 17. seq. Anomadversio in crimina. IV. 10. 17. Potestas spirituales, ac temporales poenas infligendi. IV. 12. seq. Ecclesiæ judicium falli nescium. IV. 27. Qui Ecclesiam constituent. *ibid.* An in paucis residere hoc judicium possit. 29. seq. An plebis consensus necessarius. 31. seq. An Ecclesiæ judicium uniuscujusque examini subjiendum. 32. An omnium consensus absolute unanimis sit necessarius. 34. An Ecclesiæ judicium consensum requirat secundi ordinis Presbyterorum. IV. 32. seq. An Ecclesia per orbem diffusa erroris expers. 33. 34. In Ecclesia semper extare debet judicium falli nescium. seq.
 Ecclesia Romana unitatis centrum, & caput omnium Ecclesiarum. I. 10. IV. 42. 43. Cum ea necessaria communio, & conjunctio omnium Ecclesiarum. IV. 43. seq. Quid ad eam ostendendam in Synodo Nicœna statutum, quid deinceps actum fuerit. *ibid.* Reliqua. Vide *Pontifex Romanus*.
 Ecclesiæ significatio. II. 238. Christianorum Ecclesiæ, & varia earum nomina. 239. seq. An Christiani initio habuerint Ecclesias. *ibid.* Simplicitas, & inde splendor Ecclesiarum à prioribus sæculis, & hujus vindiciæ. 241. 242. Vetus forma, & situs. 242. 243. Partes interiores earumque distributio. 245. seq. Narthex. 245. Navis. 246. Sanctuarium. 247. Apsis, & Sedes Episcopi, &

Presbyterorum. 247. Ara, sive altare. 248. Ciborium, & Crux ejusque forma, & situs. 248. seq. Candelabra, & luminaria. *ibid.* Sacrae Imagines. 252. seq. Partes exteriores Ecclesiarum. 254. seq. Ecclesia matrix, & filialis. I. 210.

Ecclesiarum consecratio, ejusque ritus ex antiqua, & nova disciplina. II. 256. seq. An idem consecrare, & dedicare. 258. Cujus sit Ecclesiam consecrare, quando facienda consecratio, & nra Ecclesie, aut altaris consecratio, iteranda sit. 358.

Ecclesiarum reconciliatio ob pollutionem quid, à quo, & quomodo facienda. II. 259.

Ecclesiarum reverentia ab omnibus habita. II. 260. seq.

Ecclesiarum immunitas. *Vide Immunitas.*

Ecclesiarum bona. *Vide Bona Ecclesiarum.*

Electio quid. I. 246. Antiquus electionis modus. 247. seq. Quando jus eligendi ad Clerum. 249. 250. Quando ad Canonicos delatum. 251. Quando Sedi Apostolicæ reservatum, ejusque ratio. 251. seq. Electio quotuplex. 257. seq. Quomodo, & intra quod tempus facienda. 257. Inferiorum Prelatorum electio quæ. I. 254. Qui elegi vel eligere possint. *ibid.* seq. Confirmationis necessitas, ejusque vis, & ratio. 259. seq.

Episcopæ. I. 350.

Episcopus ejusque officium. I. 102. seq. Potestas in foro interno, & externo. 106. Legislativa, judicialis, & criminalis. 107. Potestas ordinis, & jurisdictionis. 106. seq. Ut Episcopus utramque habeat, necessaria ordinatio, & legitima missio. 100. Magistratus ab eo gestus in Ecclesia. III. 3. Episcopi potestas nihil detrahit Monarchiæ Ecclesiæ. I. 15. Potestas jurisdictionis arctari potest. II. 162. seq. Episcoporum præstantia supra Presbyteros. I. 105. Episcopale judicium. III. 21. seq. Ju-

risdictio, & delegatio in exemptos. I. 108. seq. II. 294. 293. Jurisdictio in Monasteria Regularium. II. 293. Jus in omnes Confraternitates laicorum. II. 302. Jus conferendi beneficia suæ Diocesis. I. 263. Jus in hospitalia, & quando habeat in exempta. II. 301. 302. Spirituale Episcopi conjugium cum Ecclesia vindicatum. I. 224. 225. Residentia. 104. seq. An ea divini juris sit. 104. Quanto tempore, & qua de causa abesse possit. 104. 105. Pœnæ Episcopi non residentis. 104. Obligatio offerendi Missam pro populo. I. 228. Munus intercedendi pro reis. I. 299. An Episcopus cogatur eligere Vicarium generalem. I. 208. An cogi possit ad testimonium ferendum. III. 89. Episcopus quis, & quo tempore eligendus. *Vide Electio.* Episcopi confirmatio Pontifici reservata. III. 48. seq. Episcopus cur appelleretur Sedis Apostolicæ gratia, & quando hæc formula adhiberi cepit. IV. 43. & 44. Ejus consecratio. I. 221. seq. A quibus olim facta, & à quo, & quando facienda. I. 223. Ejus vis, & pœna eam protrahentium. 224. An necessaria in ea præsentia trium Episcoporum. 224. Juramentum Episcopi in consecratione. I. 221. Unctio sacra à Græcis non adhibita in consecratione. *ibid.* Episcopi quo ritu in exteriori foro judicium exercent. IV. 8. seq. Episcopi hæresis, apostasia, schisma, & quomodo se tunc separari debeant Christiani. IV. 46.

Eremodicium quid. III. 69.

Error quomodo matrimonium impediatur. II. 186.

Eucharistia quid, & varia ejus nomina. II. 63. 64. Ejus materia, & dogma, transubstantiationis. 64. Usus azymi, & fermenti. 64. seq. Qualis adhibendus panis. 64. 67. Quale adhibendum vinum, & cur cum eo paulum aque admisceatur. 64. 67. seq. Eucharistiæ forma, & minister. 68.

69. Num plures Sacerdotes conficere Eucharistiam possint. *ibid.* Quis Eucharistiæ distributor ordinarius, atque extra ordinem sit. 69. seq. Qui Eucharistiam suscipiant. 71. seq. Dispositiones rite sumendi Eucharistiam, ubi de jejuniis. 72. seq. Communio sub utraque, & sub una tantum specie. 74. seq. Communio quotidiana, & paschalis. *ibid.* Ordo, & ritus sumendæ Eucharistiæ. 77. seq. Viaticum quid, & à quo detur. 70. 72. 80. Necessitas illud sumendi. 80. Usus conservandæ Eucharistiæ. 80. seq. In Ecclesiis non parochialibus conservari nequit sine venia Sedis Apostolicæ. 81. Administratio Eucharistiæ ex præconsecratis. 81. seq. Eucharistiæ circumgestatio, expositio, festum corporis Christi. 80. seq. Eucharistia verum sacrificium. 83. Sacrificium *Missa* nuncupatur; hujus vocabuli significatio. 85. Missæ liturgia. 85. seq. Preces secretæ. 88. seq. Quibus diebus, quo tempore, ac loco olim Missa celebraretur. 92. seq. Quo idiomate. 96. seq. Missa prima quando, quomodo, & à quo Apostolo celebrata. 273. Fructus & valor sacrificii Missæ. 83. seq. 101. seq. Missa pro defunctis. 84. seq. Pro certa & designata persona. 99. seq. Plures uno die Missæ à Sacerdote celebratæ. 93. 94. Missa *Præconsecratorum*. 92. 93. Missa publica, & privata conventualis, canonica, sive parochialis. 95. seq. Solitaria quæ. 97. Missæ sacrificium sine venia Sedis Apostolicæ in privato oratorio celebrari nequit. 98. 171. Quibus diebus fideles Missæ sacrificium interesse debent. 98. Missæ honorarium, ejusque origo, & antiquæ oblationes. 99. seq. Missa catholicæ. I. 117.

Examen ordinationi præmittendum. I. 236.

Examinator Synodalis, & ejus judicium. I. 288. seq.

Exceptio quid, & quotuplex. III. 105.

Dilatoriæ exceptiones, earumque divisio. 106. Quæ actorem, quæ causam, quæ judicem, quæ procuratorem respiciant. 106. seq. Peremptoriæ, & earum divisio. 105. 106. Quando peremptoriæ, & quando dilatoriæ exceptiones proponendæ. 106. 109. Fori præscriptionis exceptio quæ, & quando opponenda. 110. Quando exceptio majoris excommunicationis. 110. 111. Ea ante causam expendenda. 113. Exceptio doli. III. 106. 184. 185. Exceptionis effectus. 111. Cui probandæ exceptionis onus. *ibid.* Exceptionum contraria. 111. 112. Exceptio rei judicatæ. *Vide Res judicata.*

Excommunicatio quid, & quotuplex. IV. 140. Excommunicandi potestas à Christo Ecclesiæ data. 141. seq. Excommunicatio mortalis quæ, & in quos ferebatur. 142. seq. Medicinalis quæ, & an à publica penitentia distincta. 145. seq. Excommunicatio major, ac minor, & anathema. 147. seq. Excommunicatio Hebræorum. 149. Excommunicatio latæ, & ferendæ sententiæ. *ibid.* II. 115. Antiquitas. *ibid.* seq. Effectus majoris excommunicationis. 152. Traditio Satanz quid. 152. seq. Excommunicati vitandi, & tolerati qui. 153. seq. An cum excommunicatis toleratis etiam in sacris, & divinis permissa communicatio sit. 156. seq. Cui potestas excommunicandi sit. 157. seq. Vis excommunicationis latæ à Summo Pontifice. 159. seq. In quos feratur excommunicatio. 163. Etiam Principes, & Magistratus excommunicationi subijci possunt. 161. seq. An excommunicatio injusta metueda. 164. seq. Excommunicatio propter res disciplinæ. 165. seq. Quas ob causas ferenda excommunicatio. 166. Prævia monitio. 166. Excommunicatus à quo absolvendus. *ibid.* Excommunicationis sententia ab aliis quoque Ecclesiis observanda. *ibid.* Ex-

- communicatio Monachorum. 148. seq.
- Exedrae Ecclesiae. II. 255.
- Exempti qui. I. 108. Vide *Episcopus*.
- Exilium ab Ecclesia irrogatum. IV. 13. 139.
- Exomologesis. II. 105.
- Exorcista, & ejus officium. I. 122.
- Extravagantium collectiones. I. 76.
- Ezechias comburi jubet libros Salomoni tributos. IV. 57.
- F**
- Factum dogmaticum. IV. 64. seq. Ecclesiae, & Summi Pontificis in eo definiendo inerrantia. 65. seq. Factum mere personale. 63. Facti jurisque distinctio. 64. & seq.
- Feria. III. 106. & seq. Earum divisio ibid. Ecclesiasticae quae. 106. Cur hebdomadae dies feriae dicuntur. 107. Num actus judiciales fieri possint diebus feriatis. 107. *Caput ultimum de feriis* illustratum. 108. & seq. Feria carnis privilegii. II. 221.
- Festi dies. II. 217. Eorum origo, & distinctio. 218. seq. Festa mobilia, & immobilia. 220. seq. Festa Domini; B. M. Virg. Martyrum, Confessorum. ibid. Sancti Patroni. 223. Festa constituendi jus penes quem. 224. Festorum Sanctificatio. 225. Eorumdem deminutio. 224.
- Fides Ecclesiae Catholicae. IV. 27. & seq. Cui de rebus fidei iudicium. Vide *Ecclesia*, *Pontifex*. In fide dubius quis. 38. An haereticus. Vide *Haereticus*.
- Flamines. IV. 23.
- Fœcus nauticum. IV. 119. An utroque jure probetur; ibid. & seq. An idem in terrestri negotiatione. 120. *Cap. Naviganti* interpretatio. ibid. Vide *Usura*.
- Forma Sacramenti. Vide *Sacramentum*.
- Formatae litterae. I. 186. 237.
- Fornicatio quid. IV. 104. Hujus criminis poenae. 105.
- Forum quid, & quotuplex. III. 37. 52. Forum competens. 38. & seq. Domicilii. 52. Contractus. 52. Delicti. 53. Rei sitae. 54. Ob causae continentiam. 55. Ob Jurisdictionis prorogationem. ibid. Forum privilegiatum. 54.
- Forum Ecclesiae. III. 5. IV. 2. seq. Internum, & externum. III. 7. 10. & seq. IV. 2. seq. Causae ad hoc forum spectantes. Vide *Causa*.
- Franciscani. I. 331.
- Fulgentii Ferrandi *Breviatio Canonum*. I. 53.
- Furtum rei Sacrae. Vide *Sacrilegium*.
- G**
- Gazophylacium. II. 350.
- Gerontocomia. II. 302.
- Gradus Cathecumenatus. Vide *Baptismus*. Poenitentiae. Vide *Poenitentia*.
- Graeci sine venia Sedis Apostolicae ad ritum Latinum transire nequeant. II. 22. Graeci schismatici. IV. 43. seq. Graecorum collectiones. Vide *Canonum collectiones*.
- Gratia sacramentalis. Vide *Sacramentum*.
- Gratianus Auctor decreti. I. 67. Ejus methodus, laudes, vitia. 67. seq. Ejus emendatio. 69. Quid in eo *Palae* nomen significet. 70. Ejus auctoritas. 71.
- H**
- Hadrianus I. P. Dionysianam collectionem offert Carolo M. I. 51. An auctor capitulorum ad Anglitanum. 58. seq.
- Haruspicium. IV. 100.
- Hæra publica pro distrahendis pignoribus. III. 138.
- Hebraeorum præcepta. I. 22. seq. Hebraei non omnes ab adolescentibus legi sinebant S. Scripturae libros. IV. 57. Eorum peccatum in Spiritum S. 92. seq. Eorum templum. II. 260. Concubitus Christiani hominis cum

- Haebrae, vel Ethnica muliere quibus poenis puniatur. IV. 108.
- Heresis unde dicta, & quid. IV. 27.
- Haereticus qui. 38. seq. Num haereticus qui sciens prudens in fide dubitat. ibid. De haeresi suspectus quis. 20. Suspicio de haeresi quotuplex. seq. Haeretici irregulares. 40. Inter Catholicos non tolerandi. 46. seq. A Justiniano Imp. expelluntur. 52. A Michaele Imp. capite multantur. 52. Eorum libri cremati. 61. Haeticorum poenae. 39. seq. Num haec crudeles haberi possint. 76. 77. Haeretici ad Inquisitionis tribunal deferendi. 79. Num ab Episcopo, aut ab Inquisitoribus absolvi possint. 75. Ad catholicam Ecclesiam redeunt quomodo recipiendi. 41. Catholicorum matrimonia cum haeticis. II. 185.
- Hierarchia quid. I. 186. 187. Alia ordinis, alia jurisdictionis. 186. Utraque à Christo instituta. 197. Ejus vis, ratio, discrimen, tractatio. 98. seq. Hierarchia Ordinis. 98. Jurisdictionis, & ejus Magistratus. 99. 128. seq. Postulat unum omnium caput, & unitatem. 129. seq.
- Hincmarus Remensis. I. 60. III. 46.
- Hispanica collectio. Vide *Canonum collectiones*.
- Homicidium quale irregularitatem inducat. I. 293. seq.
- Honorarium Missae. II. 102. seq. Vide *Eucharistia*.
- Honorii. III. Decretalium collectio. I. 73.
- Horae canonicae. II. 208. seq. Horae nocturnae. 209. Vide *Officium Divinum*.
- Hospitalia quid. II. 300. Variæ Hospitalium species. 302. Antiquissimus eorum usus apud Christianos. 298. Quae hospitalia Episcopo subsint. 302.
- Hostes Religionis non tolerandi. IV. 46. An eos armis persequi oporteat. 50. seq. Num interdum tolerari possint, & quomodo. 53. Quantam Ec-
- clesiae, & civili Republicae damnum inferant. 51. 53. & seq.
- Hyemantes qui. IV. 109.
- Hypsistarii. IV. 20.
- I**
- Idololatriae rei quibus poenis coerciti. IV. 24.
- Jejunium, & abstinencia. II. 226. seq. Jejunium Quadragesimae, ejusque origo, instituto tempus. 227. seq. Tempus, quod hoc jejunium præcedit. 220. Jejunium quartae, ac sextae feriae, & Sabbati. 228. seq. Quatuor temporum, ejusque origo, & finis. I. 227. II. 231. Vigiliarum, ubi de vigiliis, pervigiliis, pernoctationibus. 232. Abstinencia in jejunii, & ejus ratio, vetustas, finis. 233. seq. Unica comestio, ubi de ejus tempore, ratione, cœnula vespertina. 235. seq. Subjectum jejunii. 236. Dispensatio, & ratio jejunii, ac ciborum esurialium. ibid. Jejunium ante Eucharistiam. Vide *Eucharistia*.
- Illegitimus ordinari nequit. I. 301. seq. Quomodo legitimetur. ibid. In Religione arcetur à Praefecturis. 302. Legitimus pro ordinibus an etiam pro beneficiis legitimatus habeatur. 303. Quid si ejus Pater Ecclesiae beneficii ministraverit. 302.
- Imagines sacrae in Ecclesiis. II. 252. seq.
- Immunitas Ecclesiastica. II. 262. seq. Unde orta. 262. Ejus partes. Prima ut in Ecclesia profani actus non exercentur. 262. Altera jus asyli. Quid & unde hoc. ibid. Vide *Asylum*.
- Immunitas realis; unde repetenda. I. 88. II. 363. Ejus vindicta. ibid. seq. Poenae imponentis, & solventis tributa ex bonis ecclesiasticis. 365. Quibus competat privilegium immunitatis. ibid.
- Immunitas personalis clericorum. I. 87.
- Impedimentum. Vide *Matrimonium*.
- Imperium mixtum quid. III. 29.
- Impotentia impedit nuptias. II. 171. seq.
- Incestus quid. IV. 105. Ejus poenae.

108. An incestus contrahatur ob cognationem spirituales. *ibid.* Quid in Urbe statutum. *ibid.*
- Indulgentiæ unde sumptæ, & earum effectus. II. 198. seq. Eas concedendi potestas Ecclesiæ data. *ibid.* Cujus usus varius est. 202. Plenariæ quæ à solo Romano Pontifice, partiales, quæ etiam ab Episcopo conceduntur. 200. seq. Quibus delegari possit hæc potestas. *ibid.* Qui indulgentias consequantur. 198. Earum concedendarum causæ, ac variæ species. 198. seq. Earumdem finis. 204. Indulgentiæ pro vivis, & defunctis. 205. Quomodo acquirantur, & nunciatio. *ibid.* An à Capitulo Sede vacante Indulgentiæ concedi possiat. I. 198. seq.
- Infamia irregularitatem inducit. I. 293.
- Inquisitio, ejusque Congregatio Romana. IV. 74. An eam graviora ex toto orbe negotia deferenda. 71. Inquisitoris munus, & Episcopi ea in re officium. 74. Quibus exosum Inquisitionis tribunal. 75. Quam falso crudelitatis accusetur. 80. Poenarum, quas infligit, modus. 81. Finis. 81. Injustæ hæreticorum querelæ. *ibid.* Munus Inquisitoris quibus committatur. Quid si Inquisitores auctoritate abutantur. 78. Assessores alicubi adhibentur. *ibid.* An recte hoc munus Regularibus commissum. *ibid.* Quinam ad hoc tribunal deferendi. 79. Qui deferre teneantur. *ibid.* Nam infames accusatores, ac testes esse possint. 79. 80. Quæ ab Inquisitoribus horum accusatorum, ac testium ratio habeatur. *ibid.* Falsi accusatores, & testes quomodo puniantur. *ibid.* Sacramentum judici, accusatori, testibus impositum. 80. Modus, & æquitas judici Inquisitionis. *ibid.* Appellatio ad supremam Inquisitionem. 81. Quinam judicio Inquisitionis obnoxii. 81. Qualia ob crimina quis deferendus. 82.
- Innocentius III. vindicatus. III. 46.
45. IV. 138. Ejus decretalium collectiones. I. 73.
- Inspectio rei quid, & quando adhibenda. III. 100.
- Institutio quid, I. 277. Vide *Jurpatronatus*.
- Instrumentum, ejusque distinctio, fidesque, & auctoritas in judicio. III. 94. seq.
- Interdictum quid, & quotuplex. IV. 168. seq. Generalis interdicti anti-quitas. 169. seq. Ejus modus. 172. seq. In quos feratur. 168. Poenæ eorum, qui interdictum violant. 173. An cessatio à divinis alia ab interdicto. 174.
- Interloquutio quid. III. 125.
- Ioannes Evangelista fugit à balneo, in quo erat Cerinthus hæreticus. IV. 50.
- Interrogationes, quæ olim in jure fiebant. III. 84. Interrogatoria actio quid. *ibid.*
- Interstitia ordinum. I. 231.
- Irregularitas quid, & unde procedat. I. 293. Ex crimine. 293. seq. Ex vitio, aut defectu, vel animi, vel corporis. 296. seq. Quomodo, & à quo tollatur. 304.
- Isidori collectio canonum. I. 48.
- Isidorus Mercator quis fuerit. I. 56. seq. Ejus collectio. *ibid.* Auctor capitulorum, quæ Hadriano I. tribuatur. 58. seq. Ejus collectio Romæ sero cognita. 60. 61. Ejus auctoritas, finis, & falsitas monumentorum. 61. seq. An per eam novum aliquid jus inductum fuerit. 63. Unde præsertim sumpta. 56. III. 169. 170.
- Jubilæum quid. II. 203. seq.
- Judex quis. III. 28. Ordinarius, vel delegatus. *ibid.* Legitimus, seu competens. 38. Non competens. 109. Suspectus. 109. Qui judices jurisdictionem, & qui tantum notionem habeant. 29. Qui judicent, & qui jus dicant. 29. Judex re cognita judicare debet. 81. Quid si judicet contra expressam legem. 110. seq.
- Judicium quid. III. 28. Quibus rebus constet. *ibid.* & 20. Variæ species ju-

- diciorum. 30. seq. Judiciorum ordo. 31. Judicia coram competente Judge exercenda. 37. Judicia Ecclesiæ Apostolorum ætate. 9. 10. Sub Apostolorum successoribus. 10. seq. De controversiis Christianorum sub ethnicis Imperatoribus. 13. 14. An ea vera judicia fuerint, seu potius arbitria. 14. seq. Quomodo nihil ab iis abfuerit, quod ad judicii substantiam pertinet. 16. 17. Judicia Ecclesiæ sub Principibus Christianis. 17. 18. Solemnitates in iis observatæ. 19. seq. IV. 9. seq. Judicia ecclesiastica quomodo forensibus opponantur. III. 27. Quæ denique judiciorum Ecclesiæ forma. 27. Judiciaria potestas Ecclesiæ. 4. Pars imperii, & jurisdictionis. 4. Quo jure Ecclesiæ hanc potestatem exerceat. 4. seq. Judiciaria potestatis objectum quotuplex, & quale. 6. Commune ecclesiastica, & civili reipublicæ. 6. 7. Ecclesiastica proprium. 7. Quam Apostoli potestatem exercuerint. 8. seq. Judicii criminalis materia. IV. 17. Judicia criminalia ab Ecclesiæ exercita in foro exteriori. 8. seq. Judicia criminalia Ecclesiæ in Clericos, & laicos. 9. seq.
- Juramentum quid. III. 96. Justum ab Ecclesiæ approbatum. IV. 96. seq. In re inani, aut turpi vetitum. *ibid.* Juramentum est species probationis. III. 96. Ejus distinctiones. 96. seq. Græcorum de hac distinctione sententia. 97. 98. Juramentum deferre, ac referre. 96. An oblatum recusari possit. 99. Juramentum *calumniæ*, ejusque causa, & origo. 76. seq. A quibus præstandum. 78. 79. Quibus in causis. 77. Num in spiritualibus, & criminalibus. 78. 79. Quæ poenæ, si petitum non detur. 78. Num pacto remitti possit. *ibid.* An clerici de calumnia jurent, & quomodo. 79. Discrimen inter clericos, & laicos. *ibid.* Oppositæ in speciem Decretale. Illustratæ. 80. Juramentum *malitiæ* quid. 80. Juramentum suppletorium quale. 98. Quando ei locus sit, & cui deferendum. 98. Quædam juramenti formulæ. 100.
- Jurisdictio quid. I. 98. 99. III. 30. Quomodo acquiratur. I. 245. Quomodo amittatur. I. 305. 306. Potestas jurisdictionis. 128. seq. Quomodo in judge jurisdictio à simplici notione, & mixto imperio distinguitur. III. 29. An jurisdictio distincta à potestate, & auctoritate. 3. In omni Republica Magistratibus necessaria. 2. 3. Jurisdictio Ecclesiæ à Christo data. III. 4. IV. 2. seq. Eam semper Ecclesiæ exercuit in foro interiori, & exteriori. III. 6. seq. IV. 4. seq. Jurisdictio voluntaria, contentiosa, mixta. III. 29.
- Jus quid. I. 1. Jus canonicum. 19. Jus civile. 22. Jus divinum. 20. Jus humanum. 24. Jus scriptum, & non scriptum. 20. 36. Vide *Traditio*, & *Consuetudo*. Juris Canonici collectionis, earumque origo, series, ratio. 40. seq. Juris Canonici corpus. 77. Glossæ. *ibid.* Jus novum. 66. seq. Jus novissimum. 77. seq.
- In jus vocatio quid. III. 60. Quomodo olim fieret. 60. Quomodo nunc fiat. 61. An à libelli oblatione distinguatur. 61.
- Jurpatronatus quid, & unde ductum Patroni nomen. I. 277. Ejus origo, concedendique causæ. 277. seq. Ejus species. 280. seq. Quomodo acquiratur, transferatur, amittatur. 281. seq. Quid cum plures patroni sunt; quid cum ipsi in præsentatione dissentiant. 286. An vendi possit jurpatronatus. 286. Jura honorifica in iurepatronatus. 278. Jurpatronatus in beneficiis curatis. 289.
- Ivo Carnotensis, ejusque collectiones. I. 65. seq.
- L
- Laici, & eorum à clericis distinctio. I. 82. seq. Per baptismum subditi Ecclesiæ. 85. IV. 12. seq. Quomodo ab ea puniatur. *ibid.* Laici Clericis

infesi. IV. 11. Laici contra Clericos in causis criminalibus an testes esse possint. III. 92. Laicorum causæ ab Episcopis judicantur, & quomodo. III. 24. seq.

Lapsi qui. IV. 21.

Laudum quid, & unde dictum. III. 183.

Lectores, & eorum officia. I. 123.

Legati qui. I. 161. seq. Eorum distinctio, origo, munus, potestas. ibid. Quæ beneficia conferat. 275.

Leges civiles in jure canonico. I. 35.

Leges Constantini, aliorumque de causis Clericorum ab Ecclesia cognoscendis. III. 23. 24. Lex Constantini de Episcopali judicio genuina. III. 23. seq.

Lex Mosaica quoad præcepta ceremonialia, an excitari possit ab Ecclesia. I. 23.

Libellatici. IV. 21. Quotuplex eorum genus. ibid. seq. Num apostasiæ rei. ibid.

Libellus quid. III. 56. Ejus antiquus usus in Ecclesiasticis judiciis. 57. IV. 8. Libellorum species. III. 57. Libellus accusatorius, & conventionalis. III. 57. seq. Quid in Libelli oblationem cavendam. 58. Post libelli oblationem quæ induciæ reo tribuat. 57. Libelli emendatio quid. 59. Num ea differat à mutatione, & quamam ista ibid. Libelli solemnitas quando non necessaria. ibid. Libellus primus Judici aditus. ibid.

Liberti Chartularii. I. 84. Denariales. 83.

Libra occidua quid. III. 86. 87.

Libri Talmudici Hebræorum. IV. 63.

Librorum pravorum lectio perniciose. IV. 54. Ea merito ab Ecclesia vetita. ibid. seq. Cautio ea in re Hebræorum, Ethnicorum, Sectarum omnium. 56. Prava hæc lectio vetanda ab Ecclesia, ab eaque designandi sunt libri, qui legi nequeunt. ibid. seq. An à Laico Principe hæc lectio vetari possit. 60. Jus Summi Pont. probandi, improbandive libros. 61. seq. Judicium Ecclesiæ, aut Sum-

mi Pontificis. ibid. An ab Episcopo, & provinciali Concilio libri damnari possint. 61.

Ligamen matrimonium impedit. II. 175.

Litis contestatio quid. III. 73. Unde dicta. 74. An multiplex. ibid. An necessaria actoris, & rei presentia. ibid. Quomodo fiat. ibid. Ea judicii initium est. 74. Ficta quæ dicatur. 74. Quibus in causis non necessaria. ibid. Præcipui ejusdem effectus. 75. seq.

Liturgia Mozaraba. II. 85. 88.

Liturgiæ, earum plures indicantur. II. 85. Quæ Petri, Jacobi, Matthæi, Marci dicuntur, an istorum sint. 87. Liturgiæ usus apud Apostolos. 86.

Lucram cessans quid. IV. 116. seq. Quomodo æstimari debeat. ibid. Quando ob lucrum amissum recte percipiuntur usuræ. IV. ibid. & seq.

M

Magia quid, & quotuplex. IV. 103. 104. Quomodo a divinatione distincta. ibid. Magi an unquam extiterint. ibid. Cur benefici, & malefici dicti. ibid. Eorum pænæ. ibid. An iisdem obnoxii consulentes magos. ibid. Quid arbitrio judicis relictum. 104.

Magistratus quid. III. 2. Ecclesiæ à Christo dati. ibid. in Republica necessarii. ibid. Sine imperio, & jurisdictione otiosi. ibid. Ecclesiæ Magistratibus perpetua jurisdictio. 3.

Martinus Bracarenensis, ejusque collectio canonum. I. 54.

Materia, & forma Sacramentorum. II. 7. seq. An mutari ab Ecclesia possit. 18. seq.

Matrimonium quid. II. 140. 141. Ejus materia, forma, minister. 141. Consensus in matrimonio quomodo exprimitur. 143. Matrimonium legitimum, ratum, consummatum. 143. 144. Verum presumptum, putativum. 143. Conscientiæ, & ad morganaticam. 144. seq. Hujus origo,

& vocabuli significatio. 145. 146. Impedimenta dirimentia, & impedientia. 153. seq. 191. seq. Quis impedimenta matrimonii constituat, tollatque. 153. seq.

An Episcopus laxare possit impedimenta dirimentia. 158. seq. An impedientia. 166. Potestas Summi Pontificis laxandi impedimenta late vindicatur. 166. seq. Quæ impedimenta laxari solent. 169. Quæ causæ requirantur & quomodo. 169. 170. Dispensatio alia publica, alia occulta. ibid. Impedimentorum dirimentium divisio, & natura. 170. Matrimonium clandestinum, ejusque vis ante, & post Tridentinum. 189. seq. Impedimenta impedientia. 191. seq. An dissensus Parentum in Matrimonio filiorumfam. impediatur. 192. seq. Quomodo consummatum, & ratum dissolvatur. 194. 195. Matrimonium quoad thori separationem, ejusque causæ. 196. seq. Judex causarum matrimonii. An sint Prælati inferiores Episcopis. 197. Causarum matrimonii methodus ac Defensor. 198.

Matutinæ preces. II. 209. 213.

Mercatorum Libris quæ fides. III. 96.

Messium tempus feriatum. III. 106.

Metaposcopia. IV. 100.

Metropolitæ. Eorum origo, & potestas. I. 173. seq. Ab Ecclesia instituti & quare. 130. An ab Apostolis & ante Nicanum. I. 172. Eorum jurisdictio. 174. Eorum pallium. Vide *Pallium*.

Militia Clericis vetita. I. 89.

Missa. Vide *Eucharistia*.

Misio in possessionem quid, quotuplex, & quando detur. III. 70. Misio ex 1. & 2. Decteto quæ, & ejus effectus. ibid. An sola dominium transferat. ibid. An danda propter rei contumaciam in causis beneficiarum. 71.

Mitra Episcoporum. I. 223.

Mohatra quid. An contractus usurarius. IV. 121.

Monachi. Eorum nomen origo, & genera. I. 325. seq. Propagatio per Orientem & Occidentem. 326. seq. Eorum regula primitiva, & status. I. 329. seq. An testes esse possint. III. 91. Labor manualis antiquorum monachorum. I. 329. 330. Quam immerito revocari nunc vellet. II. 291. 292. Monachi olim laici. I. 332. Utilitas studiorum Monachorum. II. 292.

Monasterium quid, & ubi primum institutum. II. 291. Nova Monasteria quibus legibus ædificanda. 292. Exemptionum eorum vetustas, & æquitas. I. 335. 336. II. 293.

Moniales quæ, & earum origo. I. 341. Earum regula, clausura & ejus lex. 341. seq. Earum dotes. IV. 89. 90. Earum regimen Episcopo commissum, & quid circa electiones Abbatissarum. I. 343. 344. Extraordinarius confessarius iis concedendus. 342. 343. Earum Monasteria intra urbes ædificanda. II. 293.

Montes Pietatis quid. IV. 123. seq. Eorum origo & causa. 124. Cur Protestantibus inveni. A Lateranensi. V. probati. 124. Fructuum perceptio vindicata. ibid. Num id liceat sine venia Sedis Apostolicæ. 125. Quid si æs alienum sit solvendum. ibid.

Mora quæ, & quotuplex. IV. 118. seq. Regularis, & irregularis. ibid. Num mora satis per se sit ut ex mutuo percipiuntur usuræ. IV. 118. Quid de ea re senserint Jurisconsulti Romani, & quid Jus Canonicum. ibid. Quando dicitur debitor in mora constitutus. 118.

Multa pecuniaria quid, & quando ei locus sit. IV. 13. 138. seq.

Munera sæcularia Clericis vetita. I. 88.

Mutua petitio quid. III. 120. Cui, & quando comperat. 120. Coram quo fieri debeat. ibid. Quibus in causis. 121. Ejus finis. ibid. Effectus. 122. Proponendæ tempus. ibid.

N

Narthex Ecclesie. II. 245.
 Natalis Domini. Vide *Dies Festi*.
 Natalis Romæ, & Constantinopolis. III. 108.
 Neophiti. Vide *Baptismus*, & *Ordinatio*.
 Negociatio quæstiosa clericis vetita. I. 89. 90. IV. 137.
 Nomina a catechumenis data. II. 44. 45.
 Nomocanon quid. I. 46. Nomocanon Joannis Scholastici. 46.
 Nosocomium. Vide *Hospitale*.
 Notarii. III. 85. IV. 9.
 Notomantia. IV. 100.
 Note Ecclesie. I. 8. & seq. Vide *Ecclesia*.
 Novalia. II. 339.
 Nuntii qui. I. 164. Eorum origo, & munus. ibid.
 Nuptiæ. Vide *Sponsalia*, & *Matrimonium*. Secundæ nuptiæ permixtæ. II. 194.

O

Obsequia unum ex votis Regularium. I. 321. 333.
 Oblatio puerorum Clericatu à Parentibus facta. I. 242. seq. Oblatio monasterio. 336. seq.
 Oblationes quid. II. 346. Earum origo. 347. A quibus factæ. 347. seq. Qui eas acciperent. I. 115. 116.
 Oblationes ad Altare. II. 339. in Gazophylacium. 350. Parochiales. 351. Que cavere debeant Ecclesie Ministri in oblationibus recipiendis. IV. 85. seq. Oblationum distributio. II. 349.
 Obreptio, & subreptio. I. 27. III. 175.
 Officialis Episcopi. I. 207.
 Officium quid. I. 133. 199.
 Officium Divinum quid. II. 206.
 Breviarium cur dictum. 206. seq.
 Horarum Canonicarum origo, & divisio. 208. & seq. Qui officium recitare teneantur. 214. & seq. Tem-

pus, modusque officii recitandi. 213. seq. Ritus, ejusque statuendi Jus. 216.
 Oleum Sanctum quid. II. 129. Ejus materia remota. 129. Oleum an benedictum esse debeat, & à quo. 129. seq. Quando, & à quo Episcopo accipiendum. 130. Materia proxima. 131. Quæ corporis partes ungentur. ibid. Forma. 132. Num indicativa, vel deprecativa. ibid. Minister. 133. Subjectum. 134. Græcorum unctio in Pœnitentiæ facta an Sacramentum. 135. Ejus conferendi tempus. 134. An semel, vel pluries. 136. Effectus qui. 134.
 Omen. IV. 100.
 Opera servilia diebus festis vetita. II. 225.
 Oracula. IV. 101.
 Orationum quid. II. 270. Publicum. Privatum. ibid.
 Ordinarius Judex. III. 28.
 Ordinatio. Ejus ritus. I. 226. Tempus & locus. 227. & seq. Interstitia. 231. Quid si fiat extra tempus. 227. seq. Ante ætatem ordinandi statutam. 242. seq. Per saltum. 232. 233. Absque titulo. 232. seq. Absque examine, & dimissoriis. 236. seq. A quibus fiat ordinatio. 238. seq. Num ab Episcopo excommunicato, schismatico. 141. Ordinatus à Sum. Pontifice an ab alio possit ordinari. I. 237. Alieni laici num potuerint olim ordinari. 239. Quinam ab ordinatione arceantur. Vide *Irregularitates*. Neophiti ordinatio. 298.
 Ordinationis titulus. I. 233. seq. Beneficium, & pensio. 232. & seq. Patrimonium. ibid. Paupertas ejusque ratio. 233. Domicilium, & familiaritas. 241. Titulus originis. 239. Ordinandum scrutinium. 236. Ætas. 242.
 Ordines Regularium. Vide *Regulares*. Eorum confirmatio Sum. Pontifici reservata. I. 149. III. 45.
 Ordinis Sacramentum. II. 137. Ordinum numerus. 137. Qui majores or-

dines, quique minores dicantur. II. ibid. I. 111. An singuli sint Sacramentum. II. 138. An tonsura sit ordo. I. 125. II. 138. Ordinis materia. 138. Forma. ibid. & seq. Minister. 139. Subjectum. ibid. Matrimonium dirimit. Vide *Matrimonium Celibatus*. Ordinis potestas quomodo acquiritur. I. 221.
 Ordo cognitionum in Judiciis. III. 112. Causæ ordinæ cognoscendæ. ibid. & seq. Quinam ordo servandus in Causis præjudicialibus. 113. Qui in Causis incidentibus, & præparatoriis. 114. Quid si diversæ Causæ, & ex eodem negotio ortæ. ibid. Quid si Civiles cum Criminalibus concurrant. & ibid. seq.
 Oris *aperitio* quomodo à Sum. Pontifice impetranda. III. 175.
 Orphanotrophia. II. 302.
 Osculum in nuptiis. II. 150.
 Ostiarii, eorumque munus. I. 124.

P

Pactum quid. III. 185. Pacta libertaria. 185. Quam exceptionem pariunt. 185. Pacta improbata & probata. 185. seq. An ex nudo pacto oriatur actio, & exceptio. 179. Quomodo pacto quis suis se privilegiis abdicet. 186.
 Pallium, ejusque origo, & natura. I. 176. seq. Unde sumatur, à quo, & quibus detur. 177. An ab Imperatoribus concessum. 181. Ejus usus, & potestas. seq.
 Papa, & hujus nominis ethymon. I. 134. Reliqua. Vide *Pontifex Romanus*.
 Parœcia, ejus origo, & nomen. I. 212. seq. Ea conferenda est per concursum, & hujus ratio. 288. seq. Non fit in ecclesia jurispatronatus laicorum. 289. Concursus in ecclesiis exemptis. Parochi officium, & potestas. I. 218. seq. An Parochi sint ex jure divino. I. 212. seq. IV. 33. An sint iudices in rebus fidei. 32. 33. An excommunicare possint. IV. 163. Parochorum libri. II. 144. III. 95. Parochi presentia in matrimonio. II. 189. seq.
 Pascha, ejusque celebratio. II. 220. seq. Solemnis Baptismi tempus. 45.
 Pastophorium. II. 255. 256.
 Patres SS. qui; & eorum sententiæ in jure canonico. I. 35.
 Patriarcha, ejusque origo, & nomen. I. 165. seq. Patriarchæ Majores, & Minores. 167. 171. Patriarcha totius Occidentis Rom. Pontifex. 152. 167. seq. Patriarchæ Orientis, eorumque ordo, & institutio. 168. Hi nunc tantum Titulares. 170. Patriarcharum jura, & potestas. 170. Patriarchæ ab Ecclesia instituti, & cur. III. 157. 158.
 Patrimonii titulus, ejusque origo. I. 232. seq.
 Pauli de Castro requisita. IV. 117.
 Peccatum quid. IV. 17. Unius Ecclesie potestati subjectum. 17. Peccatum publicum. II. 108. IV. ibid.
 Pecunia præsens an futura pretiosior. IV. 118. Vide *Mutuum*.
 Peculium. II. 354. seq. Ecclesiasticum, ejusque usus penes Clericos. 354. 355. An de eo testari possint. 356. Spolium in peculio clericorum. 356. seq.
 Pensio ecclesiastica quid. II. 324. Origo & divisio. ibid. seq. Qui pensionem constituunt. 324. Quibus de causis pensio imponatur. 325. Quæ beneficia pensionibus subjici nequeant. 325. Quod onus pensionarius habeat. 326. Quomodo pensio extinguatur. 326.
 Periodevta. I. 187.
 Perjurium, ejusque pœnæ. IV. 96. seq.
 Permutatio quid, & qua auctoritate fiat. I. 312. Vide *Beneficia*.
 Personarum divisio. I. 82.
 Personatus quid. I. 133.
 Perusina Civitas. IV. 124.
 Petræ vocabulum quid significet. IV. 36. 37.

Photius. I. 46. III. 155.
 Pignora tam mobilia, tum immobilia
 quo ritu distrahenda. III. 137. Quid
 si nemo ad hastam accesserit auc-
 tionem facturum. *ibid.*
 Plus VI. laudatur. I. 170. II. 107.
 124. IV. 64. 67. 69.
 Placitum, & placitare quid. III. 109.
 Plus petitio quid, & quotuplex. III.
 55. Plus petentium poenae. 58. 59.
 Poenae cur, & à quo infliguntur. IV.
 2. Ecclesiae potestas in iis infligen-
 dis, eaque tum interioris, tum ex-
 terioris fori. 3. seq. 135. Ecclesiasti-
 cum poenarum finis. 11. 12. 135.
 Finis poenatum civilium. 11. Poenae
 ecclesiasticae quotuplicis generis. 12.
 136. seq. Temporales quae. 12. Haec
 cur ab Ecclesia infligantur. 14. 15.
 Semper à spiritualibus distinctae. 14.
 136. seq. Unde hoc poenarum dis-
 crimen. 138. seq. Temporales poenae
 in Ecclesia vetustissimae. *ibid.* &
 12. seq. Earumdem species. 13. seq.
 139. seq.
 Poenitentia, ejusque effectus, necessi-
 tas, definitio. II. 104. seq. Ejus
 quasi materia. 105. Confessio auri-
 cularis. 107. seq. Confessio publica.
 106. Confitendi modus. 106. Poeni-
 tentia publica, vel privata. 108.
 109. An pro occultis criminibus
 publica poenitentia imposita. 108.
 Hujus sacramenti Minister. 106.
 120. In ministro necessaria potestas
 ordinis, & jurisdictionis. 121. Unde
 potestas jurisdictionis ducta, & an
 in Parochis insit jure proprio. 122.
 seq. Haec potestas ab Episcopo arc-
 tatur, & laxatur, excepto mortis
 articulo. 123. Casuum reservatio.
 124. seq. Peccata omnia Ecclesiae
 potestati subjecta. 125. An olim in
 gravioribus criminibus denegata ab-
 solutio. 126. seq. Poenitentiae forma.
 119. Poenitentium gradus. 109. seq.
 An poenitentia absolutioni neces-
 sario praemittenda. 118. Stationum
 poenitentiae tempora. 114. Quid poe-
 nitentiae tempore agendum. 115. Poe-

nitentium restitutio, & dispensatio.
 117. Solemnnes publicae poenitentiae
 gradus antiquati. 117. 118. Publicae
 poenitentiae ad corporales poenas re-
 ferendae. IV. 14. 15.
 Pontifex Romanus Ecclesiae caput, &
 centrum unitatis. I. 131. 135. IV.
 61. seq. Ejus jura, & potestas in
 totam Ecclesiam. I. 131. seq. 137.
 seq. III. 155. Cum eo convenire,
 eique parere omnes debent. I. 24.
 Habet Primatum honoris, & juris-
 dictionis. I. 15. 135. seq. Causae
 majores ad eum semper delatae. 26.
 138. 141. Ejus leges. 24. seq. Res-
 cripta. 27. Jus accipiendarum re-
 lationum. 137. 138. Condendi, &
 abrogandi leges. *ibid.* Poenis coer-
 cendi. *ibid.* Concedendi Indulgentias.
 143. Aliquem eximendi à jurisdic-
 tione Ordinarii. 108. 333. seq. II.
 293. seq. Indicendi, & confirmandi
 Concilium oecumenicum, eique pre-
 sidendi. I. 28. seq. 143. Missalis,
 & Breviarii constituendi. I. 149.
 II. 216. Pios homines inter beatos,
 aut sanctos referendi. 149. 150. Re-
 gulares Ordinis approbandi, aut tol-
 lendi. 149. Ejus judicium soli Deo
 subjicitur. III. 155. Falli nescium.
 I. 138. IV. 35. seq. Damnat libros
 noxios. 54. seq. Ejus potestas Epis-
 copalis, Metropolitana, Patriarchi-
 ca. I. 152. seq. III. 172. Tempo-
 ralis. I. 152. Ejus potestas auferri
 nequit. III. 172. Primatus ab eo
 disjungi non potest. I. 151. Consti-
 tuti, ac dimittit dies festos. II.
 224. Confert Beneficia. Vide *Bene-
 facta*. Ejus jus in recipiendis appe-
 llationibus. Vide *Appellatio*. In la-
 xandis impedimentis matrimonii.
 Vide *Matrimonium*. Potestas in
 Episcopos, & Episcopatus. I. 143.
 seq. Osculatio pedum Summi Pon-
 tificis, & genuflexiones. II. 112.
 113. Pontifex cur non utatur baculo.
 I. 222. Electio Summi Pontificis.
 246. seq.
 Portio canonica. II. 336.

Portio congrua, I. 195. II. 338.
 Positiones, earumque origo, & causa.
 III. 84. 85. Quales esse debeant.
 85. Earum effectus. *ibid.*
 Possessio, ejus questio cur seorsim à
 proprietate cognoscenda. III. 30.
 Possessorium judicium quid, &
 quotuplex. *ibid.*
 Postulatio quid. I. 261. In quo diffe-
 rat ab electione & in quo cum ea
 conveniat. 261. seq.
 Praeconizatio, & propositio quid. I.
 260.
 Praefati inferiores, eorumque distinc-
 tio, & potestas. I. 189. seq.
 Praesumptio quid, & quotuplex. III.
 101. Quae praesumptio juris, & ejus
 effectus. 101. seq. Quae, & quodu-
 plex praesumptio hominis. 102. seq.
 Praesumptio in civilibus, & crimina-
 libus. 104.
 Presbyter, ejusque officium, & po-
 testas. I. 110. Ejus jurisdictio pen-
 det ab arbitrio Episcopi. 111. Sine
 venia Episcopi praedicare non potest.
 102. 103. An Presbyteri secundi or-
 dinis sint iudices in rebus fidei. Vide
Parochi.
 Presbyterae. I. 350.
 Primates, eorumque origo, dignitas,
 potestas. I. 171. An alii à Metropoli-
 tis, & Patriarchis fuerint. 171. & seq.
 Primitiae, earumque usus, & antiqui-
 tas. II. 345. Earum praestandarum
 ratio, & hodierna de iis Ecclesiae
 disciplina. 337.
 Princeps laicus in res sacras jus non
 habet. IV. 162. seq.
 Privilegium quid. I. 27.
 Probatio quid. III. 81. Cui probandi
 onus sit. *ibid.* Probatio plena, &
 semiplena. 82. Num semiplena pro-
 betur in jure. 82. 83. Plena proba-
 tionis species. 83. seq.
 Processus quid. III. 31.
 Procuratio, ejusque solvendae tempus,
 & quantitas. II. 334. Quibus sol-
 venda, & qui ejus onere teneantur.
 335. 336.
 Procurator quis. III. 32. Procuratorum
 distinctiones. 32. 33. Quot numero
 constitui possint. 33. Qui procura-
 tores esse possint. 33. Num clerici.
ibid. Quibus in causis adhibeantur.
 34. Quomodo constituantur. *ibid.*
 Quomodo hoc officium exspiret. 35.
 Procuratores Communitatis. Vide
Syndicus.
 Professio religiosa. Vide *Regulares*.
 Solvit matrimonium ratum. I. 339.
 II. 195.
 Protestantes non habent signa vere Ec-
 clesiae. I. 11. seq. Eorum de regi-
 mine Ecclesiae sententiae. 14.
 Publica honestas matrimonium impe-
 dit. II. 182.
 Purgatio canonica, ejusque usus. III.
 99. seq. Purgationes vulgares, & ea-
 rum usus, & auctoritas. 102. seq.
 Ab Ecclesia damnatae. *ibid.*
 Pythones, & Pythonissae. IV. 102.

Q

Quadragesima. Vide *Jejunium*.
 Quaestores eleemosynarum. II. 204.
 Quarta funeraria. II. 288. Vide *Se-
 pultura*.
 Quatuor temporum jejunia. Vide *Je-
 junium*.

R

Raptus quid. IV. 105. Raptorum poe-
 nae. 107. seq. Raptus matrimonium
 impedit. II. 188.
 Raymundus de Peñafort. I. 73.
 Re cautio. III. 121.
 Receptum quid. III. 178.
 Reconventio. Vide *Mutua petitio*.
 Recursus qui, quibusque in causis ne-
 cessarius. III. 147.
 Regino, ejusque collectio Canonum.
 I. 64.
 Regradatio. Vide *Depositio*.
 Regulares qui. I. 331. Eorum ordines.
 331. & seq. Regula. 333. Jura, &
 Privilegia. 333. seq. Tyrocinium.
 336. Professio. 336. Ejus vis. I. 339.
 Qualitas. 336. Quando, & quae ir-
 rita. 340. Adversus eam reclamatio.

ibid. Renunciaciones ante professionem faciendæ. 341. Regularium Ecclesie. 333. Transitus ad aliud institutum. 339. Recessus, ejusque pœnæ. 230. Apostatae quando dicantur. IV. 24. & seq. Eorum pœnæ. Vide *Apostasia*. An qui Religionem deserit, licet non dimittat habitum, sit excommunicatus. 26.

Reliquiæ Sanctorum. II. 278. Cur venerandæ. ibid. Harum veneratio antiquissima. ibid. seq. Quomodo in Ecclesiarum dedicatione abhibita. 278. Decenter custodiendæ. 278. Novæ quomodo colendæ. 279.

Renunciatio. Vide *Beneficia*.

Reparatio. Vide *Restitutio in Integrum*.

Replicatio quid. III. 111. Ejus opponendæ ratio. ibid.

Res ecclesiastica quid, & quotuplex. II. 1. Spirituales quæ. ibid. Temporales. Vide *Bona Ecclesie*. Sacræ, & Religiosæ. 1. Commercio hominum exemptæ. 272. & seq.

Res Judicata. III. 134. Ejus effectus. ibid. Finis. 135. Exequutio, ejusque tempus. ibid. & seq. A quibus faciendæ, & per quos. 136. Ejus peragendæ ordo. ibid. & seq. Fori usus. 137. & seq.

Rescripta Pontificum quid. I. 27. Quotuplex generis. 27. Fori vis. ibid.

Reservatio beneficiorum. Vide *Beneficium. Cancellariæ Regule*.

Restitutio in integrum quid. III. 170. Justæ eam concedendi Causæ. 171. Quis in integrum restituatur. ibid. & seq. Quibus in rebus. 172. A quibus. ibid. & seq. Intra quod tempus. 171. 172. Num ea detur contra Principis, vel Sum. Pontificis Sententiam. 173. An semel denegata iterum peti possit. ibid. Ejus effectus. 173. Cur arbitrium rejiciat. 182.

Revisio quid, & cur inventa. III. 174. An à supplicatione diversa. 175. Tempus eam proponendi, & effectus. 174.

Ripnaria lex. I. 83. III. 88.

Ritus Sacri. Vide *Ceremonia*.

S

Sabbati jejunium. II. 230. Nunc abiit in abstinentiam. ibid.

Sabinus Heracleensis. I. 44.

Sacellum. Vide *Capella*.

Sacerdos unde dictus. I. 110. Ejus potestas, & officium. Vide *Presbyteri*.

Ad turpia sollicitans in sacramentali confessione. I. 321. IV. 82.

Sacerdotii, & Imperii fines. I. 5. seq. III. 17. seq. IV. 16. seq.

Sacra res. Vide *Res ecclesiastica*.

Sacra Scriptura. I. 22. seq.

Sacramentum quid. II. 2. Ejus natura. 3. Antiquæ legis quod, & quotuplex. 4. & seq. Novæ legis Sacramentorum auctor. 18. 19. Numerus. 6. Divisio. 11. seq. Materia. 7. & seq. Forma. ibid. Conditionalis quæ, ejusque origo. 8. & seq. Gratia. 10. Character, ejusque natura. 11. & seq. Necessitas, & quotuplex. 12. Minister, & qualis. 12. & seq. Ejus intentio, & quotuplex. 14. & seq. Quæ requiratur, & an sufficiat externa. 15. seq. Quid si Minister mittere agat. ibid. Subjectum. 17. seq. Ceremoniæ, earumque origo. 20. & seq.

Sacrificati. IV. 21.

Sacrificium. Vide *Eucharistia*.

Sacrificia veteris Legis. II. 5.

Sacrilegium quid, & quotuplex. IV. 97. Personale. ibid. locale. 98. Reale. ibid. Quibus in rebus committitur. ibid. In Sacrilegos pœnæ. 98.

Sacrilegium venereum crimen. IV. 104. Pœnæ de utroque Jure. 107. 108.

Salica lex. I. 83. III. 88.

Sanctuarium. II. 247. 248.

Sal cathechumenis datus. II. 44. 47.

Sardicenses canones. III. 163. seq. An fuerint in Oriente recepti. 164. seq.

Satanæ renunciatio. II. 48. 49. 53. Pactum cum Satana. IV. 101.

Scriptura quando publicum instrumentum dicitur. III. 95. Quid si talis,

ut legi nequeat. ibid.

Schisma quid, & quotuplex. IV. 42. 43. 45. Schismatici qui. 43. An heretici sint. 45. Eorum Status extra Ecclesie unitatem. 45. Pœnæ. 46. Inter Catholicos non tolerandi. 46. seq.

Scholæ. II. 255. 297.

Scrinia Ecclesie Romanæ. I. 49.

Scrutinia in baptismo. II. 44. 48. Scrutinium in electione. I. 257. seq.

Secretarium. II. 255.

Sedens Vacans. I. 196. Tunc penes quem Ecclesie potestas, & regimen. ibid. Nil in ea innovandum. 198.

Seminaria, eorumque origo. II. 296. seq. Omnes Episcopi seminarium habere debent. 297. 298. Institutio juvenum in seminaris. 298. Horum regimen, & administratio. 299. seq.

Sententia quid. III. 124. Ejus in definitivam, & interlocutoriam divisio. 125. Utriusque discrimen. seq. A quo ferenda. 127. & seq. Cur à Judice pro Tribunali sedente. 127. seq. An in scriptis. 129. Quo idiomate concipienda. 131. An à Judice recitanda, & coram quibus. 130. Quid eam ex periculo recitare. 130. Ejus ferendæ tempus. 132. Locus. ibid. Sit probatis, juriq; conformis. 132. & seq. Certa. ibid. Absolvens, vel condemnans. ibid. Sententia damnatus, quid victori præstare debeat. 133.

Sententia quando transeat in rem judicatam. Vide *Res judicata*. Sententiæ *circumscriptio*. 145. Finis, & exequutio. 135. seq.

Sepultura. II. 281. Ejus origo, & situs. 282. & seq. Benedictio. 285. *Mors*, cadavera extra Ecclesiam sepeliendi. 181. & seq. Qualis nunc in Ecclesiis. 283. An superstitionem sapiat. seq. Sepulturæ electio quibus competat. 285. Sepultura gentilitia, & Parochialis. 286. Qui Sepultura careant. 289. Jus sepeliendi. 268. Quibus Ecclesiis competat. 285. An Ecclesiis Regularium. 286. Jus Parochi in deferendis cadaveribus ad sepulturam. 287. Jura funeraria eidem debita. 287. 288. Funerariæ ratio. 288. seq.

Sequester quis. III. 72.

Sequestrario quid. III. 72. Quando à Judice decernenda. ibid. An etiam in causis beneficiariis. 72. Ejus revocatio. ibid.

Servi. I. 83. Eorum manumissio. 183. 184.

Servilis conditio quando impedit nuptias. II. 186. seq.

Sextus Decretalium. I. 75.

Simonia quid, & quotuplex. IV. 82. Mentalis. ibid. Conventionalis. Realis, & à quibus contrahitur. Confidentialis. 83. Modi quibus committitur simonia. 84. An sit Simoniacus, qui, digno alioquin Viro, gratia, aut favore rem Spiritualem attribuit. ibid. An Simonia, si pecunia inscio beneficiario data fuerit. 84. Quid si in fraudem ipsius beneficiarii. ibid. Res Spirituales quæ, & quotuplicis generis. 85. Simonia Juris Divini, & ecclesiastici. ibid. An sponte oblati contrahatur. 87. Quid de redditibus Ecclesiasticis. 86. Simonia palliata. 86. Vexationis redemptio an sit Simonia. 87. Quid si de gratia agatur, vel justitia à Sede Apostolica abtinenda. 87. Pœnæ de jure veteri in simoniacos. 88. Quomodo ab ordinationibus ad beneficia tractata. ibid. & seq. Simoniacæ beneficii collatio. 88. Pœnæ de jure novo. 89. Quæ ob simoniacam ingressum Religionis. ibid. 89. & seq. Quæ in Simoniam confidentialem. 90.

Simulatio Religionis. IV. 22. Ejus criminis pœna. ibid.

Societas contractus. IV. 131. Injustus quando. ibid. Societas Leonina. ibid. Ad caput salvum. ibid.

Sodomia quid, & quotuplex. IV. 105. Quibus pœnis olim coercita. 109. Quibus modo. ibid.

Sortes. IV. 101. Virgilianæ. ibid. Sacræ. ibid. Politicæ. ibid. in Eccle-

siasticis officiis cur vetita. *ibid.* Mat-
thiæ per sortes electio. 101.
Sortilegium. IV. 101. Ejus poenæ.
ibid. 102. seq.
Speciosæ portæ. II. 246. seq.
Spolium quid. III. 115. Quæ spoliū
efficiant. *ibid.* Quibus in rebus com-
mitti possit. 116. Spolii rei. *ibid.*
Actio quibus, & adversus quos com-
petat. 117. Ejus finis, & effectus.
ibid. In judicium quomodo deducatur.
120. Spolii exceptio. 117. seq.
Quæ contra spoliū exceptiones ad-
mittantur. 118. seq. An competat ex-
ceptio de spolio tertii. 117. Ejus vis,
& probationis tempus. *ibid.*
Spolium ecclesiasticum. II. 356. Cur
introducatur. 357. Ejus æquitas, &
ratio. *ibid.* Spolii Collectores. 356.
Sponsalia quid, & quōtuplicis gene-
ris. II. 147. Quæ de *præsenti* di-
cantur. 147. 148. A quibus contra-
hantur. *ibid.* Sponsalia filiorum fa-
miliæ. *ibid.* & seq. Sponsalia solem-
nia. 148. Vis, & obligatio. 150.
Quomodo solvantur. 151.
Statio quid? II. 227.
Stuprum quid. IV. 105. Ejus poena in
Clericos. 106. Quæ in Laicos. *ibid.*
seq. Quid si matrimonii fides data
fuerit. *ibid.*
Subdiaconatus ordo. Vide *Ordinationes.*
Ordo. Quando inter sacros ordines
relatus I. 118. & seq. An ab Abba-
tibus conferri possit. seq.
Subdiaconi qui. I. 118. Eorum munus.
ibid. Ordinatio. 226. Græci, latini-
que ritus discrimen. 227.
Subsidium charitativum quid. II. 333.
Cui, & à quibus præstandum. *ibid.*
Quantum, & quo tempore. *ibid.*
Susceptores in Baptismo. II. 53. & seq.
In confirmatione. 62. Eorum offi-
cia. 53.
Suspensio quid. IV. 174. Ejus Origo.
175. Suspensio ab Officio. 175. A
beneficio. *ibid.* Ab utroque simul.
ibid. Generalis. 176. Partialis per-
petua, & temporaria. *ibid.* Latæ, vel
ferendæ sententiæ. 176. Quando, &

quomodo Suspensio irroganda. *ibid.*
A quo *ibid.* Adversus quos. 174. Mo-
di quibus cessat. 176. Poena violan-
tis suspensionem. 177.
Syndici qui. III. 35. Eorum munus. 35.
A quibus constituentur. 36.
Synvessana Synodus commentitia. III.
86.

T

Territorium Ecclesiæ. III. 21. seq. Ex-
tra territorium suum jus dicenti im-
pune non paretur. 64.
Testamentum de quibus bonis à cleri-
co fiat. II. 355.
Testes qui. III. 85. Eorum numerus ad
probationem necessarius. 85. Quot in
Episcopi condemnatione requisiti. 85.
86. Unius testis fides. 85. An testes
inviti cogi possint ad ferendum tes-
timonium. 87. seq. Debent esse ju-
rati. 89. Olim jejuni, & cur. 89.
Non singulares. 89. Auriti quando
admittendi. 89. 86. Partitio eorum,
qui à testimonio repellantur. 89. Qui
omnino testes esse nequeant. 190.
Qui in quibusdam tantum causis. 92.
93. Qui pro certis personis. 91. Qui
contra certas personas. 91. Testes
quomodo examinandi. 92. seq. De
quibus rebus interrogandi. 92. An
præsente adversario. 92. Qualia eo-
rum responsa esse debeant. 93. Exa-
minis publicatio. 93. An post publi-
cationem testes refelli, aut alii dari
possint. 93. 94. An testimonia in uno
judicio recepta in alio fidem fa-
ciant. 94.
Thurificati. IV. 21.
Tituli qui. I. 233. II. 239. Titulus in
ordinatione. I. 233. seq. Unde frac-
tum tituli nomen. 233.
Tolerantia civilis, & ecclesiastica. IV.
47. 51.
Tonsura clericorum quæ, & quando
cœperit. I. 93. seq. Triplex tonsu-
ræ species. *ibid.* Ejus ritus, ac pri-
vilegia. seq.
Translatio quid. I. 310. Vetita sine
justa causa. *ibid.* Quando, & à quo
permitteretur. 311.

discrimen. 37. Ecclesiæ est de Tra-
ditione judicium. 38.
Transactio quid. III. 186. Transactio-
nis, & pacti discrimen. *ibid.* Tran-
sactio non fit super re judicata. 186.
Nec super re certa. 187. Quomodo
ex jure civili, & canonico transac-
tio fiat. 187. Transactionis auctori-
tas *ibid.* An ob nova monumenta tol-
latur. *ibid.* Qui transigere possint. 188.
Quibus de rebus transigere non li-
ceat. 188.
Translatio quid. I. 310. Vetita sine
justa causa. *ibid.* Quando, & à quo
permitteretur. 311.

V

Vadimonium promittere. III. 60. De-
serere. 69.
Vasa Sacra. Eorum consecratio. II. 273.
Vaticinatio. IV. 102. seq.
Venatio clericis vetita. I. 91.
Vespertinæ preces. II. 209. 210.
Vestes Clericorum. I. 91. seq.
Vestes Sacræ. An peculiaribus Aposto-
li usi sint in sacris. II. 273. seq. Va-
ria in hoc disciplina. ubi de *penula*
Pauli quid intelligendam. 274. Ma-
teria sacrorum indumentorum, col-
lor, & benedictio. seq.
Viaticum quid. II. 75. 76. A Parocho
administratur. I. 219.
Vicarius Apostolicus quis, à quo, &
quando detur. I. 211. Ejus antiqui-
tas. 161. Cum datus est à Sede
Apostolica, Vicarius capitularis non
eligitur. 196. 197.
Vicarius Capitularis quis, & quando
eligendus. I. 197. seq. Hujus quali-
tates, constitutio, & potestas. 197.
Quid possit circa Indulgentias. 198.
Quid circa institutiones, collationes,
& dimissorias. 199.
Vicarii Curati. I. 211. Qui, à quibus,
& quomodo constituentur. *ibid.* &
II. 353. 354. Eorum portio congrua.
ibid.
Vicarius Generalis. Ejus origo. I. 206.
seq. Quomodo ab Episcopo consti-

tuatur. 206. An sine eo esse possit
Episcopus. 207. An plures esse possint,
& quæ tunc eorum jurisdictio.
207. Ejus jurisdictio num ordinaria.
ibid. Hæc ab Episcopi arbitrio pæ-
der. 206. Quid hæc jurisdictio com-
prehendat. 207. Quando exspiret.
209. Qui, & quales Vicarii esse pos-
sint. 209. In Italia unus, alibi Vi-
carius, & Officialis. 207.
Vicarius Foraneus, Origo, partes, ins-
titutio, & potestas. I. 209. seq.
Vicarius Natus. Quis, & quæ ejus po-
testas. I. 211. seq.
Vidua Ecclesiastica, & earum offi-
cium. I. 345.
Vigiliæ quæ. II. 232.
Vindemiæ. Tempus Feriatum. III. 106.
seq.
Virgines Sacræ. Etiam *Canonica*, &
Devota. Earum origo, vestes, &
consecratio. I. 344. seq.
Vis gravis nuptias impedit. II. 188.
Visitatio. Vide *Episcopus*.
Visitor Episcopus. I. 250. 251.
Vota Regularium. I. 333.
Votum solemne castitatis irritas nup-
tias facit. II. 172. seq.
Votum simplex. II. 192.

U

Ultrajectenses Schismatici. IV. 44.
Universitatis Libri. Quam fidem fa-
ciant. III. 95.
Unctio extrema. Vide *Oleum sanctum*.
Unctio in baptismo. II. 44. 47. 51.
In confirmatione. II. 57. 58. In or-
dinatione. I. 221. 226.
Undevi interdictum. III. 117.
Usucapio litis contestatione interrumpitur. III. 75.
Usura quid. IV. 110. Ethnici Usuras
exercebant. *ibid.* Num ab Imperato-
ribus Christianis probate. 110. 111.
Usuræ *centerime*. 111. Eadem cur
unciaria dictæ. *ibid.* Usurarum ratio
sub Constantino, & Theodosio. 112.
seq. Usuræ *Hemiolia*. 112. Hebræis
quomodo fas erat usuras accipere.

(XXIV)

ibid. Usuræ Jure Divino, & Ecclesiastico vetitæ. 112. An etiam Jure naturali 112. Protestantium, aliorumque errores de usuris. 114. Num usuræ præcipi aliquando possint, & quibus de causis. 115. seq. Pactum de solvendis usuris quando licitum. 117. An aliquando interpellatio necessaria, ut debeantur usuræ. ibid.

Periculum sortis an causa percipiendi usuras. 119. Pœnæ in usurarios. 134. Quomodo quis usurarius evincitur. 134.

X

Xenodochium. II. 302.

ἑξοφασία. II. 234.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



TEC